

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30


1 400 40 **Stalpa** MADE IN U.S.A.

180 - 100

4

~~180 - 100~~

180 - 100



Del Collegio della Comp^a de Jesu de Granada N-10845

BIBLIOTHECA

SANCTA Del assensu del P. M. de Granada

*A. F. Sixto Senensi, ordinis Prædicatorum,
ex præcipuis catholicæ ecclesiæ autoribus col-
lecta, & in octo libros digesta; quorum
inscriptiones sequens pagina indicabit.*

Ad sanctiss. Pium V. Pont. Opt. Max.




*Por orden de los S^{res.} Inquisi-
tores conformes al Copuladorio
de año de 1537 ordenado
de Noviembre de Simón uno
no tiene may q^e expungir
por el expungir de 1640
Esta expurgado conforme
al Copuladorio de Do.
Manuel Padial*

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, apud Franciscum Franciscum Senensem,

M D L X V I.



*Se Rendio & allen del Senese
P. S. V. S. S. S.*

Numerus, & ordo librorum, qui
hoc opere continentur.

| | |
|--|------------------------|
| <i>De numero, partitione, & autoritate diuinorum uoluminum</i> | <i>liber primus.</i> |
| <i>De scripturis, & scriptoribus, quorum in sacris uoluminibus fit mentio,</i> | <i>liber secundus.</i> |
| <i>De arte exponendi sacrosancta uolumina</i> | <i>liber tertius.</i> |
| <i>De catholicis sacrorum uoluminum expositoribus</i> | <i>liber quartus.</i> |
| <i>De annotationibus, & censuris in expositores uoluminum Vet. Testamenti</i> | <i>liber quintus.</i> |
| <i>De annotationibus, & censuris in expositores uoluminum Noui Testamenti</i> | <i>liber sextus.</i> |
| <i>De his, uel aduersus eos, qui Noui Testamenti uolumina oppugnarunt,</i> | <i>liber septimus.</i> |
| <i>De his, uel aduersus eos, qui Vet. Testamenti uolumina oppugnarunt,</i> | <i>liber octauus.</i> |

His annectuntur indices tres locupletissimi.

Horum utilitatem sequens totius
operis præfatio demonstrabit.

IOHANNES PAVLUS

INDEX

LIBRORUM

BEATISSIMO PATRI

ac summo Christianæ religionis antistiti

PIO V. PONT. OPT. MAX.

F. Sixtus Senensis ex ordine Prædic.

FELICITATEM.



VLTA quidem, ac propè innumerabilia sunt, BEATISSIME PATER, à te præclare gesta antè, quàm ad summi Pontificatus fastigium diuinæ benignitatis munere, ingentiq; totius orbis applausu euectus esses: inter cætera uerò piæ sollicitudinis opera, quæ pro tuenda catholica religione aduersus omnes huius miserandi sæculi hæreses decertando peregisti, longè admirabilior est illa tua uerè diuina providentia, qua uniuersam Christianæ reipublicæ Bibliothecam periculo ruinæ ab hæreticis intentatæ liberasti. cum enim inter decem amplissimos Cardinales, apud quos sacrosancta Romana Inquisitionis suprema autoritas erat, principem locum teneres, te autore prodijt decretum illud sanctissimum de reparanda totius Christianæ ecclesiæ Bibliotheca; quam perditissimi nostrorum temporum hæretici suis morbis, ac pestibus ita corruerant, ut nihil aliud, quàm certissimum eius exitium esset expectandum, nisi tu repente opem attulisses. primum enim toto Christianorum orbe conquiri nefariæ doctrinæ libros, & publicè exuri iussisti. deinde expurgari, & emaculari curasti omnia catholicorum scriptorum, ac præcipuè ueterum patrum scripta, hæreticorum ætatis nostræ sæcibus contaminata, & uenenis infecta. postremò Catalogum, uel Indicem edi mandasti autorum, ac librorum omnium hæretici nominis, qui essent ab ecclesiastica Bibliotheca arceudi, & ab omnibus Christianis lectoribus abiiciendi. Hoc ego pietatis tuæ flagrantissimo studio incensus, octo BIBLIOTHECÆ SANCTÆ uolumina collegi; quibus cuncta complexus sum, quæ maximè pertinere uidentur tum ad legendos, & illustrandos autores, ac libros omnes, quos tuo sapientissimo iudicio comprobatos,
Christia-

Christiana Bibliotheca dignos declarasti; tum ad confutandos auctores, ac libros omnes, quos tuo iustissimo decreto damnatos, eadem Christiana Bibliotheca indignos pronunciaſti. Cum autem pij aliquot, ac eruditi uiri iudicauerint hoc, quicquid est operæ meæ, sacrarum literarum studiosis non mediocriter profuturum; & ob id etiam hortati sint, ut in publicum emitterem: ausus sum illud piissimo Beatitudinis tuæ nomini consecrare, existimans nulli magis conuenire Bibliothecam sanctā dedicari, quam tibi, **SANCTISSIMO CHRISTIANAE BIBLIOTHECAE REPARATORI**, atq; à me uno præsertim, quem tu olim ab inferis reuocatum, & errorū tenebris erutum, sinceræ ueritatis lumine illustrasti; & ad sublimioris disciplinæ obseruantiam perductum, habitu sanctæ professionis tuæ, tuis ipse uestibus, tuis ipse manibus induisti; & in filium tuo renatum spiritu adoptasti: meq; in hoc sacro Prædicatorum ordine ita benignitate, ac liberalitate tua semper in hanc usque diem fouisti, ut nulli magis debeam in terris, quam tibi. cui cum non liceat alia ratione testari animum, tot immortalium beneficiorum memorem; hunc qualemcunque laborem, non ingratae uoluntatis meæ testem, Beatitudini tuæ nuncupandum putauit: quam, precor, ut Deus Opt. Max.

dignitati Apostolicæ sedis, & reipub. Christianæ iuuandæ longo tempore seruet incolumem, & omni felicitatis affluentia florentem.


Venetiis, anno à Christi natiuitate

M D L X V I.

Kal. Octobris.

A F. SIXTI SENENSIS
EX ORDINE PRAEDICATORVM
 in octo Bibliothecæ sanctæ libros

P R A E F A T I O.



ANTIS quidem sunt mortales omnes ignorantiae nebulis circumfusi, & errorum tenebris obruti, ut suis uiribus nequeant caligantes animi oculos in illum fulgentissimum diuinæ lucis splendorem attollere, in cuius intuitu summa ueraq; hominis consistit felicitas. Hanc adeo profundam humanæ mentis caliginem miseratus omnium conditor Deus, plurima cæcitati nostræ contulit remedia: in quibus maximè antecellit præstantissimum illud christianæ sapientiæ lumen, in sanctis diuinorum oraculorum libris reuelatum, cuius clarissimi radij iter ad æternam beatitudinem expeditum inter deuos & obscuros huius uitæ calles ostendunt. & ne ulla aut peregrini sermonis, & ignotæ linguæ difficultas, aut abstrusi sensus obscuritas corrumpentem diuinorum uoluminum fulgorem aliqua ex parte lectoribus ofuscaret, acciuit in ecclesiam suam ex omnibus totius orbis nationibus interpretes, expositores, & doctores uarios, secularibus disciplinis nobiliter imbutos, & sacrarum rerum peritia diuinitus afflatos; qui beatas utriusque testamenti scripturas in præcipuas gentium linguas transfunderent, & abdita in eis mysteria non solum uiuis uerbis, & animato uocis sono referarent, sed etiam calamo & atramento in paginis & codicibus diutius duraturis piè ac perspicuè explicarent, relinquentes nobis in omnes tam ueteris, quam noui instrumenti partes uaria sacrarum explanationum opera, hoc est, Translationes, Introductiones, Partitiones, Annotationes, Paraphrases, Enarrationes, Homilias, Conciones, Meditationes, Disputationes, Collationes, Coaceruationes, Commentaria, Collectanea, Compendia, atque alia his similia interpretatiui generis innumerabilia scripta, pro diuersitate ingeniorum, ac temporum uarietate digesta. Quibus tam egregiis literarum monumentis ne uel hominum incuria, uel temporum nihil non oblitterantium

Bibliothecæ sanctæ
 necessitas
 & utilitas.

iniuria interitum afferret, primum excitauit Deus non paucos ecclesie antistites & pastores, euangelicæ doctrinæ, & ecclesiasticæ disciplinæ ardore incensos, qui sacrorum autorum sudores, & uigilias, toto orbe terrarum non sine magno labore, & ingenti expensa conquisitas, colligerent, magnâq; fide, uel religione potius in codicibus emendatissimis describerent; deindeq; ex ijs bibliothecas in summis templis, in collegiis sacerdotum, & monachorum cœnobijs extruerent, preciosissimis sanctorum ecclesie doctorum lucubrationibus refertas: ut tam diuinæ rei custodia penes eos esset, quorum maximè interest omnem mortalem uitam in æternæ uitæ studiis transigere, & in Dei legibus non solum iuxta Dauidis sententiam diu noctuq; meditari, sed alios quoque suæ curæ contraditos instituere, & euangelicis tum præceptis, tum consilijs erudire. nihil enim ad erudiendam & docendam ecclesiasticam plebem utilius est, quam diuina librorum supellex, & nobilium ecclesie procerum scripta nihil non continentia cœlestium & immortalium bonorum. Ex his etenim, ueluti ex uberrimis & uernantissimis campis Hermonij montis rore perfusis, pascitur Christianus populus salubribus alimentis; auditorum sitis, ceu de purissimis aquæ uiuæ fontibus, & æternis paradisi fluminibus extinguitur; & spiritalibus morbis, tanquam ex medicis hortis, præsentissima herbarum, ac florum nullo senio intereuntium remedia colliguntur. ex his perinde; atque ex opulentissima diuitiarum gaza inopum animarum egestas ditatur; nec aliter, quam ex confertissimis armamentis arma sumuntur, unde infidelium infaniæ, & hæreticorum furores prosterantur. ex his non secus, ac de schola & gymnasio uirtutum omnium uniuersa Christiani hominis uita; mores, & officia formantur; docentur indocti; exercentur docti; iuuantur lapsi, ut surgant; stantes, ne cadant; armantur nudi spiritalibus armis; armati in prælium educuntur; animantur præliantes, ne uincantur; admonentur uincentes, ne uictoriam amittant. in summa, nihil est usquam uel honestum, uel utile, uel iocundum, nihil magnum, aut rarum, quod in his ad Christianam eruditionem, ad uitæ pietatem, & ad ueram felicitatem consequendam optari queat.

VERVM, peccatis nostris ita promerentibus, accidit, ut huic sacro ecclesiasticæ Bibliothecæ thesauro, quem Deus tanta maiorum nostrorum sollicitudine in utilitatem ecclesie seruari uoluit, nunc; proh dolor, iacturam, clademq; multis lacrymis deflendam attulerint ignorantia simul & auaritia, temeritas, ambitio, & impietas multorum perdi-

Psal. 1. a

Ecclesiast. librorum utilitas.

Bibliotheca sancta a' improbis nostri sæculi hominib. undecim iniurias pas

A perditissimorum huius improbi sæculi hominum: ex quibus typographi primum, & bibliopolæ quidam, nihil præter quæstum arte sua quærentes, novos quotidie librorum fœtus emittunt adulterinos, suppositicios, pseudepigraphos, & nothos, præpositis absque ullo iudicio & pudore in frontispicijs operum, quò ipsa & charius & citius uendant, falsis illustrium autorum inscriptionibus. Hoc sanè artificio supposuerunt nobis, inter multos spurios partus, Quæstiones in Genesim Philonis Iudæi, Quæstiones Iustini philosophi & martyris ad gentes, Quæstiones D. Athanasii ad Antiochum, Origenis Paraphrasin in Iob, eiusdemq; in eundem librum Commentarios, item Arnobii Rhetoris in psalmos Commentaria, Eusebii Emeseni Homilias in euangelia, Ambrosii in Apocalypsin Explanations, Hieronymi in Prouerbia Libros tres, & in Lamentationes Ieremiæ Libros tres, Eucherii in Geneseos, & Regum historias Libros octo, & cum his alia plurima, sub nomine præsertim ueterum patrum asciticia opera; quorum dogmata, stylus, ac tempora magis ab ipsorum titulis & inscriptionibus distant, quam cœlum à terra.

NEC dissimili, sed impudentiori fuce iidem ipsi, ut adagio fertur, duos sibi generos ex unica filia parantes, quod unius tantum erat autoris opus, sæpenumero, & in eadem quoque officina excuderunt sub diuersis duorum, uel trium autorum titulis, exhibentes nobis (ut interim ex tam multis pauca quædam in exemplum adducam) Homilias in Leuiticum, semel Origenis nomine, & iterum easdem Cyrilli nomine, separatis uoluminibus impressas; proferentes item commentaria eadem in epistolas Pauli, in alijs quidem codicibus Athanasio, in alijs uerò Theophylacto inscripta; similiter eandem in Ecclesiasten Paraphrasin publicantes, primum Gregorii Neocæsariensis, deinde sequenti anno Gregorii Nazianzenis inscriptione prænotatam; uendentes commentarios eisdem in Prouerbia, in primis Bedæ, & mox Hieronymo assertos; euulgantes quoque easdem commentationes in Iob, in multis uoluminibus, Philippi Presbyteri nomine, in plerisq; uerò prænotatas Bedæ Presbyteri titulo; sub quo etiam emiserunt Collectanea eiusdem Bedæ in Hexameron, eodem tempore sub Iunilii Afri appellatione excusa; & easdem Psalmorum explanationes, in priori editione Hugonis Carenensis inscriptionem habentes, in posteriore uerò Alexandri Halensis.

HIS LONGE maius & grauius detrimentum intulerunt diuinæ Bibliothecæ impii nostrorum temporum hæretici: qui, ut hæresibus suis fidem ex autoritate insignium autorum conciliarent, libris nefariæ doctrinæ à se editis imposuerunt gratiosa catholicorum patrum no-

fa est, quæ numeris subiecto margini appositis, indicatur.

2

3

mina & cognomina, hoc nimirum imposturæ genere allicientes ad se **A**
 auidos & incautos lectores, quibus pro ambrosia & nectare fæces & ex-
 crementa, pro remedijs & antidotis letifera uenena melle prælita uen-
 ditarent. sic proximis annis perniciosum Oecolampadij uolumen ad-
 uersus Sacramentum corporis Christi inuulgarunt sub titulo Bertrami
 Presbyteri De corpore & sanguine domini ad Carolum Magnum; & uir-
 ce uersa, Carolostadij opus contra cultores imaginum, cum inscriptione
 Caroli Magni De cultu imaginum ad sextam synodum, in Oriente con-
 gregatam. rursusq; aliud Caluini opus emiserunt sub nomine Alcuini,
 præceptoris Caroli Magni, ad eundem Carolum Augustum, hunc in mo- **B**
 dum transformarunt Henrici Bulingeri librum contra uisibilem eccle-
 siam in librum D. Athanasij De uera & pura ecclesia, ita Buceri opuscu-
 lum aduersus merita bonorum operum in aliud opusculum immutarunt,
 mentita inscriptione Ioannis Episcopi Rosensis De misericordia Dei,
 consimili fraude conciones Italicas Bernardini Ochini, apostatæ & hære-
 tici, uerterunt in conciones Thomæ ordinis prædicatorum, episcopi Iu-
 stinopolitani.

A ET QVASI hæc detestanda scriptorum metamorphosis uideretur
 Proteis, ac personatis hisce histrionibus aut nullius, aut parui admodum
 esse momenti; iterum longè pestilentiori audacia irruerunt in labores or- **C**
 thodoxorum patrum, usurpantes sibi in scriptis præcipuè antiquorum
 tyrannicam quandam potestatem iudicandi, censendi, in dubium reuo-
 candi, repudiandi, mutilandi, rescindendi, & pro animi libidine submo-
 uendi, ac penitus abolendi quæcunque ipsorum insano gustui non place-
 rent. Ex his, ne singula recenseam, satis sint pro exemplo Oecolampa-
 dius, Lutherus, & Erasmus. quorum prior libros Ambrosij De sacra-
 mentis, tanquam Ambrosio parente indignos, ex Ambrosianis operibus
 non alia de causa amouit, quàm quòd ij hæresim suam de sacramento
 euerterent, alter opera Dionysij Areopagitæ nomine celebrata, & tot **D**
 iam sæculis sub eius autoritate à magnis autoribus in testimonium gra-
 uissimarum rerum producta, omnia prorsus abiecit, offensus, ut ipse in-
 quit, Platonicis somnijs, & imperitis ac frigidis allegorijs, in quibus au-
 tor ille perpetuo luderet. tertius uerò, quem hæretici honoris gratia
 Censorem ecclesiasticæ bibliothecæ appellare non uerentur, tanta auto-
 ritate, ne dicam temeritate, censoriam uirgam arripuit in sacros magni
 nominis autores; ut ex ipsorum egregijs lucubrationibus magnam par-
 tem aut omnino sustulerit, aut in infimas uilium scriptorum classes re-
 degerit, adimens à Cypriano dimidiam penè laborum partem, Hierony-

A mo quartam, Ambrosio ex quatuor tomis unum, Chrysofostomo unius to-
 mi dimidium, Augustino libros, siue opuscula plus, quàm sexaginta;
 quorum licet fatear aliqua non immeritò fuisse expuncta, plurima tamen **5**
 sunt indignè temereq; explosa. Prætereo innumerabilia ac fere infir-
 mita iuris pontificij, & scholasticæ theologiæ uolumina, quæ impius hæ-
 reticorum furor è sacris bibliothecis tanquam tyrannica, barbara, & so-
 phistica turpiter eiecit, ac publicis etiam flammis incendijs exusit.
 OMITTO breuitatis gratia prophanos quosdam temeratores; qui,
 uelut lolium tritico, & fæcem uino, commiscent scriptis patrum suas **6**
 nugas, naniàs, & errores tali mistione, atque compage, ut sine to-
 tius operis iactura diuelli non possint à ueris autorum operibus, & diffi-
 cilè etiam distingui. cuius generis sunt Præfationes, Argumenta, Coro-
 nides, Appendices, Corollaria, Summaria, Glossemata, Annotamenta,
 Scholia, Castigationes, Obseruationes, Censuræ, Antidoti, milleq; alia
 impudentissimæ temeritatis parerga, ab Oecolampadio & Luciano in
 Chrysofostomum, à beato Renano in Tertullianum, & ab Erasmo in Hila-
 rium, Hieronymum, & Augustinum collata, nuperq; ex decreto sanctæ **7**
 Romanæ ecclesiæ damnata. Ac, ne lectorem in re adeò manifesta
 diutius morer, taceo sacrorum autorum translationes, & impresiones
 tam multis in locis de industria ab hæreticis immutatas, deprauatas, fals- **8**
 fatas, & ad hæreses ipsorum uolenter detortas: uenio autem ad beatos
 utriusque testamenti scriptores: quos cum maximè propter diuini uerbi
 maiestatem, & indubitata fidei nostræ autoritatem debuissent intactos
 seruare, & intemeratos relinquere; in nullos tamen efferatius, quàm in
 eos debacchati sunt apri isti plus, quàm syluestres. ex quibus alij, ab ipsis **8**
 diuinæ scripturæ translationibus initium contentionis excitantes, sacrile-
 ga uoce proclamant, omnes editiones, quas usque in hanc diem, ut ueras
 & certas, uenerata est fidelium ecclesia, esse maiori ex parte malè uersas,
 perperam descriptas, contaminatas, immutatas, multis in locis falsatas,
 abrafas, superadditas, & modis omnibus pessimè tractatas; proindeq; opus
 esse ad sinceram sanctorum uoluminum lectionem nouis, ueris, & emen-
 datis uersionibus: quales proximis annis emiserunt Pellicanus, Zuin-
 glius, Lutherus, Musterus, Erasmus, Castalio, pluresq; alij prophanarum
 nouitatum autores: qui ex græco & hebræo fonte sancta Biblia in uarias
 diuersarum gentium linguas, iuxta suorum dogmatum placita transla-
 lerunt, adiectis scholijs, glossematis, argumentis, summarijs, titulis, & in-
 dicibus pestilentissimis: quibus diuinas scripturas eloqui cogant quic-
 quid ipsi uoluerint, & quicquid impietatis commenti fuerint.

ALII AB ipsa diuinarum literarum autoritate sceleratius, magisque ^A impiè bellum aggressi, numerum nobis utriusque testamenti uoluminum imminuunt, & ad minorem summam redigunt: inter quos Lutherus, & Zuinglius ex ueteri primùm testamento eliminant libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobix, Esther, Iudith, Baruch, Maccabæorum, & Danielis partem, ueluti apocrypha & incertæ autoritatis ac fidei scripta. Ex nouo autem instrumento iidem nobis auferunt Epistolam Pauli ad Hebræos, Epistolas Iacobi, & Iudæ, secundam Petri, & secundam ac tertiam Ioannis epistolas, ut parum euangelicas, & apostolico nomine indignas. Calvinus ex Ioannis euangelio mulieris adulteræ historiam abscindit. ^B Musculus ex euangelio Marci, de cuius autore & inscriptione pridem addubitauerat Erasmus, detruncat postremum capitulum. Erasmus Apocalypsin Ioannis, prius à Luthero damnatam, à nouo testamento reuellit: falliç eos pronunciat, qui eam esse credunt Ioannis Euangelistæ; de cuius etiam priore epistola rescidit testimonium illud celebratissimum de Unitate Trinitatis ceu asciticium, & aliunde ab Homusianis intrusum.

¹⁰ Fanatici furentesç Anabaptistæ superbè iactant totum diuinæ scripturæ corpus undequaq; corruptum esse, præcipuè uerò in euangelicis & apostolicis literis, utpote in quibus multa fuerint ex Mosaicis, & propheticis libris testimonia temerè falsoç à semiiudæis Christianis inserta. ^C

¹¹ ALII è diuerso, augere uolentes sanctorum librorum numerum, proferunt sub nomine diuinorum autorum apocrypha quædam scripta: quæ sunt Protoeuangelium Iacobi, Euangelium Nazaræorum, Euangelium Nicodemi, epistola Pauli ad Laodicenses, Esaiæ uisiones, & alia huiusmodi nuper hæreticorum typis excusa, & scholiis illustrata. Talia quoque sunt hebraicum Matthæi euangelium, hebraica Pauli epistola ad hebræos, Tobix, Iudith, & Maccabæorum hebraica uolumina, longè à nostra uulgata editione diuersa; quæ Musterus ex latino in hebræum sermonem partim à se uersa, partim conficta sub prælum misit, & ueluti ^D ex antiquis Iudæorum archiuis, & ex ipsis autorum suorum archetypis fideliter excepta publicauit. Et, ne singula enumerans, lectorem nimis longa præfatione defatigem, hæc tantum exempli gratia sufficiat indicasse: quæ quidem una cum aliis huius generis imposturis, à nobis in decursu præsentis operis planè detegendis, sic preciosas diuinæ Bibliothecæ opes susç deç iactarunt, & cum sordidis hæreticorum purgamentis conuolutas, in unum indiuulsæ mistionis chaos confuderunt, ut nihil iam difficilior sit, quàm in tanta scriptorum confusione, uera à falsis, pia ab impijs, pura ab impuris discernere, legitima uereç germana à spuris distinguere,

^A guere, & impostorum deprauamenta ab integris & incontaminatis autorum scriptis separare.

HANC ipse tantam orthodoxæ Bibliothecæ calamitatem non sine ingenti cordis tristitia, & assidua mœrentis animi cogitatione considerans, existimaui rem neque omnino superfluum, neque huic iacturæ faciendæ prorsus incommodam me facturum, si ex approbatissimis scriptoribus præfens opus contexerem, octo libris distinctum: quorum argumenta, ut ex his totiùs initi laboris materiam, utilitatem, ordinemç unico intuitu comprehendas, hunc in locum breuiter proponam.

^B PRIMVS igitur liber, De diuinis utriusque testamenti uoluminibus pertractans, singula ipsorum argumenta, autores, autoritatem, rerumç ab ipsis autoribus descriptarum tempora diligentissimè exponet. Librorum octo Bibliothecæ sanctæ argumenta.

SECUNDVS scriptorum omnium, quorum in sacris uoluminibus fit mentio, scripta uniuersa extantia, & non extantia, tam uera & indubitata, quàm apocrypha & pseudepigrapha recenset; ipsorumç argumenta, ac multa in his obscura lucidè explicabit.

TERTIVS, artem exponendi sancta uolumina complectens, sexaginta fere modos explanandi sancta scripta, catholicis expositoribus usitatos, ostendet aptissimis regulis, & exemplis.

^C QVARTVS, catalogum eorum continens, qui diuina uolumina catholicis interpretationibus illustrarunt, comprehendet expositorum omnium, qui ab anno trecentesimo ante Christum natū usç ad hæc tempora sanctos libros rectè pieç exposuerunt, nomina, genus, dignitatem, sæculum, commentariorum numerum, & uarietatem, linguam, stylum, expositionis gentis, exponendi methodum, & præsertim uirorum illustrium uaria de præcipuis expositoribus iudicia. huic accedent, appendicis loco, De hebræis diuinorum uoluminum expositoribus Elenchus, itemç De falsarum inscriptionum causis, & quibus coniecturis earum deprehendatur falsitas, breuis admonitio. ^D

QVINTVS, censorium ius in expositores diuinorum ueteris Testamenti uoluminum sibi uendicans, habebit annotationes, censuras, castigationes, obseruationes, & elucidationes eruditissimorum ecclesiæ doctorum super uariis locis in explanationibus nobiliorum expositorum, partim cautè legendis, partim prorsus uitandis, partim piè interpretandis, aut saltem modestè excusandis.

SEXTVS eodem annotandi studio, & ordine censuras & annotamenta in explanatores librorum noui Testamenti continebit.

SEPTIMVS, aduersus eos decertans, qui libros Noui testamēti hæresibus

8 *F. Sixti Sen. in octo Bib. S. lib. præfatio.*

bus suis obscurare tentarūt, omnes hæreses, quæ ab ascensione Christi usq; in hanc diem aduersus singulas noui Testamenti scripturas exortæ sunt, tã ex ipsis diuinis literis, quàm ex ueterū patrum scriptis acerrimè cōfutabit.

OCTAVVS iisdem armis cunctas hæreses aduersus singula ueteris Testamenti uolumina ab hæreticis excitatas euertet.

HÆC itaq; iuxta propositum ordinem libris octo digesta, non alia de causa collegimus, quàm pio iuuandi studio in publicam omnium sacras literas amantium, cōmoditatem; ut, detectis insidijs, & semotis periculis, & obstaculis penè omnibus, quæ cœlestis sapientiæ auidis hæreticorum fraus opposuit, liceat sanctarum scripturarum studiosis per amplos & amēnos sacrosanctæ Bibliothecæ campos summa cum animi uoluptate liberius, audentius, & inoffensius expatiari. Quamobrem hortor pios lectores, in quorum gratiam hunc qualemcunq; laborem multis uigilijs, sudoribus, & bonarum horarum dispendijs suscepimus, ut, si qua in scriptis meis inuenerint, quæ ad utilitatem legentium iudicent pertinere, gratias agant optimis ecclesiæ autoribus; ex quorum immortalibus monumentis mutuati sumus quicquid huc boni contulimus. si quid autem minus rectè dictum, aut imprudenter aberratum deprehenderit: (nam & homines sumus, & in multis, ut inquit Apostolus, offendimus omnes) iterum eos obsecro, atque obtestor, ne id aut arrogantiæ, aut malitiæ, aut aliis priuatis affectibus meis tribuant; sed imbecillitati potius, ac tenuitati meæ ascribant, modestè corrigentes, & sincerè emendantes quæcunq; ipsis castigatione digna uidebuntur. ipse enim abiectus homunculus, & infimæ conditionis meæ non ignarus, non solum, ut par est, apostolico S. Romanæ Ecclesiæ iudicio me, scripta q̄ mea omnia supplex offero, uerùm etiam cuiusque candidi lectoris calculo eadem castiganda & emendanda uolens libensq; subijcio; admonens eos, qui hæc lecturi sunt, ne à me exigant ornamenta uerborum, & elocutionis elegantiam; quam nec profiteor, nec, si profitear, in tam uaria & inæquali diuersorum scriptorum collectione seruare possim: sed à me rerum ueritatem, qua licuit, oratione & ordine expositam, benignè suscipiant, pronamq; animi mei uoluntatem, atque ardens iuuandi desiderium, & in communem bonorum omnium utilitatem impensum laborem toto pectore amplectantur, orantes dominum nostrum Iesum Christum, ut ex sua largissima bonitate operis nostri principio aspiret, & post initium prosperos usque ad finem successus largiatur. Nos uerò iam designato Bibliothecæ sacrosanctæ labori manus admonere incipiamus.

Iac. 5. a

Autoris
obrelatio.

F. SIXTI

9
F. SIXTI SENENSIS

EX ORDINE PRAEDICATORVM

DE DIVINIS VOLVMINIBVS

BIBLIOTHECAE SANCTAE

LIBER PRIMVS.



A



PRIMUM sacrosanctæ huius Bibliothecæ librum, in quo diuinorum omnium uoluminum enumerationem, ordinem, partitionem, auctoritatem, autores, argumenta, rerumque in ipsis comprehensarum tempora, tanquam prima totius futuri operis fundamenta, posuimus, distinctum esse uolumus in Sectiones tres: quarum prima Scripturas, & Scriptores sanctos, tam ueteris, quàm noui testamenti in primo sacri Canonis ordine collocatos continebit. Secunda Scripturas, & Scriptores sanctos utriusque testamenti, pertinentes ad secundum Canonis ordinem, recensabit. In tertiam & ultimam Sectionem Scripturas, & Scriptores apocryphos, uarijs tam ueteris, quàm noui testamenti locis insertas, relegabimus; uniuersa hæc tum ex ipsis diuinæ scripturæ testimonijs, tum ex ueterum patrum monumentis, tum ex uerisimilibus argumentis summa fide, ac breuitate ostendentes. Sed antequàm propositæ partitionis ordinem exponamus, docendi ratio exigere uideatur, ut primum omnium explicemus, quid sint & Canonica, & Apocryphæ scripturæ; & quomodo inter se differant Canonica tam primi, quàm secundi ordinis scripta.

B

DE SCRIPTVRIS, ET SCRIPTORIBVS

DIVINIS PRIMI ORDINIS

SECTIO PRIMA.

Canonica, & Apocryphæ scripturæ, & Scriptores quid sint.

C



DIVINAE siue Canonicae scripturæ (quas Graeci *διακονικὰ γραφὰ*, hoc est, Testamentaria scripta uocant) illæ sunt, quæ secundum maiorum traditionem per ipsum Spiritum sanctum, ad eruditionem nostram diuinitus inspiratæ creduntur: quarum auctoritas tanta est, ut de fide earum nequas sit dubitare. DIVINI autem & Canonici scriptores illi sunt, qui, spiritu diuino dictante, scripturas canonicas tanta fidei constantia scripserunt, ut eis non firmisimè credere impium sit: de quorum ueneranda auctoritate Augustinus ad Hieronymum scribens, hæc inquit: Ego solis eis scriptoribus, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse firmisimè teneam. at si aliquid in eis offendero, quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud existimem, quàm mendosum esse codicem, uel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, uel me minimè intellexisse non ambigam. alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaue polleant, non ideo uerum putem, quia ita senserunt, sed quia mihi per illos autores canonicos, uel probabiles rationes, quod à uero non abhorreat, persuadere potuerunt.

Hæc Augustinus

gustinus. Porrò libri canonici tam ueteris, quàm noui testamenti, duobus inter fe ordinibus distinguuntur: quorum alter prior est, alter posterior; prior, inquam, ac posterior non autoritate, aut certitudine, aut dignitate, (nam uterque præstantiam, maiestatemque suam ab eodem spiritu sancto accipit) sed cognitione, ac tempore: quibus duabus rebus fit, ut ordo alter præcedat, alter sequatur.

CANONICI primi ordinis, quos Protocanonicos appellare libet, sunt indubitatae fidei libri; hoc est, de quorum autoritate nulla unquam in Ecclesia catholica fuit dubitatio, aut controuersia; sed statim ab initio nascentis Ecclesiae communi omnium orthodoxorum patrum consensu fuerunt recepti, & ad confirmandam fidei nostrae auctoritatem assumpti: quales sunt in ueteri testamento quinque libri Moysis, & in nouo testamento quatuor euangelia, atque alij his similes suo loco numerandi.

CANONICI secundi ordinis (qui olim Ecclesiastici uocabantur, & nunc à nobis Deuterocanonici dicuntur) illi sunt, de quibus, quia non statim sub ipsis Apostolorum temporibus, sed longè post ad notitiam totius Ecclesiae peruenerunt, inter Catholicos fuit aliquando sententia anceps; ueluti sunt in ueteri testamento libri Esther, Tobiae, Iudith, & Baruch, epistola Ieremiae, sapientia Salomonis, Ecclesiasticus, oratio Azariae, Hymnus trium puerorum, Susannae historia, Belis historia, Maccabæorum liber primus, & secundus. similiter & in nouo Testamento, Marci caput ultimum, Lucae historia de Sudore Christi sanguineo, & apparitione angeli, Ioannis historia de muliere adultera, epistola ad Hebraeos, Iacobi epistola, Petri epistola secunda, Ioannis epistola secunda & tertia, Iudae epistola, Ioannis Apocalypsis, atque alij eiusdem generis libri, quos olim prisci Ecclesiae patres, tanquam apocryphos & non canonicos, habuerunt; eosque apud solos cathecumenos, nondum canonicae lectionis capaces, ut in Synopsi testatur Athanasius, primum legi permiserunt. demum procedente tempore, ut Rufinus in Symbolo scribit, apud omnes fideles recitari concesserunt, non ad dogmatum confirmationem, sed ad solam populi instructionem: & quia publicè in ecclesia legerentur, Ecclesiasticos nuncuparunt. demum uerò inter scripturas irrefragabilis auctoritatis assumi uoluerunt.

APOCRYPHAE autem, idest absconditae, occultae, uel dubiae scripturae, duobus modis dicuntur, uel quia ipsarum autor incertus est. quo sanè modo contingere potest etiam aliquos ex canonicis libris esse apocryphos; quia non omnino Ecclesiae certum est, & compertum, quis hominum fuerit illorum scriptor, cum tamen ipsa certissimè credat illorum autorem fuisse spiritum sanctum. uel alia ratione dicuntur apocryphae, hoc est absconditae, ignotae, incertae, & obscurae auctoritatis, quia non certè sciuerint, nec definire auferint ecclesiastici patres, an essent à scriptoribus suis afflatu spiritus sancti conscriptae: & ob id noluerunt eas uel ad confirmationem dogmatum christianae fidei proferri, uel ad plebis aedificationem publicè in Ecclesia legi, & in templis pronounciari, sed priuatim, & domesticè legi permiserunt. tales sunt tertius & quartus Esdrae libri, Maccabæorum tertius & quartus liber, item Appendix libri Esther, Appendix libri Iob, Appendix psalterij, Appendix Paralipomenon, atque his affines scripturae, quas in tertiam Sectionem reiecimus. Solet etiam in decretis pontificum apocryphi nomen ad interdicta, prorsusque damnata hæreticorum scripta interdum transferri. qua quidem significatione idcirco in præsentia non utimur, quia in uulgatis catholicorum Biblijs nullam credamus partem esse, quam apostolica Ecclesia uel hæreticam pronunciauerit, uel christianis interdixerit. Cum igitur uniuersum, quod nunc apud catholicos extat, Bibliorum corpus triplici librorum discrimine distinguatur, uidelicet canonicis primi ordinis, canonicis secundi ordinis, & apocryphis: incipiemus ab enumeratione, ac multiplici partitione canonicorum uoluminum primi ordinis, quæ in ueteri testamento tam apud nos, quàm apud hebraeos continentur, itidem postea facturi de libris primi ordinis, quos noui testamenti scriptura complectitur.

+ Appendix ita recepta ab Ecclesia sunt canonici, minime computandi inter apocryphas scripturas, iuxta decretum Concilii Tridentini sessione 16a

De uarijs supputationibus librorum Canonice ueteris Testamenti, qui in primo sacri canonis ordine reponuntur.



RIMI ordinis uolumina, quæ sola apud hebraeos in autoritate habentur, Iudæi triplici numerorum uarietate supputare solent. Quidam, inter quos Iosephus & Philo, supputant sacros libros iuxta numerum hebraicarum literarum: ut quemadmodum sunt apud hebraeos duæ & uiginti literæ, quibus omnia, quæ dici scribiq; possunt, comprehenduntur; ita uigintiduo uolumina sint quibus continentur omnia, quæ de diuinis rebus sciri & enunciari queant. quam enumerationem sequuti sunt inter christianos Origenes, Epiphanius, Gregorius Theologus, Hieronymus, & Rufinus. Alij ex Iudæis, de quorum numero sunt Aben Ezra & Dauid Kimchi, uiginti quatuor libros ueteris testamenti recensent, iuxta eundem literarum numerum, ter tamèn repetita litera Iod in honorem diuini nominis. solent enim Iudæi nomen illud Dei quadriliterum, quod apud ipsos propter Dei reuerentiam lingua & uoce proferre nephastum est, triplicata litera Iod Chaldaico more conscribere hoc modo. Hanc partitionem nonnulli ueterum Græcorum, quod aptissimè conueniret numero uiginti quatuor græcarum literarum, susceperunt; & latinorum plerique, tam prisci quàm recentiores, pari studio complexi sunt, respicientes ad mysticum illum numerum uiginti quatuor seniorum, quos Ioannes in Apocalypsi induxit adorantes Agnum aperientem librum ob signatum septem sigillis, quem nemo aperire potuit neque in celo neque in terra, & exclamantes, Dignus es domine aperire librum, & soluere signacula eius. Rursus hebraeorum nonnulli uiginti septem libros numerare consueuerunt iuxta numerum uiginti septem characterum iudaicorum, resultantem ex uiginti

duobus simplicibus elementis, quibus constat totum hebraicum alphabetum, & ex quinque finalibus seu repetitis, seu duplicibus literis. quinque enim sunt apud hebraeos geminatae, siue bifonnes literæ, quæ in fine dictionum aliter scribuntur, quàm in principio & in medio, uidelicet 5 caph, 6 mem, 7 nun, 8 phe, 9 zaddi; quæ in fine dictionum his figuris notantur, 7 caph, 6 mem, 7 nun, 9 phe, 7 zaddi. Harum trium supputationum exempla hæc sunt.

Apoc. 5. b

SVPPVTATIO PRIMA, A

LIBROS VIGINTI DVOS VETERIS

Testamenti, iuxta numerum uiginti duarum literarum hebraici alphabeti enumerans, adiectis Iudaicis librorum inscriptionibus. B

| | |
|----|---|
| א | Genesis בראשית Berescith. i. in principio. |
| ב | Exodus שמות ואלה שמות Ve elle scemoth. i. Et hæc sunt nomina. |
| ג | Leuiticus ויקרא Va ijkra. i. Et uocauit. |
| ד | Numeri ידבר Va iedaber. i. Et locutus. |
| ה | Deuteronomion דברים אלה Elle addeuarim. i. Hæc sunt uerba. |
| ו | Iosue יהושע Ieoscua. |
| ז | Iudicum & Ruth שופטים ורות Sciopthim, ue Ruth. |
| ח | Regum 1. & 2. שמואל Scemuel. |
| ט | Regum 3. & 4. מלכים Melachim. |
| י | Esaias ישעיהו Iescahiau. |
| יא | Jeremias ירמיהו Irmeiau. |
| יב | Ezechiel יחזקאל Iechezkel. |
| יג | XII. Prophetæ min. תריעשר Thirchesser. |
| יד | Liber Psalmodum ספר תהלים Sepher Theillim. |
| טו | Prouerbia משלי Miscle. |
| טז | Iob איוב Iiob. |
| יז | Daniel דניאל Daniel. |
| יח | Ezra עזרא Ezra. |
| יט | Paralipomenon דבריהמים Diurehaiamim. |
| כ | Esther אסתר Esther. |
| כא | Ecclesiastes קהלת Koeleth. |
| כב | Canticum Canticorum שיר השירים Scir ha scirim. |

C

| | |
|-------|-------|
| ושע | ושע |
| יואל | יואל |
| עמוס | עמוס |
| עבדין | עבדין |
| יונה | יונה |
| מיכה | מיכה |
| נחום | נחום |
| חבקוק | חבקוק |
| צפניה | צפניה |
| חגי | חגי |
| זכריה | זכריה |
| מלאכי | מלאכי |

SVPPVTA-

SVPPVTATIO SECUNDA, A

IVXTA VIGINTI QVATVOR HEBRAICA elementa, quæ ex uno ac uiginti characteribus Iudaicis, & ex litera Iod, ter propter reuerentiam diuini nominis repetita, resultant, continet autem libros uet. testamenti uiginti quatuor: quorum quidem numerus respondet etiam uiginti quatuor literis alphabeti græcorum, apud quos græcanicæ librorum inscriptiones hæc sunt.

| | | | | |
|---|----|---|---|---|
| B | 1 | Α | A | Genesis Γένεσις, id est Generatio. |
| | 2 | Β | B | Exodus Ἔξοδος. i. Exitus, siue profectio. |
| | 3 | Γ | Γ | Leuiticus Λευιτικόν. i. Leuiticus. |
| | 4 | Δ | Δ | Numeri Ἀριθμοί. |
| | 5 | Ε | E | Deuteronomion Δευτερονόμιον. i. secunda lex. |
| | 6 | Ζ | Z | Iesus Naue Ἰησοῦς Ναυῆ. |
| | 7 | Η | H | Iudices Κριταί. |
| | 8 | Θ | Θ | Regum 1. & 2. Βασιλείων α. κ' β'. |
| | 9 | Ι | I | Regum 3. & 4. Βασιλείων γ. κ' δ'. |
| | 10 | Κ | K | Esaias Ησαίας. |
| | 11 | Λ | Λ | Jeremias Ιερεμίας. |
| | 12 | Μ | M | Ezechiel Ιεζεκιήλ. |
| C | 13 | Ν | N | Prophetæ xii Προφήται ιβ'. |
| | 14 | Ξ | Ξ | Psalterium Ψαλτήριον. |
| | 15 | Ο | O | Prouerbia Salom. Παροιμίαι Σαλωμ. |
| | 16 | Π | Π | Iob Ιώβ. |
| | 17 | Ρ | P | Daniel Δαριήλ. |
| | 18 | Σ | S | Esdraς Εσδρας. |
| | 19 | Τ | T | Paralipomenon Παραλιπομένων, id est pratermissorum. |
| | 20 | Υ | Y | Esther Εσθήρ. |
| | 21 | Φ | Φ | Ruth Ρούθ. |
| | 22 | Χ | X | Ecclesiastes Εκκλησιαστής. |
| | 23 | Ψ | Ψ | Canticum Canticorum Ἀσμα Ἀσματων. |
| | 24 | Ω | Ω | Lamentationes Ιερειῶν Θρήνοι Ιερειῶν. |

| | |
|-----------|----------|
| Ofee | Ωφει |
| Ioel | Ιωηλ |
| Amos | Αμωσ |
| Abdiu | Αβδιου |
| Ionas | Ιωνᾶς |
| Michæas | Μιχαίας |
| Naum | Ναουμ |
| Abbacum | Αββακκμ |
| Sophonias | Σοφορίας |
| Aggæus | Αγγαίος |
| Zacharias | Ζαχαρίας |
| Malachias | Μαλαχίας |

B 3 SVPPVTA-



SUPPUTATIO TERTIA

IVXTA VIGINTI SEPTEM LITERAS

hebræas, nimirum uigintiduas simplices literas, quæ alphabetum hebraicum conficiunt, & quinque duplices seu repetitas literas, continens libros ueteris testamenti uiginti septem.

- 1 a Genesis
- 2 b Exodus
- 3 c Leuiticus
- 4 d Numeri
- 5 e Deuteronomion
- 6 f Iosue
- 7 g Iudicum
- 8 h Ruth
- 9 i Regum primus
- 10 k Regum secundus
- 11 l Regum tertius
- 12 m Regum quartus
- 13 n Paralipomenon primus
- 14 o Paralipomenon secundus
- 15 p Esdras
- 16 q Nehemias
- 17 r Esther
- 18 s Iob
- 19 t Psalterium
- 20 u Prouerbia
- 21 v Ecclesiastes
- 22 x Canticum canticorum
- 23 y Esaias
- 24 z Ieremias cum Threnis
- 25 aa Ezechiel
- 26 ab Daniel
- 27 ac Duodecim Prophetæ minores.

Atque hæc de supputationibus librorum ueteris testamenti, qui in primo ordine sacri canonis ponuntur, dicta sint. Nunc in quot, & quas les partitiones eadem sancta uolumina tam à Græcis, quam à Latinis & Hebræis autoribus distribui soleant, breuiter dicamus.

DE VARIA

A DE VARIA PARTITIONE LIBRORVM

Canonicorum ueteris Testamenti, qui in primo sacri Canonis ordine collocantur.



RES, ut iam ostendimus, sunt modi supputandi sancta ueteris pacti uolumina apud sacros expositores: ex quibus illi, qui tertiam sequuntur supputationem, nulla, ut arbitror, ad distinguendos diuinos libros partitione utuntur. At, qui primam supputationem amplectuntur, duo & uiginti iam enumeratos libros quatuor inter se diuersis partitionibus discernunt. Illi uerò, quibus secundum enumerationis genis placet, quatuor & uiginti libros distribuunt in tres partitiones, alteram ab altera differentes: quarum prima tres classes librorum habet, secunda uerò classes quatuor, & tertiasimiliter quatuor, quarum coordinationes hic per ordinem subnectuntur.

PARTITIO PRIMA

DVORVM ET VIGINTI VOLVMINVM

ueteris Testamenti in tres classes, hoc est in libros Legis, Prophetarum, & Psalmorum seu Carminum: qua quidem (ut refert Lucas) usus est dominus noster Iesus Christus post resurrectionem suam, cum aperiens discipulis sensum scripturarum, interpretatus est eis, quæcunque de ipso scripta erant in Lege, Prophetis, & Psalmis. Iosephus quoque in primo libro aduersus Apionem grammaticum eandem partitionem sequutus est.

LXXII.

C Legis libri v.

- 1 Genesis
- 2 Exodus
- 3 Leuiticus
- 4 Numeri
- 5 Deuteronomion.

Prophetarum libri XIII.

- 6 Iosue
- 7 Iudicum & Ruth
- 8 Samuel
- 9 Melachim
- 10 Paralipomenon
- 11 Ezdras
- 12 Esther
- 13 Iob
- 14 Esaias
- 15 Ieremias & Threni
- 16 Ezechiel
- 17 Daniel
- 18 XII. Prophetæ minores.

Psalmorum, seu Hymnorum, uel Carminum libri XIII.

- 19 Dauid
- 20 Prouerbia
- 21 Ecclesiastes
- 22 Canticum canticorum.

PARTITIO

PARTITIO SECUNDA

duorum & uiginti hebraicorum uoluminum, quam Epiphanius Salaminæ Episc. in libro, cui titulus est De partibus diuinæ scripturæ, & Ioan. Damascenus in 4. libro De orthodoxâ fide digesserunt in quatuor Quinarios, uidelicet Legalem, Agiographum, Carminium, Propheticum, & præter hos in Binarium unum.

Legalium Quinarius primus.

- 1 Genesis
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomion.

Agiographum Quinarius secundus.

- 6 Iosue
7 Iudicum, & Ruth
8 Regnorum primus cum secundo
9 Regnorum tertius cum quarto
10 Paralipomenon duo.

Carminum Quinarius tertius.

- 11 Iob
12 Psalterium
13 Prouerbia
14 Ecclesiastes
15 Cantica.

Prophetarum Quinarius quartus.

- 16 Prophetæ minores duodecim
17 Esaias
18 Ieremias
19 Ezechiel
20 Daniel.

Binarius

- 21 Esdras
22 Esther.

PARTITIO TERTIA

DVORVM ET VIGINTI LIBRORVM ueterum primi ordinis, in tres classes à Gregorio Theologo distributa, hoc est, in libros Historicos, Poeticos, & Propheticos.

Historici libri duodecim.

- 1 Genesis
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomium
6 Iosue
7 Iudicum
8 Ruth
9 Regum primus, & secundus
10 Regum tertius, & quartus
11 Paralipomenon
12 Esdras.

Poetici, seu carminei libri quinque.

- 13 Iob
14 Dauid
15 Prouerbia
16 Ecclesiastes
17 Cantica.

Prophetici libri quinque.

- 18 Prophetæ duodecim minores
19 Esaias
20 Ieremias
21 Ezechiel
22 Daniel

Hanc librorum seriem Gregorius Theologus in libro suorum carminum his græcis hexametris, ac pentametris aliquot breuiter complexus est.

A Δέχουσο πέτορ έμείο φη έγγιγοτο άφίλ άριθμόρ
Iστορικώ μέν έασι βίβλοι δυωκαίδεκα πάσαι,
Τής άρχαιοτέρης έβραϊκής σοφίης.
Πρωτίη Γένεσις, έτ' Έξοδος Λαυτικόντε
Έπητ' Άριθμοί, έτα Δούτερος νόμος.
Έπητ' Ιησός, και Κριτάι, Ρέζ όγδών,
Ηδέ ενάτη δευάτητε βίβλοι. Πράξίς βασιλήωρ,
Και Παραλειπόμενοι, έσχατορ Έσδραρ έχας
Αί δέ σιχηράι πέτε, ών πρώτοσγ Ιώβ.
Έπειτα Δαυίδ. έτα τρείς Σολομώντεια
Έκκλησιαστής. Α'σμα, και Παροιμίαι.
Και πένο' όμώιωσ πνώματοσ προφητιώδ.
Μίαρ μέν άσιν έσ γραφήρ οι δώδεκα
B Ωσπέ, η' άμώσ, και Μιχαήλσ ό τρίτοσ.
Έπητ' Ιωήλ. έτ' Ιωνάσ, Α'βδίασ.
Ναόμτε, Αβραάμτε, και Σοφορίασ.
Αγγαίωσ, έτα Ζαχαρίασ. Μαλαχίασ.
Μία μέρ υ'δέ, δαυτέρα δέ Η'σαίασ,
Έπητ' ό κληθείσ Ιερεμίασ έν βρέφεσ,
Έτ' Ιεζεχιήλ. και Δανιήλσ χάρισ.
Αρχαίασ μέρ έθνηκα δύνω και είκοσι βίβλοι,
Τέσ τών έβραϊώρ γραμμασιν άντιθέτοσ.

Quæ nos, utcunque sic uertimus.

Suscipe sanctorum numerum, nomenque librorum,
Et primum historicos bis senos ordine: quorum
C Primus adest Genesis, dein Exodus, atque Leuites,
Et Numeri, Legisque iterum repetita uoluntas.
Hos Iesus, Critæque, & Ruth Moabita sequuntur.
Hinc nonus, decimusque tenent gesta inclyta Regum:
Undecimo annales ueniunt: est ultimus Esdra.
Sunt quoque carminei quinque. horum primus Iob est.
Proximus est huic Dauid rex, & tres Salomonis,
Scilicet Ecclesiastes, & Prouerbia, Cantus.
Post hos sanctorum mox quinque uolumina Vatum.
Ex quibus bis sex libro retinentur in uno,
Oseas, & Amos, Michas, Iosue, & Ionasque,
Abdias, & Naum, Abacuch, & Sophonias,
Aggeus latus, Zacharias, & Malachias.
D Hi primum librum, tenet Esaiâ secundum.
Post hos Ieremias matris de uentre uocatus.
Ezechiel domini robur, Danielque supremus.
Hæc ueteris septem, ac ter quinque uolumina pacti
Bina & uiginti Solymorum elementa figurant.

Nec mirum tibi uideatur optime lector, nullam à Gregorio fieri in hac partitione mentionem libri Esther, quem Hebræi in suo canone suscipiunt. nam & hunc Melito Sardenfis episcopus in epistola ad Onesimum, canonicos libros enumerans, prætermittit; & D. Athanasius in Synopsi diuinæ scripturæ à canonicis uoluminibus nominatim refecat, quòd nondum temporibus illis firma esset apud omnes ecclesias libri huius autoritas, quam additiones quædam, (ut postea indicabimus) libro insertæ, suspectam fecerant.

PARTITIO QUARTA duorum & uiginti hebraïcorum uoluminum, à ueteribus Iudæis in tres classes distributa, hoc est in Legalia, Prophetica, & Agiographa; quam Hieronymus in præfatione libri Regum, & Isidorus in sexto Etymologiarum amplectuntur.

Legales libri quinque.

- 1 Genes
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomion.

Prophetici libri octo.

- 6 Iosue
7 Iudicum, & Ruth
8 Samuel
9 Melachim
10 Esaias
11 Ieremias cum Threnis
12 Ezechiel
13 Prophetæ duodecim minores.

Agiographi libri nouem.

- 14 Iob
15 Psalterium
16 Prouerbia
17 Ecclesiastes
18 Cantica
19 Daniel
20 Paralipomenon, siue Chronicon
21 Esdras, & Nehemias
22 Esther.

PARTITIO QUINTA QUATVOR ET VIGINTI librorum ueteris Testamenti in tres classes, uidelicet Legalem, Propheticam, & Agiographam, usitata apud priscos Latinos; cuius meminit Hieronymus in præfatione libri Regum, & Danielis.

Legales libri quinque.

- 1 Genes
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomion.

Prophetici libri octo.

- 6 Iosue
7 Iudicum
8 Samuel
9 Melachim
10 Esaias
11 Ieremias
12 Ezechiel
13 Prophetæ duodecim minores.

Agiographi libri undecim.

- 14 Iob
15 Psalms
16 Prouerbia
17 Ecclesiastes
18 Cantica
19 Daniel
20 Paralipomenon
21 Esdræ duo
22 Esther
23 Ruth
24 Cinoth, siue Lamentationes.

A PARTITIO SEXTA, qua recentiores Iudæi עשרים ו ארבע Hefrim ue Arba, hoc est uigintiquatuor ueteris Testamenti libros in quatuor series partiuntur, scilicet in תורה Thora, id est Legem; in נביאים ראשונים Neuiim Rifonim, id est Prophetas priores; in נביאים אחרנים Neuiim Acharonim, id est Prophetas posteriores; & in כתובים Chethuim, i. Scripturas, uel, ut græci dicunt, ἁγία γράφα, i. Sancta scripta.

תורה Thora, hoc est Legi, quæ חומשי חומשי, id est Quinarius à numero uoluminum dicitur, libri V.

- 1 Genes
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomion.

נביאים ראשונים Neuiim Rifonim, id est Prophetarum priorum, libri IIII.

- 6 Iosue
7 Iudicum
8 Samuel
9 Melachim.

נביאים אחרנים Neuiim Acharonim, id est Prophetarum posteriorum, libri IIII.

- 10 Esaias
11 Ieremias
12 Ezechiel
13 Thire Haser, hoc est Duo decim prophetæ minores.

כתובים Chethuim, id est Scripturarum, libri XI.

- 14 Psalterium
15 Prouerbia
16 Iob
17 Daniel
18 Ezra
19 Paralipomenon
20 Ruth
21 Esther
22 Ecclesiastes
23 Canticum Canticorum
24 Lamentationes.

PARTITIO SEPTIMA quatuor & uiginti sanctorum ueteris Testamenti librorum, à recentioribus Latinis in classes quatuor digesta, nimirum in Legalem, Historicam, Paræneticam, & Propheticam.

Legales libri quinque.

- 1 Genes
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomion.

Historici libri nouem.

- 6 Iosue
7 Iudicum
8 Ruth
9 Regum primus, cum secundo
10 Regum tertius, cum quarto
11 Paralipomenon duo
12 Esdras
13 Esther
14 Iob.

Parænetici libri tres.

- 15 Prouerbia
16 Ecclesiastes
17 Cantica.

Prophetici libri septem.

- 18 Daud
19 Esaias
20 Ieremias
21 Threni
22 Ezechiel
23 Daniel
24 Prophetæ duodecim minores.

DE ARGUMENTIS, AVTORIBVS, AC TEMPORIBVS
LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI, QVI IN
PRIMO CANONIS ORDINE COMPVTANTVR.



ACTENVS diuersas enumerationes, & partitiones varias librorum ueterum primi ordinis, quos solos hebræi recipiunt, & hebraicè scriptos legunt, generatim recensuimus: nunc singulorum autores, argumenta, rerumq; in eis descriptarum tempora particulatim explicabimus.

PENTATEUCHVS.



LIBER LEGIS Domini, seu uolumen legis Moysi (nam utroque modo sacra litera ipsum uocant) ab Hebræis תורה Thora, hoc est Lex, & à Græcis Πεντατεύχος Pentateuchus, hoc est Quintuplex uolumen appellatur. hunc Moyses, filius Amram, nepos Chaath, pronepos Leui patriarchæ, hebræorum dux, & legislator conscripsit. quod & ipse sic testatur in libro Exodi, **EXOD. 24.** SCRIPSIT autem Moyses uniuersos sermones domini; assumensq; uolumen fœderis legit, audiente populo. & iterum in Deuteronomio addit, **DEUT. 31.** POSTQVAM scripsit Moyses uerba legis huius, atque compleuit, præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis domini, dicens, **DEUT. 34. b** Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis domini Dei uestri. Quod autem in calce Deuteronomij additur de morte, & sepultura Moysi usque ad calcem libri, Esdræ nonnulli adieçisse credunt. Porrò, qua ratione Moyses uniuersum hoc opus in partes digesserit, & inscripserit, non satis constat. Hebræi (ut Philo Iudæus in libro De mundo, & Iosephus in primo libro contra Apionem referunt) in quinque libros totum uolumen partiuntur, eosq; ab inchoatione eorundem librorum inscribunt.

PRIMVS igitur liber, continens successione humanæ profapiæ usque ad mortem Ioseph, hoc est gesta annorum duorum millium trecentorum & octo, uocatur apud eos Berescith, hoc est In principio; quia ab his uocibus liber ille incipiat. Secundus, continens gesta annorum centum & quadraginta sex, à morte uidelicet Ioseph usque ad constructionem tabernaculi in deserto, uocatur Veellesemoth, id est Hæc sunt nomina. Tertius, unius mensis historiam continens, hoc est ab erectione tabernaculi in deserto usque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum, dicitur Vaiikra, id est Et uocauit. Quartus, continens narrationem triginta octo annorum, mensium nouem, & dierum uiginti, hoc est à prima die secundi mensis anni secundi egressione de Aegypto usque ad mansionem in campestribus Moab super Iordanem, ubi postea mortuus est Moyses, dicitur Waiedaber, hoc est Et locutus est. Quintus, enarrans facta mensium duorum nouissimi anni uitæ Moysi in campestribus Moab, uocatur Helle hadduarim, hoc est Hæc sunt uerba. Græci uerò, eandem partitionem sequentes, libros longè aliter inscribunt. Primus enim apud eos appellatur Genesis, hoc est generatio; quia exordium mundi & generatio sæculi in eo continentur. Secundus Exodus, id est exitus, qui exitum populi Israelitici de Aegypto narrat. Tertius Leuiticus inscribitur, quod Leuitarum ministeria, sacrificia, leges, ritusq; comprehendat. Quartus Arithmi, id est Numeri, quod in eo egressa de Aegypto tribus dinumerantur, & quadraginta duarum per eremum mansionum numerus recensetur. Quintus Deuteronomion, hoc est secunda lex inscribitur, quia in eo repetitio legis iterum fiat. Philo Iudæus putat Moysen harum posteriorum inscriptionum

Anum fuisse autorem, ita in libro De mundo scribens; MOSES genitum, & incorruptibilem asseruit mundum in sacris libris. sunt autem quinque, quorum ipse primum Genesim inscripsit, qui hoc modo incipit; In principio fecit Deus cælum & terram. & in libro De migratione Abrahæ, Rectè, ait, sacer uates Moyses unum integrum legis librum Exodum intitulauit nomine conueniente contentis in ipso oraculis. Hæc ille. Mihi tamen uerosimilius uidetur non Moysen, sed septuaginta interpretes, ut pote græcos, has nouas & græcas librorum inscriptiones excogitasse. Collegit autem Moyses hisce libris historiam ab initio mundi usque ad annum centesimum ac uigesimum uitæ suæ: in quo nec motis dentibus, neque caligantibus oculis integro corpore mortalitatem exiit, hoc est usque ad annum post orbem conditum bis millesimum quadringentesimum nonagesimum secundum, & ante Christum natum millesimum quadringentesimum & septuagesimum iuxta hebraicam sanctarum scripturarum, atque Philonis Iudæi supputationem. Reliquos uerò octo uersus ab eo uidelicet **DEUT. 34.** loco, ET MORTVVS EST MOYSES, usque in finem totius uoluminis, Iosue post mortem Moysi supleuisse creditur: tamen Iosephus asserat, quod Moyses, mox mortiturus, se ipsum in sacris uoluminibus mortuum scripserit, ueritus ne propter excellentes uirtutes suas Iudæi se à Deo raptum prædicarent.

HEBRÆI totum Pentateuchum diuidunt in distinctiones, siue titulos duos & quinquaginta hoc est Genesim in undecim, Exodum in undecim, Leuiticum in decem, Numeros in decem, Deuteronomion in decem. quas etiã distinctiones inscribunt à dictionibus ipsarum initialibus, appellantes primam בראשית berescith, hoc est in principio; secundam בראשית Noach, siue Noe; tertiam לך לך lec leca, id est egrediens egredere; & sic deinceps alias usque ad ultimam. Omnes autem Pesukim, hoc est uersus, in quos Iudæi uniuersum partiuntur Pentateuchum, sunt quinque millia octingenti & triginta.

SCRIPSIT idem Moyses, ut in epistola ad Cyprianum testatur Hieronymus, præter hos quinque libros (quos Philo Chaldaica lingua ab autore conscriptos refert) etiam psalmos undecim, hoc est à psalmo nonagesimo, cui titulus est ORATIO Moysi serui DEI, usque ad psalmum centesimum, qui prænotatur IN Confessione. Composuit quoque, ut Rabbini Iudæorum tradunt, librum Job. quanquam uulgata græcorum editio in fine eiusdem uoluminis asserat Moysen transtulisse historiam Job ex Syro sermone in hebraicam linguam. Feruntur & alia sub Moysi nomine scripta, de quibus in sequenti libro dicendum est.

IOSUE.



IOSUE liber (quem Hebræi יושוע Iosua, Græci Iesum Naue appellant) nomen accepit ab Osee, filio Num, quem Moyses, commutato nomine, Iosua appellauit, duce tam belli, quam pacis gloria clarissimo; qui, ut legitur in capite ultimo huius libri, scripsit post mortem Moysi omnia uerba, quæ loquutus est ad eum dominus in uolumine legis domini, adiungens illi historiam De transitu filiorum Israel per Iordanem, De subuersione impiorum regnorum, De diuisione terræ promissionis, Deq; cæteris dictis factisq; memorabilibus à morte Moysi usque ad annum decimum septimum ducatus sui: in quo, teste Iosepho, mortuus est uir armis, & religione inclytus annus agens ætatis centesimum ac uigesimum, hoc est anno ab orbe condito bis millesimo quingentesimo decimo, & ante Christi aduentum millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. Cætera, quæ à morte Iosue usque ad finem libri huius scripta sunt, Esdræ adieçisse fama est. Theodoretus tamen censet etiam totum librum longè post mortem Iosue fuisse collectum ex antiquo commentario, cui titulus fuit LIBER IVSTORVM, adductus autoritate uerborum, quæ in decimo huius uoluminis capite habentur, uidelicet, Nonne hæc (haud dubium quin gesta Iosue) scripta sunt in libro iustorum? Continet liber hic apud Iudæos uersus sex millia quadraginta quinque.

IUDICVM, ET RVTH.

A



IUDICVM liber (qui à Iudæis שופטים Sciophtim, à Græcis ἱστῶναι dicitur) sic appellatus est, quia in eo continentur gesta iudicum, & principum Israel; qui populo in terra sancta post Iosue præfuerunt usque ad initium regni Hebræorum, in quo regnauerunt reges. Dicitur autem, Samuelem hunc librum collegisse, eique adiecisse Ruth Moabitidis historiam. sunt qui Ezechiam, & qui Esdram putent utriusque uoluminis autores. Continent autem hi duo libri successiones annorum trecentorum ac decem & septem à morte uidelicet Iosue usque ad primum annum principatus Heli; qui cepit iudicare Israel anno ab orbe condito bis millesimo octingentesimo decimo, hoc est ante Christum millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Iudæi diuidunt uolumen Iudicum in uersus sexcentos, librum uerò Ruth in octoginta quinque.

B

C

REGVM PRIMVS, ET SECVNDVS.



LIBER Samuelis (quem Hebræi שמואל Scemuel, Græci & Latini primum & secundum Regum dicunt) partim à Samuele propheta, partim à Nathan, & Gad prophetis creditur esse conscriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Dauidis, ac sui ipsius gesta; quæ in primo Regum usque ad mortem suam, hoc est usque ad caput uigesimum quintum referuntur. Nathan uerò, & Gad propheta scripserunt libros Regum à morte Samuelis usque in finem libri secundi. quod satis apertè indicare uidetur primus liber Paralipomenon: in cuius calce hæc uerba leguntur; GESTA Dauid priora, & nouissima scripta sunt in libro Samuelis uidentis, & in libro Nathan propheta, & in uolumine Gad. Et quanquam posterior pars huius primi uoluminis à uigesimo quinto capite usque ad finem libri secundi Regum comprehendat Saulis, ac Dauidis historiam: tota tamen ad Samuelem refertur, & de nomine eius inscribitur; quia ipse Saulem primum regem in regno constituit, & David in regem futurum elegit, & unxit. Hanc tamen Isidorus Hispalensis episcopus arbitratur Dauidem regem scripsisse usque ad initium tertij libri, hoc est usque ad annum ab orbe condito bis millesimum nongentesimum ac trigessimum, & ad annum ante Christi ortum millesimum ac trigessimum secundum. Habet apud Hebræos liber primus Regum uersus septingentos nonaginta septem, secundus autem uersus sexcentos septuaginta nouem: uterq; uerò complectitur historiam annorum fermè centum uiginti.

D

E

F

I Par. 29. g

REGVM TERTIVS, ET QVARTVS.



REGVM tertius, & quartus liber (quem Hebræi מלכים Melachim nuncupant, quia in his Regum Iudæ, & Israel gesta per ordinem digerantur) à quo scriptus sit, non satis constat. alij Esdram, alij, inter quos Procopius Gazensis, & Rabbi Moses Kimchi, & Isidorus, Ieremiam hoc opus in unum uolumen collegisse tradunt. quod & propius uero mihi uidetur, quia postremum caput libri Regum cum ultimo capite libri Ieremiæ stylo, uerbis, ac narratione conueniat. Apparet hoc uolumen per compendium fuisse collectum partim ex libris Dierum Regum Iuda, & Israel, partim ex Nathan propheta, Ahia Silonitis, Addo Videntis, & Semeia, Hozai, Iehu, & Esaiæ prophetarum scriptis sapissime in tertio, & quarto libro Regum citatis. Continet autem præsens opus historiam annorum quingentorum triginta septem, hoc est ab ultima senectute Dauidis usque ad excidium Hierosolymitanæ urbis, quod contigit

G

H

contigit

A tigit anno post orbem conditum ter millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, & ante Christum sexcentesimo decimo quinto. Habet apud Hebræos liber tertius Regum uersus octingentos nouem; quartus uerò uersus septingentos duodecim.

PARALIPOMENON LIBRI DVO.



OS duos libros (quos Hebræi דברי הימים Diure haiamim appellant, hoc est Verba dierum, siue Annales, uel Chronica) Græci uocant Πα-ραλιπομένων Paralipomenon, hoc est Pratermissorum, quia ea, quæ uel in Pentateucho, uel in libris Iosue, Iudicum, & Regum aut omissa, aut non plene descripta sunt, breuiter & summatim explicant. Hi nullum certum habent autorem. scribunt tamen Rabbi Salomon, &

B Rabbi Moses Kimchi ex sententia seniorum, Esdram ueriusque fuisse autorem, collegisseque in eis epitomen, & chronicon omnium præcedentium librorum, à principio scilicet diuinæ scripturæ usque in finem quarti Regum. Apud Hebræos præsens historia unico tantum libro continetur, qui tam à Græcis, quam Latinis propter magnitudinem uoluminis in duos libros diuisus est. quod nonnulli etiam in Bruto Ciceronis dialogo fecerunt, distinguentes eum in tres partes. Continent igitur hi duo libri summam annorum trium millium trecentorum & quadraginta septem.

ESDRAE LIBRI DVO.



ESDRAE, siue עזרא Ezra (quem primus Paralipomenon liber Ioseph sacerdotem appellat, & Hebræi Malachiam ultimum prophetarum esse putant) filii Saraia, filii Azaria ab Aaron sacerdote magno duodecimi, scriba legis domini ingeniosus, & uelox, edidit librum sui nominis titulo prænotatum Hebraicis quidem literis, & à se primum repertis, sed Chaldaico sermone digestum. in quo conscripsit

C

D

reditum Israelitici populi ex captiuitate Babylonica in Iudæam, urbisque Hierusalem instaurationem, & noui templi extructionem. Alterum uerò librum, qui Secundus Esdræ inscribitur, & eandem historiam pertractat, scripsit Nehemias, filius Helchia, sacerdos, & in captiuitate pincerna regis Artaxerxis. unde & præfatio libri eius est, Verba Nehemiae, filij Helchia: qui & in omnibus fermè libri sui capitulis de se per primam personam loquitur. Sortitur autem hic liber nomen Esdræ ob causas duas; primum, quod ea continet, quæ simul ab Esdra, & Nehemia gesta sunt: deinde, quod utriusque libri tam apud Hebræos, quam apud Græcos in unum connectuntur uolumen, apud Latinos in duo diuisum. Disident tamen à nobis hac in parte Græci patres; quia quem nos tertium Esdræ librum inscribimus, & inter Apocrypha scripta reijcimus; illi in sacro canone collocant, & primum in ordine librorum Esdræ statuunt, quod ea, quæ in eo narrantur, gesta sunt ante ea, quæ Esdræ & Nehemiae libris continentur. qui uerò apud nos primus, & secundus sunt, illi utrumque sub secundo uolumine Esdræ comprehendunt. quapropter apud eos primi Esdræ initium sic habet; Καὶ ἤγαγεν Ἰωσίας τὸ πάσχα ἐν Ἱερουσαλὴμ. hoc est, Et fecit Iosias pascha in Hierusalem. & diuiditur in capita centum & nouem. Secundus uerò sic incipit; Καὶ ἐν τῷ πρώτῳ ἔτη Κυροῦ βασιλέως Περσῶν. id est, Et in primo anno Cyri regis Persarum. & secatur in capita octoginta. Feruntur & alia sub nomine Esdræ uolumina, quæ in secundo huius operis libro reperies. Claruit Esdras unà cum Nehemia, urbem ac templum instaurans, anno ab orbe condito ter millesimo quadragesimo uigesimo primo; qui fuit Iudaicæ liberationis tertius, & ante Christum quingentesimus quadragesimus primus. & mortuus est in extrema senectute, postquam omnes penè diuinas scripturas in excidio Hierosolymitano à Chaldæis incensas memoriter, & non sine diuinitatis numine fidelissimè, ut prius erant, restituisset, nouis

I Par. 6. b

nouis ac promptioribus ad scribendum repertis literis, ne cum Samaritanis, qui ex gentibus in Iudæam uenerant, Iudæi miscerentur; qui prius ad illud usque tempus alias literas, à Moyse uidelicet traditas, cum Samaritanis communes habebant. quibus nunc literis, figura tantum à Samaritanicis, siue Mosaycis, discrepantibus utuntur Iudæi.

ESTHER.



LIBER אֶסְתֵּר Esther quanquam iuxta ordinem hebraici canonis, & Hieronymianæ partitionis hoc loco recensendus esset: tamen quia Melito Sardensis episcopus, D. Athanasius, & Gregorius Theologus propter quaedam additamenta, ut iam superius admonuimus, ipsum à cæteris Testamentarijs scriptis nominatim separarunt; nos quoque eum in sequenti Sectione inter scripta, ad secundum canonis ordinem pertinentia, primo statim loco describemus.

I O B.



Iob 19. d

Iob 31. c

LIBER יוֹב Iob existimant nonnulli autorem esse ipsum Iob, filium Zareth de filijs Esau, quintum ab Abraham, quartum ab Esau; qui post felicem exitum ærumnarum suarum per se ipsum uictorias suas scribendo impleuit: quod maximè in calamitate sua optauerat, dicens, *Quis mihi tribuat, ut exarentur sermones mei in libro aut stylo ferreo, & plumbea lamina, & celte, ut in perpetuum sint, excindantur in saxo? & alio in loco, Quis mihi tribuat, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat: ut in humero meo illum portem; & circumdem illum, quasi coronam mihi; & per singulos gradus meos pronunciem illum, & quasi principi offeram eum?* Sunt qui uel ab amicis Iob, uel ab aliquo prophetarum id ipsum scriptum esse arbitrentur. Origenes, cui etiam Rabbinus Iudæorum assentiunt, inquit, quod Moyse hanc sanctam historiam prius uel à Iob, uel ab amicis eius conscriptam ex Syro eloquio in hebraicum sermonem transtulit, ad consolationem hebræorum, qui in Aegypto captiui à Pharaone indigna seruitute opprimebantur: ut legentes beati uiri uehementes ac terribiles illos dolores, inuicem se consolarentur; & cum patientia, & gratiarum actione mala, quæ eos circumdederant, sufferrent; & ut optimam remunerationem, quam Deus beato Iob post tolerantiam largitus est, audientes, etiam ipsi liberationem sperarent; & beneficia beatæ mercedis laborum suorum expectarent. Scriptus est liber hic, ut Hieronymus testatur, hebraica lingua, intermissis interdum Arabicis, & Syriacis sermonibus, qui à principio uoluminis usque ad initium tertij capituli apud hebræos soluta oratione progreditur. ab initio autem tertij capituli usque ad initium quadragesimi secundi capituli hexametris uersibus labitur. ex quo loco usque ad finem libri prosa concluditur. Rabbi Leui Ben Gerson in commentarijs super Iob scribit fuisse olim, qui undecim posteriora huius libri capita, hoc est à trigesimo secundo usque ad ultimum reuicerent ceu adsciticia; propterea quod in fine trigesimali primi capituli in hebræis codicibus scriptum inueniatur idem Rabbi Leui improbat, inquit uersiculum illum referendum esse non ad finem simpliciter omnium sermonum Iob, sed ad finem duntaxat disputationum, quas Iob cum tribus amicis Elipha, Baldad, & Sophar habuerat: post quas etiam disputationes sequuntur statim eiusdem Iob cum Eliu amicorum quarto colloquia. Scripsit autem Iob præsentem librum circa annum orbis conditi bis millesimum ac trecentissimum, omnes in eo spiritualis militiæ suæ pugnas, uictorias, ac triumphos eruditissimo, disertissimoque sermone complexus. Passus est autem, Athanasio teste, cum annorum septuaginta natus esset. ita ut omnes ipsius anni fuerint ducenti quadraginta. post acceptas enim plagas, annos adhuc uixit centum septuaginta. tamen si hebraica

Iob 31.

Abraica ueritas testetur eum à recuperata fanitate centum & quadraginta duntaxat uixisse annos. Græci uolumen diuidunt in capita duo & triginta, Latini in duo & quadraginta. sunt & qui apud græcos id ipsum in uiginti colloquia distribuunt hoc ordine:

- DEI ad Diabolum, unum.
- I O B ad amicos, nouem.
- ELIPHAE ad Iob, tria.
- SOPHAR ad Iob, duo.
- BALDAD ad Iob, tria.
- ELII ad Iob, unum.
- DEI ad Iob, unum.

PSALTERIUM.

B



DE AVTORE uoluminis psalmodum (quod hebraicè סֵפֶר תְּהִלִּים Sopher theillim, id est Liber Hymnorum; græcè uerò Ψαλμῶν dicitur) duplex est opinio. Chrysostomus, & Augustinus censent Dauidem regem ac prophetam autorem fuisse omnium psalmodum. ex quibus ipse quosdam ore proprio cecinit; cæterorum uerò psalmodum sola argumenta edidit: eaque tradidit cantoribus, in templo Dei ab ipso ordinatis: qui accepta argumenta carminibus descripserunt, & ad uarios cantus, & organa musica accommodarunt, eaque proprijs nominibus inscripserunt. Deducta uidetur hæc sententia ex libris Regum, & Paralipomenon; in quibus legitur Dauidem fuisse egregium psalterem Israel, qui ore proprio cecinit domino psalmodum aliquot, ueluti psalmodum decimum septimum, cum liberasset eum dominus de manu Saul, & omnium inimicorum suorum; & psalmodum centesimum quartum, cum reduceretur arca domini. Idemque constituit in templo quatuor millia psaltes, canentes domino in organis; inter quos præcipui erant tres, qui iuxta eum in templo canerent cantica in citharis, psalterijs, & cymbalis, uidelicet Eman, Idithum, & Afaph; quem Esdras testatur laudasse Deum per manus Dauidis regis, hoc est psalmodum manu Dauid regis conscriptis. At Hieronymus in epistolis ad Sophronium, & Cyprianum, sequens Athanasii sententiam, decernit errare eos, qui omnes psalmodum Dauidis esse arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt, scilicet Afaph, Idithum, filiorum Corhe, Eman Ezraithæ, Moyses, & Salomonis, & reliquorum, quos Esdras primo uolumine Paralipomenon comprehendit. Erunt itaque iuxta hanc sententiam decem huius uoluminis autores: quorum nomina in titulis psalmodum ponuntur, uidelicet Dauid, Salomon, Moyses, Afaph, Ethan Ezrachi, Eman Ezraitha, Idithum, & tres filij Corhe. ex quibus

2 Reg. 23. a

2 Reg. 22. c

1 Par. 16. b

1 Par. 23. a

1 Par. 16. d

Esfl. 3. e

1 Par. 15. b

DAUID, filius Isai Bethlehemita, rex Hierusalem, & propheta, edidit psalmodum septuaginta tres, eius nomine in hebraicis exemplaribus prænotatos, uidelicet

| | | | | | |
|---|--------|----------|----------|---------|----------|
| D | III. | XIX. | XXXV. | LX. | CXXII. |
| | IIII. | XX. | XXXVI. | LXI. | CXXIII. |
| | V. | XXI. | XXXVII. | LXII. | CXXIV. |
| | VI. | XXII. | XXXVIII. | LXIII. | CXXV. |
| | VII. | XXIII. | XL. | LXIIII. | CXXVI. |
| | VIII. | XXIIII. | XLI. | LXV. | CXXVII. |
| | IX. | XXV. | LI. | LXVIII. | CXXVIII. |
| | XI. | XXVI. | LII. | LXIX. | CXXIX. |
| | XII. | XXVII. | LIII. | LXX. | CXXX. |
| | XIII. | XXVIII. | LIIII. | LXXI. | CXXXI. |
| | XIIII. | XXIX. | LV. | CV. | CXXXII. |
| | XV. | XXX. | LVI. | CVI. | CXXXIII. |
| | XVI. | XXXI. | LVII. | CVII. | CXXXIV. |
| | XVII. | XXXII. | LVIII. | CVIII. | CXXXV. |
| | XVIII. | XXXIIII. | LIX. | CX. | |

D Condidit

Condidit etiam præter hos & alios nouem & triginta psalmos anepigraphos, hoc est **A** qui sine alicuius nomine in psalterio collocantur, scilicet

| | | | | |
|---------|--------|---------|----------|----------|
| I. | CII. | CXIII. | CXXIII. | CXXXV. |
| II. | CIII. | CXV. | CXXV. | CXXXVII. |
| X. | CV. | CXVI. | CXXVI. | CXLVI. |
| XXXIII. | CVI. | CXVII. | CXXVII. | CXLVII. |
| XLIII. | CVII. | CXVIII. | CXXVIII. | CXLVIII. |
| LXI. | CXI. | CXIX. | CXXIX. | CXLIX. |
| LXVII. | CXII. | CXX. | CXXX. | CL. |
| LXXI. | CXIII. | CXXI. | CXXXIII. | |

Ex quibus septem sub nomine Dauidis citantur in diuinis scripturis, uidelicet

- B**
- PSALMVS secundus in libro A&uum cap. XIII.
 - PSALMVS decimus septimus in secundo Regum cap. XXII.
 - PSALMVS centesimus quartus in primo Paralipomenon cap. XVI.
 - PSALMVS centesimus quintus.
 - PSALMVS centesimus sextus.
 - PSALMVS centesimus decimus septimus.
 - PSALMVS centesimus trigessimus quintus de quibus. in primo Esdræ uolumine fit mentio.

Esdr. 3. c

SALOMON, filius Dauid regis, scripsit psalmum unum, nempe septuagesimum secundum, qui incipit, **DEVS** iudicium tuum regina. quem nonnulli existimant à Dauid pro Salomone filio editum. Athanasius in Synopsi præter hunc psalmum etiam duos alios Salomoni attribuit, hoc est sexagesimum sextum, cuius initium est, **DEVS** misereatur nostri, & benedicat nobis; & centesimum uigesimum septimum, qui incipit, **NI SI** dominus ædificauerit domum. Origenes in tertio libro *περι Α'ρχών* refert non defuisse, qui dicerent, psalmos, qui **CANTICA GRADVM** inscribuntur, à Salomone compositos. apud hebræos tamen solus septuagesimus secundus psalmus Salomoni inscribitur.

MOYSES, uir Dei, (quem Aben Ezra Iudæus putat unum fuisse de cantoribus Dauid. Hieronymus uerò in explanatione psalmi nonagesimi ad Cyprianum asserit esse Moysem diuinæ legis scriptorem, & hebræorum ducem) scripsit psalmos undecim, hoc est à psalmo xc. cui titulus est **ORATIO MOYSI VIRI DEI**, & cui initium est, **DOMINVS** refugium factus es nobis, usque ad centesimum, qui inscribitur **IN CONFESSIOE**, & incipit, **IUBILATE** Deo omnis terra. Et quoniam ipsius sententiæ uidetur aduersari quod legitur in psalmo xcviij. de Samuele propheta, qui multis post Moysem natus est sæculis, ait nomen Samuelis propter eius meriti excellentiam à Moyse prophetici spiritus instinctu præuisum, & in literis annotatum.

ASAPH, filius Barachæ, princeps cantorum præsonantium cymbalis æneis, ac laudantium dominum, & ministrantium in conspectu arcæ, composuit psalmos duodecim, uidelicet

| | | | |
|----------|---------|----------|----------|
| L. | LXXV. | LXXVIII. | LXXXI. |
| LXXIII. | LXXVI. | LXXIX. | LXXXII. |
| LXXVIII. | LXXVII. | LXXX. | LXXXIII. |

EMAN Ezraitæ, siue, ut græci legunt, Heman Israelita, cantor, filius Ioel de filijs Cath, cymbalis & tuba peritissimus, ipsiq; Ethan eruditione & sapientia quodammodo par, composuit psalmum unum, scilicet octogesimum octauum: cuius initium est **DOMINE** Deus salutis meæ. quem quia filijs Corhæ cantandum præbuit, tam suo, quam ipsorum nomine inscripsit. Philo tamen in libro De temporibus tradit hunc psalmum longè postea editum in captiuitate Babylonis, & decantatum assidue per septem annos; quibus Ioakim, rex Iudæorum, carceribus Babylonis iniuste fuit oppressus.

ETHAN

A **ETHAN** Ezrachi, filius Assaiæ de filijs Merari, cymbalis æneis concrepans, tanta sapientia præditus, ut, quemadmodum tertius liber Regum testatur, nemo unquam mortalium, excepto vno Salomone, fuerit ipso sapientior, edidit psalmum unum, uidelicet **LXXXIX.** cuius titulus est **ERVDITIO ETHAN**, initium uerò **MISERICORDIAS** domini in æternum cantabo. quem psalmum idem Philo in libro pau-
Psal. 89. a
lò antea citato scribit post multos annos editum ad gratiarum actionem, quando Euilmerodach, rex Assyriorum, Ioakim regem de carcere educum apud se in honore habere cepit.

FILII TRES Korach, siue Corhe, quorum in primo Paralipomenon recensentur nomina, uidelicet Afir, Elkana, & Abiafaph, hi tres communi studio conscripserunt psalmos undecim; hoc est,

| | | | |
|--------|---------|-----------|-----------|
| XLII. | XLVI. | XLIX. | LXXXVII. |
| XLIII. | XLVII. | LXXXVIII. | LXXXVIII. |
| XLV. | XLVIII. | LXXXV. | |

IDITHVM, cantor eximius, qui in cithara prophetabat super confitentes, & laudantes dominum, modulatus est psalmum unum, qui est numero trigessimus nonus, & incipit, **DIXI**, Custodiam uias meas.

ATQVE hi sunt totius psalterij autores in frontibus psalmorum iuxta hebraicam ueritatem inscripti. præter quos etiam alij quidam in græcis codicibus ad initia psalmorum ponuntur, ueluti

EZECHIEL, ET **IEREMIAS**, quibus ascribitur psalmus sexagesimus quintus, **TE** decet hymnus Deus in Syon.

FILII IONADAB, quorum nomine inscribitur psalmus septuagesimus primus, **IN TE** domine speraui, non confundar in æternum.

IEREMIAS propheta, cui ascribitur psalmus **CXXXVII.** **SUPER** flumina Babylonis.

AGGÆVS, ET **ZACHARIAS** propheta, quorum nominibus inscribuntur infra-scripti psalmi, uidelicet

| | | |
|-----------|------------|---------------------|
| CXXXVIII. | CONFITEBOR | tibi domine. |
| CXXXIII. | DOMINE | probasti me. |
| CXLVI. | LAVDA | anima mea dominum. |
| CXLVIII. | LAVDA | Hierusalem dominum. |
| CXLIX. | LAVDATE | dominum de cælis. |

HACTENVS de autoribus libri Hymnorum, quem Hieronymus uariis carminum generibus apud hebræos constare affirmat, non aliter, quam poemata Pindari apud græcos, & Horatii apud Latinos. Docet Rabbi David Kimchi hanc hebræis poetis esse consuetudinem, ut carmina, quibus illustria quædam argumenta tractantur, iuxta seriem hebraici alphabeti disponant, ut facilius memoriæ imprimantur, & impressa tenacius hæreant. quo quidem ordine septem, sicut etiam Caietanus Cardinalis ostendit, præstantiores huius uoluminis psalmi compositi sunt, uidelicet;

| | | |
|---------|------------|---|
| XXV. | CVIUS | initium est, AD TE domine leuaui. |
| XXXIII. | QVI | incipit, BENEDICAM dominum. |
| XXXVII. | NOLI | æmulari. qui interpolato alphabeto progreditur. |
| CXI. | CONFITEBOR | tibi domine. |
| CXII. | BEATVS | uir, qui timet dominum. |
| CXLV. | EXALTABO | te Deus. qui simplici alphabeto continentur. |
| CXVIII. | BEATI | immaculati in uia. qui octaplis constat alphabetis, octonis |

semper uersibus ab eadem litera incipientibus. Hieronymus tamen in epistola ad Paulam Urbicam scribit quinque tantum psalmos inueniri alphabeticè dispositos, fallique eos, qui plures existimant. Epiphanius in libro De ponderibus & mensuris scribit psalmorum uolumen in quinque paruos libellos, seu incisa, uel sectiones apud Iudæos distingui: quarum prima incipit à primo usque ad quadragesimum, secunda à quadragesimo primo usque ad septuagesimum primum, tertia à septuagesimo se-

D 2 cundo

cundo usque ad octogesium octauum, quarta ab octogesimo nono usque ad centesimum quintum, quinta à centesimo sexto usque ad ultimum. in quarum omnium sine duplex Amen, quod. lxx. uerterunt Fiat fiat, positum est. Chrysostomus existimat Esdram post captiuitatem Babylonicam hos psalmos hinc inde dispersos in hoc, quod nunc habemus, uolumen collegisse. Athanasius uerò in sua Synopsid ante captiuitatem ab amicis regis Ezechia factum scribit, asserens eos ex psalmis Dauidis, quos ipse tria millia fuisse affirmat, centum & quinquaginta tantum collegisse, reliquis absconditis, ne ad omnium manus peruenirent. Claruerunt omnes prædicti decem psalmographi iisdem ferè temporibus circa annum uidelicet orbis conditi bis millesimum nongentesimum quadragesimum, ante Christum uerò millesimum quadringentesimum. Feruntur & alia sub nomine Dauidis scripta, quæ sequenti uolumine recensentur.

LIBRI TRES SALOMONIS.



SALOMON, siue שלמה Scelomo, qui & ידדיה Iedidia, & קהלת Koeleth in sacris literis appellatur, Dauidis regis filius, & rex Hierusalem, cui similem nec antè, nec postea fuisse, neque deinceps futurum Deus ipse testatus est, conscripsit iuxta numerum nominum suorum tres libros; quorum primum hebræi משלי Misle, Græci Παροιμίας, Latini Prouerbia uocant; quia in eo adagia, similitudines, & uulgatæ quædam sententiæ de uariis humanarum rerum euentibus ad uitæ institutionem necessariæ referantur. cuius posteriorem partem à capite scilicet uigesimo quinto usque in finem Sebna, atque cæteri scribæ Ezechia regis Iuda ex aliis uoluminibus collegerunt. Continet autem Prouerbiorum liber, ut autor quæstionum hebraicarum super tertio libro Regum scribit, uersus nongentos & quindecim; in quibus tria millia parabolarum comprehenduntur, nimirum illæ, de quibus in tertio uolumine Regum scriptum est, LOCUTVS est autem Salomon tria millia parabolarum.

3 Reg. 4. d

SECUNDVM librum ipse Salomon קהלת Coheleth inscripsit, Græci Εὐλαρισμῶν Ecclesiasten, nos Concionatorem appellare possumus, eo quod sermo eius, ut Hieronymus ait, non ad unum specialiter, sicut in Prouerbiis, sed ad uniuersos generaliter dirigatur, docens omnia, quæ in mundo sunt, caduca esse, & breuia, & ob hoc minimè appetenda. Hebræi uerò, paulò aliter sentientes, uolunt tam Salomonem, quam librum hunc קהלת Koeleth dici, propter admirabilem sapientiam, quæ copiose in Salomone, & in hoc uolumine fuit congregata.

Hieron. in præfat. comm. Ezechielis.

TERTIVS שיר השירים Scir hascirim ab Hebræis, à Græcis Ἄσμα Ἀσμάτων, à nobis Canticum Cantorum appellatur, quia cæteris tam Salomonis, quam aliorum autorum canticis excellentius & illustrius sit, continens sub metaphora sponsi, & sponsæ admiranda mysteria, & ineffabilem Dei erga animam hominis philanthropiam. Hunc unà cum exordio libri Genesios, & initio ac fine Ezechielis præsci hebræi propter arcanos sensus tanta ueneratione profecuti sunt, ut noluerint legi, nisi post trigessimam ætatis annum. Inter Christianos uerò plerique non contemnendi nominis expostores, eadem reuerentia adducti, existimarunt explanationem libelli huius non esse in iuuentute attingendam, sed in solatium Christianæ senectutis, ac sanctæ migrationis uiaticum reseruandam, exemplo sanctorum uirorum Bernardi Clareuallensis, Gilberti Hollandi, Thomæ Aquinatis, & Ioannis Gersonij; quibus in meditatione, & expositione huius operis feliciter mortalitatem exuere contigit. Sunt qui dicant sententias horum trium librorum ab Esaia propheta fuisse collectas ex uariis libris Cantorum & Prouerbiorum, quos diuina scriptura commemorat à Salomone compositos, & spiritus sancti instinctu reseruatas, tanquam cæteris utiliores, atque his tribus libellis coarctatas: quas Isidorus ex Iosepho & Hieronymo affirmat hexametris, & pentametris uersibus à Salomone conscriptas, & extremam partem libri Prouerbiorum concludi alphabeto, quod trimetro iambico supputatur.

Constat

A Constat Salomonem præter hos libros alia quoque scripsisse uolumina, inter quæ liber Sapientiæ computatur. Sed de his sequenti uolumine dicemus. Obiit Salomon anno ab orbe condito bis millesimo nongentesimo septuagesimo, ante Christi natiuitatem anno nongentesimo nonagesimo secundo.

ESAIAS.

ישעיהו IESCAEIAHV, uel, ut nos dicimus, Isaias, siue Esaias, uel Iesaias, qui Salus domini interpretatur, propheta, filius Amoz, ciuis Hierosolymitanus, genere nobilis, de tribu Iuda, scripsit librum prophetiarum suarum; quas, spiritu sancto illustrante, sub quatuor regibus Iuda sibi inuicem succedentibus, Ozia uidelicet, Ioatham, Achaz, & Ezechia, pronunciauit contra Iudæam, & Hierusalem, & contra gentes præcipuè Babylonas, Philistæas, Damascenas, Aegyptias, Idumæas,

B ac Tyrias. in quo quidem libro, ut Hieronymus ait, quicquid de physicis, ethicis, logicis, & quicquid de sanctarum scripturarum mysterijs potest humana lingua, & mortalium sensus accipere, complexus est summa præ cæteris prophetis uenustate sermonis, & urbanæ dictionis elegantia. Narratio totius libri, prosa est, per cola, & commata distincta, & numeris omnibus absoluta, exceptis tribus canticis, Vineæ scilicet, urbis Syon, & Ezechia regis; quæ unà cum oratione Esaia hexametris, ac pentametris uersibus incedere Isidorus testatur. Protulit autem Esaias de Christi seruatoris nostri aduentu, incarnatione, miraculis, prædicatione, uita, passione, morte, resurrectione, & gloria tot ac tam magnifica, & aperta testimonia; ut non de futuris eius euentibus uaticinari uideatur, sed magis de præteritis eius gestis historiam scribere, & euangelistæ potius, quam prophetæ partes implere. Atque hinc arbitrator dominum nostrum IESVM Christum hunc unum inter omnes prophetas delegisse sibi, quem primum in synagoga patriæ suæ publicè legeret, & exponeret. Lmc. 4. 6

C Moritur Esaias sub impijsimo rege Manasse, iussu eius in duas partes dissectus, quia optimates regiæ domus principes Sodomorum uocasset, atque dixisset se uidisse Deum in sublimi folio sedentem. sepultusque est sub quercu Rogel in Beniaminia tribu circa annum ab orbe condito ter millesimum ducentessimam quadragesimum, & ante Christi ortum septingentesimum uigesimum octauum. Scripsisse dicitur præter hæc etiam alia, quæ in proximè sequenti libro annotabimus.

IEREMIAS.

ירמיהו IRMEIAHV, uel, sicut nos dicimus, Ieremias, id est Excelsus, propheta & sacerdos, ex Anathot uiculo tribus ab Hierusalem miliaribus, filius Helchia sacerdotis magni, qui octauo anno Iosia regis Iuda inuenit in domo domini librum legis diuinæ, multis iam annis præcedentium regum negligentia perditum, cepit admodum adolescens prophetare, ac uaticinia literis mandare sermone quidem inculto, & penè subrustico, sed sensuum maiestate sublimi. Scripsit autem, excipiente ex ore ipsius Baruch Neeria filio, librum prophetiarum ac uisionum; quas de clade Iudæorum, & de futura Christi ecclesia diuinitus per annos duos & quadraginta accepit, hoc est ab anno tertio decimo regis Iosia usque ad urbis excidium, & transmigrationem reliquiarum Iuda in Aegyptum. cui uolumini Baruch adiecit ultimum caput ex fine quarti libri Regum, iisdem penè uerbis mutuatum, ut ex commemoratione cladis Hierosolymitanæ, quæ in eo capite refertur, uiam sterneret lectoribus ad proximè sequentem ענה Eca, siue קינת Kinoth, hoc est Lamentationum librum. in quo Ieremias propheta lamentabilem urbis euerfionem, & populi captiuitatem lugubri carmine defleuit; digestis in ordinem alphabeticum uersibus ea ratione, ut primus ab Aleph inciperet, secundus à Beth, tertius à Ghimel, & sic deinceps usque in finem; imitatus in hoc Dauidem, ac Salomonem; quorum hic ultimam prouerbiorum partem, ille uerò psalmos septem metricis alphabetis composuere. Habentur autem in his lamentationibus quatuor alphabeta; quorum duo

D 3 priora,

priora, ut testatur Hieronymus, conscripta sunt uersu à metro Sapphico non multum A
dissimili; quia tres uersiculos, qui sibi conuexi sunt, & ab una litera incipiunt, heroi-
ci carminis comma concludit. Tertium uerò alphabetum trimetro alphabeto con-
textum est, & à ternis literis, sed eisdem, trini uersus incipiunt. Quartum alphabe-
tum simile est primo, & secundo. Rabbi Salomon existimat hunc Lamentationum li-
brum eum esse, quem, ut habes apud Ieremiam cap. trigesimo sexto, profanus rex
Ioachim, lecto eius initio, proiecit in ignem, & in odium prophetiæ combussit.
Ieremias uerò iterum, accito Baruch scriba, iussu Dei dictauit, adiecitq; quartum
alphabetum, triplicata ferie literarum; cum in priori exemplari tria tantum alphabe-
ta simplicia collocasset. Vixit Ieremias sub regibus Iosia, Ioachim, & Sedechia us-
que ad transmigrationem reliquiarum Iuda in Aegyptum; quò & ipse à Ioanne, filio
Careheæ, translatus est: occubuitq; in Thaaphnes, à plebe sua lapidibus obrutus,
atque ibidem sepultus circa annum ab orbe condito ter millesimum trecentimum
quinquagesimum. tametsi diuersum opinentur Victorinus martyr, ac pleriq; alii B
uētūstissimi patres; qui docuerunt illum adhuc uiuere, & unā cum Helia in ultima
sæculi ætate ab Antichristo perimendum. Feruntur & alia quædam sub nomine eius
scripta, de quibus in sequenti libro dicemus.

EZECHIEL.

יְחֶזְקֵאל IECHYZKEL, seu Ezechiel, qui robur uel imperium domini inter-
pretatur, propheta & sacerdos, filius Buzi sacerdotis, & ipse sacerdos
de terra Sarera, scripsit librum propheticum de uisionibus & oraculis, sibi intra ui-
ginti annorum spatium à Deo reuelatis; hoc est à quinto anno transmigrationis regis
Iechoniæ, cum quo ipse ductus est in Chaldæam, cœpitq; prophetare ad annum Cho-
bar, usq; ad annum uigesimum quintum eiusdem transmigrationis, quæ fuit prima
Iudæ captiuitas, quando stillauit ira Dei super Hierusalem. Stylus eius nec satis di-
fertus, nec admodum rusticus est, sed ex utroque temperatus. porrò narrationis eius
mysteria tantis obuoluuntur obscuritatibus, ut apud hebræos Rabbinos traditione
cautum sit, ne quis unquam audeat primum libri capitulum explicare, nec finem,
hoc est octo posteriora capita, nisi trigessimam ætatis annum impleuerit. Hierony-
mus, qui primus omnium expositorum ausus est commentaria in totum Ezechielem
conscribere, abstrusissimam huius libri difficultatem aptissima Cretenis labyrinthi si-
militudine his Virgilij uersibus expresit:

*Hic labor, illa domus, & inextricabilis error,
Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemq;
Mille uis habuisse dolum, quo signa sequentum
Falleret indeprentus, & irremeabilis error.
Spiritus ipse dolos testis, ambagesq; resoluat
Cæca, precor, nobis uestigia, te duce, Christe.*

Moritur Ezechiel in Chaldæa, à ducē gentis suæ, quem ipse de cultu idolorum repre-
henderat, obtruncatus: sepultusq; est in terra Spyrriorum in agro Maur in monimen-
tō Sem, & Arphaxad, progenitorum Abrahæ, circa annum ab orbe condito ter mille-
simūm trecentēsimūm sexagesimūm. Iosephus in decimo Antiquitatum refert Eze-
chielem præter hunc librum aliud quoque composuisse uaticiniorum uolumen. de
quo uide in libro, qui hunc proximè sequitur.

DANIEL.

דָּנִיֵּאל DANIEL, id est Iudicatus à domino, propheta ex tribu Iuda, ex re-
gis optimatibus in Bethero superiore, non procul ab Hierosolymis na-
tus, cum adhuc esset puer, abductus est in Babylone cum Ioakim rege Iudæ anno ter-
tio regni eius, factusq; est eunuchus regis Chaldæorum, ut impleretur in eo uatici-
nium

A nium Efaia, quod protulit super Ezechiam regem, dicens, DE filiis tuis, qui na-
scentur ex te, tollent, & facient eunuchos in domo regis. Hic prophetiæ suæ librum
edidit, in quo de omnibus totius mundi regnis, ac præsertim de glorioso & æterno
Christi regno præclara ac certissima uaticinia comprehendit; omnesq; omnium
gentium historias, quæ post sua tempora scriptæ sunt, eodem uolumine coarctauit.
ad cuius exactam cognitionem admonet Hieronymus necessariam esse multipli-
cem Chaldæorum, Græcorum, & Latinorum historiam, Suctorij uidelicet, Cal-
linici, Diodori, Hieronymi, Polibij, Posidonij, Claudij, Theonis, Andronici,
Iosephi, & eorum, quos ponit Iosephus, præcipuè uerò Titi Liuij, Trogi Pompeij,
atque Iustini, qui omnem extremæ uisionis Danielis narrant historiam, & post Ale-
xandrum usque ad Cæsarem Augustum, Syriæ & Aegypti, id est Seleuci, & Antiochi,
& Ptolemæorum bella describunt. Obseruandum est autem quatuor partibus totum
hunc librum absolui: quarum prima, hoc est ab initio usque ad ea uerba secundi
capitis, uidelicet **RESPONDERUNT CHALDAEI REGI SYRIACE**, hebraico nar-
ratur sermone. secunda, quæ inde progreditur usque ad uisionem anni tertij Baltha-
sar, hoc est usque ad finem septimi capituli hebraicis quidem literis, sed lingua scri-
pta est Syriaca, hoc est Chaldaica. tertia usque ad finem duodecimi capituli iterum
hebraico eloquio scribitur. quarta ac postrema de Susanna, & Belo græcè descripta
est ex editione Græca Theodotionis Ephesij; qui & orationem Azariæ, & hymnum
trium puerorum à se græcè editos inseruit tertio eiusdem libri capitulo. Incipit item
liber hic tam apud nos, quàm apud Hebræos sic, *Anno tertio regni Ioachim regis Iuda-
uenit Nabuchodonosor rex Babylonis &c.* Vulgata uerò græcorum editio, atque ipsa
Athanasij Synopsis, in qua omnium sacrorum uoluminum initia referuntur, princi-
pium libri idcirco sumunt ab historia Susannæ, quòd ea Daniele adhuc puero conti-
gerit, in hæc uerba; *Καὶ ἦν ἀνὴρ ἠκάρῃ ἐν Βαβυλώνῃ. καὶ ὄνομα αὐτῷ Ἰωαχίμ.* id est, *Et erat
uir habitans in Babylone, & nomen eius Ioachim, &c.* usque ad finem eiusdem historiae,
quæ & in nostris codicibus capite quarto decimo continetur. qua expleta sequuntur
statim ea uerba; *Anno tertio regni Ioachim*, unde nostra simul cum hebræis exem-
plaria ordiuntur. Desinit autem hic idem liber iuxta hebraicam ueritatem in uerbis
illis, *Tu autem Daniel uade ad præfinitum, & requiesces, & stabis in sorte tua in fine die-
rum.* quæ apud nos in calce duodecimi capituli leguntur. Græci uerò unā nobiscum
finiunt præsentem librum in uerbis illis historiae Beli & draconis, *Καὶ κατεβρέθησαν
παράχρημα ἐνώπιον αὐτοῦ.* hoc est, *Et deuorati sunt in momento coram eo.* Vixit Daniel
in captiuitate Babylonis, Assyriorum regibus gratissimus: defunctusq; est Cyri-
Perfarum regis temporibus in Babylone, ibiq; magnis honoribus sepultus circa an-
num ab orbe condito ter millesimum quadringentesimum. cuius librum unā cum
uolumine Ezechielis censet Isidorus à uiris sapientibus hebræorum fuisse conscri-
ptum. Græci totum uolumen partiuntur in uisiones duodecim; quarum prima con-
tinet historiam Susannæ, ultima interitum Draconis, & Abakuk raptum.

D O S E A.

הוֹשֵׁעַ HOSCEA, hoc est Saluator, filius Beer, ex oppido Belometh, in tri-
bu Isachar ortus, scripsit librum commaticè, & quasi per sententias dige-
stum de prophetiis, à se contra decem tribus Israel sub nomine Ephraim, Samariæ,
& domus Ioseph editis. in quo præ cæteris prophetis de uocatione gentium, & re-
probatione hebræorum uaticinatus est. Vixit sub Ozia, Ioathan, Achaz, & Eze-
chia regibus Iudæ, Efaia prophetæ synchronos: mortuusq; est, ac sepultus in patria
sua circa annum ab orbe condito ter millesimum & trecentimum quadragiesimum.

I O E L.

יֹאֵל IOEL, id est Incipiens, filius Pethuel, ex agro Bethor, de tribu Ruben
oriundus, conscripsit prophetiarum prænotionum libellum; in quo prædi-
xit,

32
 A
 xit, quanta mala orbi imminerent, & præsertim duabus tribubus, quæ uocantur Iuda, & Hierusalem, & Iacob, propter multa & grauius eius scelera, prænuñcians quoque mysteria de regno Christi, & missione Spiritus sancti. Claruit sub rege Ioram, filio Achab regis Israel: cuius temporibus magnam famem in terra futuram & præuidit, & expertus est: decessitque paulò post ex hac uita, cum gloria, & honore sepultus in Bethel circa annum ab orbe condito ter millesimum quinquagesimum, ante Christum uerò nongentesimum octauum.

A M O S.

עמוס AMOS, id est Portans, ex oppido Thecue, quod Epiphanius collocat in tribu Zabulonia, Hieronymus uerò tradit abesse sex millibus ad meridiam plagam à sancta Bethlehem, in tribu Iuda, cum non esset propheta, neque propheta filius, sed homo plebeius, & pastor, ruborum mora uellicans, subito & diuino miraculo uocatus in ordinem prophetarum prophetauit contra decem tribus Israel, nonnulla etiam contra gentes uicinas terræ Israel, & contra regnum Iuda, atque templum ipsum prædicans; suaque uaticinia unico uolumine ad posteros transmisit. Claruit sub Ozia rege Iuda, & Ieroboam filio Ioas rege Israel; à quo, & à filio Amasia sacerdotis Bethel, quem ipse de duobus uitulis aureis reprehenderat, clauo circa tempora transfixus occubuit circa annum ab orbe condito ter millesimum centesimum decimum.

A B D I A S.

עבדיה OVADIA, siue Abdias, hoc est Cultor Dei, natus est, quemadmodum scribit Epiphanius, in Sichera in agro Leththacmar: hic antè, quam prophetare cœpisset, Semicenturionis, seu Quinquagenarij dignitatem gesit apud Ochoziam regem Israel: à quo cum post duos quinquagenarios cœlesti igne absumptos missus esset ad comprehendendum Heliam prophetam, deserto rege ipsi adhæsit, & discipulus eius factus est. Hieronymus autem arbitratur eum fuisse uirum illum, qui, ut in tertio Regum libro legitur, temporibus Achab, & Iezabelis centum prophetas speluncis abditos pauit. Quidam ex Rabbini existimant eum fuisse profelytum ex Aedomea, eo quòd libellus prophetiæ ipsius contra Aedomeos, hoc est Chaldæos, ac gentes, quæ affligerunt Israel, potissimum conscriptus sit. Vixit circa annum ab orbe condito ter millesimum sexagesimum: cuius sepulcrum temporibus Hieronymi unà cum mausoleo Helisei prophetæ, & Ioannis Baptistæ in Sebaste, quæ olim fuit Samaria, uisebatur.

I O N A.

יונה IONA, cuius nomen significat Columbam, ut habetur in tertio Regum uolumine, filius fuit Amithai propheta ex regione Opher, ex uiculo Geth, qui temporibus Hieronymi Diocæsarea uocabatur, secundo à Sephorim milliario uersus Tyberiadem situs in tribu Aser. hunc tamen Epiphanius tradit natum in Gath, seu in Chauathamaum, in tribu Dan, haud longè ab Azoto urbe Palæstinorum, mari uicina, fuisseque filium uiduæ Sareptanæ, quem Helias propheta in Sarepta Sidoniæ mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum, Nunc cognoui, quia uir Dei es tu, & ueritas in ore tuo: & ob hanc causam puerum uocatum filium Amithai, hoc est ueritatis, eo quòd uerum dicente Helia propheta iterum in hanc lucem editus sit. Hic, cum ad uirilem ætatem peruenisset, prophetauit primum de restitutione Damasci, & Hemath, & terminorum regni Israelitici facta per Hieroboam regem Israel. deinde missus in Ninuem, Assyriorum metropolim, iuxta Lycum fluium à Nino rege conditam, urbem sua prædicatione ad pœnitentiam conuertit: & hanc historiam, in qua mors, & resurrectio Christi figuratur, exiguo libello mandauit.

A
 dauit. Vixit temporibus Oseæ, Amos, & Efaia: & mortuus est in terra Saar, ibidemque sepultus in specu Cenefæi iudicis, circiter annum ab orbe condito ter millesimum ducentiesimum quadragesimum.

M I C H A E A S.

מיכה MICHA, id est Humilitas, propheta, ortus in Morastite, (qui iuxta Eleuteropolim Palæstinæ in tribu Ephraim haud grandis est uiculus, uel, ut Ionathan Chaldæus tradit, ex urbe Maresa, quæ est in tribu Iuda) scripsit librum uaticiniorum, quæ in diebus Ioatham, Achaz, & Ezechia, regum Iuda, pronunciauit super Samariam, & Hierusalem, uaticinatus contra reges, iudices, sacerdotes, & prophetas falsos, qui uerbum domini abiecerant, & impietatem secuti fuerant; aduentum quoque seruatoris Christi, & locum natiuitatis eius apertè prædixit. Moritur ex alto loco præcipitatus: & sepultus est in Morasti patria sua prope Polyandrium anno ab orbe condito fermè ter millesimo ducentiesimo quadragesimo.

N A H V M.

נחום NACHVM, siue Nahum, id est Consolator, ut Epiphanius asserit, natus in oppido Elkesei trans Iordanem fluuium uersus Begabar, de tribu Simeon, uel, ut Hieronymo placet, ex Helchesei, qui uiculus erat in Galilæa dirutus, post Ionam prophetam uaticinatus est contra Niniuitas, qui post ueniam à Deo consecutam iterum grauiora crimina perpetrassent; conclusitque exiguo uolumine prophetiam suam De subuersione Niniue, atque totius regni Assyriorum, quæ postea facta putatur à Nabuchodonosor anno primo imperij sui. Moritur sub impio rege Manasse, & sepultus est in Bagabar circa annum ab orbe condito ter millesimum ducentiesimum quadragesimum quintum.

A B A C V C H.

חבקוק CHAVAKKVK, seu Abacuch, id est Luctator, propheta ex agro Bezocchar, ex tribu Simeon oriundus, iubente Deo, quemadmodum in secundo capite ipsius prophetiæ scriptum est, exarauit librum uaticiniorum aduersus Babylonem, & Nabuchodonosor, regem Chaldæorum, qui Hierusalem templumque subuertit, ac tanta mala intulit regno Iudæorum, quanta à nullo tyranno unquam perpesi fuerant. Vixit atate Babylonicæ captiuitatis. quo etiam tempore ad Danielelem, clausum in lacu Leonu, cum prandio asportatus est ab angelo in Chaldæam: & ex hac uita decessit duobus annis ante reditum populi Iudaici de Babylone: & magnis honoribus in agro suo humatus est anno ab orbe condito ter millesimo quadragesimo ac sexto decimo. Numeratur & aliud Apocryphum Abacuch scriptum in sequenti uolumine.

S O P H O N I A S.

צפניה ZEPHANIA, uel Sophonias, hoc est Arcanus domini, propheta Sarabathides, siue à Sarabatha monte, Chusi filius, Gedalia nepos, Amaria pronepos, Ezechia abnepos, composuit librum unum, in quo uaticinia a se edita de euerfione Hierusalem, & deuastatione totius regni Iudæorum mira & luculenta breuitate perstrinxit. Claruit sub Iosia rege Iuda, Ieremiæ propheta synchronos, anno ab orbe condito ter millesimo trecentiesimo ac trigesimo.

E A G G A E V S.

A G G A E V S.

חגי CHAGGI, siue Aggæus, hoc est Festius & Latus, admodum iuuenis ex Babylone in Iudæam reuersus, populum uaticiniis impulit ad reedificationem templi Dei, minitans eis, nisi extruccioni instarent, mala innumera; uiditque oculis suis structuram templi completam; & ibi primus omnium in laudem Dei ALLELUIA cecinit; & hilares prophetias suas de reuersione populi, de reedificatione templi, & hostilium gentium euerfione breui admodum libro digestas reliquit. Moritur Hierosolymis annis quinquaginta post reditum de Babylone, anno ab orbe condito ter millesimo quadringentesimo sexagesimo nono.

Z A C H A R I A S.

זכריה ZECHARIA, id est Memor domini, propheta & filius Barachiæ, nepos Iddo, ex terra Chaltæorum, scripsit librum præ aliis duodecim prophetis longissimum, & obscurissimum, idem fermè cum Aggæo habens argumentum, de templi reedificatione, fusus tamen de ciuitate Hierusalem, quàm de templo pertractans, & uisiones ualde obscuras continens, à uisionibus Danielis haud abfimiles. in quibus explicandis multa præclara tam Iudæorum, quàm Christianorum sudarunt ingenia. Decesit longo senio confectus in Iudæa, & proximè cum Aggæo propheta humatus est circa annum ab orbe condito ter millesimum quadringentesimum sexagesimum.

M A L A C H I A S.

מלאכי MALACHI, uel Malachias, hoc est Angelus uel Nuncius meus, putatur à quibusdam fuisse Angelus, qui de cælo ueniens assumpserit corpus, ut Israeli, quæ à Deo mandata fuerant, uaticinaretur. quam opinionem Hieronymus Origeni impingit. Epiphanius uerò scribit eum natum esse in oppido Sophia, in tribu Zabulon, sortitumque fuisse nomen Angeli, quia esset forma præstanti, & moribus inculpatissimis præditus. Ionathan Chaldæus, & cæteri hebræi sentiunt eum fuisse Esdram scribam, & sacerdotem; quia omnia, quæ in libro eius continentur, etiam hic propheta commemorat, dicens, LABIA sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini est. Sed quisquis ille fuerit, qui librum sub nomine Malachiæ scripsit, parum refert, cum libri eius autoritas nulla labore suspicione, sed ab Euangelistis in testimonium ueritatis citetur. Claruit Malachias circa annum ab orbe condito ter millesimum quadringentesimum, anno ante Christum ferè quingentesimo; scripsitque librum hunc aduersus impuram uitam populi sui, ac sacerdotum præsertim suorum improbos mores: qui, post reditum ex Babylone, & instauratum templum rursus ad pristinas sceditates reuersi, oblationes ac diuina sacrificia, contaminatis animis & corporibus, offerre cœperant.

APPENDIX EX LIBRO

VIARVM LINGVÆ SANCTÆ

Rabbi Mosis Kimchi; in qua iuxta Rabbinorum traditionem breuissimè perstringuntur scriptores sanctorum librorum primi ordinis, qui soli apud hebræos in autoritate sunt.



MOSES, uir Dei, scripsit quinque quinariorum legis, hoc est Pentateuchum, præter octo uersus, ab his uerbis, ET MORTVVS EST MOSES ET C. usque ad finem legis; & librum Iob.

IEHOSCUA scripsit librum suum, & octo uersus de lege.

SAMVEL scripsit librum suum, id est primum & secundum Regum, ut nos uocamus, & librum Iudicum, & Ruth.

ISAIAS scripsit librum suum, & librum Prouerbiorum, & librum Cantici Cantorum, & librum Ecclesiasticis.

IEREMIAS scripsit librum suum, & librum Regum, & librum Threnorum.

VIRI SYNAGOGÆ MAIORIS scripserunt librum Iehzekel, & librum Duodecim, hoc est Duodecim prophetarum minorum, & librum Danielis, & uolumen Esther.

DAUID, ET DECEM PROPHETÆ scripserunt librum Hymnorum, id est psalmodiorum.

EZRAS scripsit librum suum, genealogias uerborum dierum, id est Paralipomenon, usque ad ea uerba, ET FVERVNT SIBI FRATRES FILII IOSAPHAT.

NUMERVS uersuum legis, quinque millia & octingenti & quadraginta quinque.

PROPHETARVM, nouem millia ducenti & nonaginta quatuor.

AGIOGRAPHORVM, octo millia & sexaginta quatuor.

INVENTVR itaque summa omnium uersuum lectionis Bibliæ, uiginti tria millia ducenti & tres uersus.

DE SCRIPTVRIS, ET SCRIPTORIBVS NOVI TESTAMENTI, QVI IN PRIMO CANONIS ORDINE NVMERANTVR.



CHRISTIS uariis supputationibus, ac diuersis partitionibus scripturarum, ac scriptorum ueteris testamenti Protocanonicorum, qui in primo canonis ordine collocantur; nunc pergendum est ad libros eiusdem ordinis, qui in nouo testamento habentur; quorum certissimus, & per omnes catholicorum patrum successiones indubitatus & approbatissimus index hic est,

Table with 3 columns: Number, Greek text, Latin text. Lists books of the New Testament from Matthew to John's epistle.

MATTHAEVS.



MATTHAEVS, qui & Leui ex publicano apostolus, primus omnium in Iudaea propter eos, qui ex circumcisione crediderunt, Euangelium Christi, teste Irenaeo, hebraicis literis, uerbisque composuit. quod quis postea primus in graecum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum auctoris hebraicum exemplar testatur Hieronymus temporibus suis asseruatum fuisse in bibliotheca Caesariensi; quam Pamphilus Martyr extruxerat, seq; eius describendi facultatem obtinuisse a Nazaraeis, qui in Beroea, urbe Syriae, commorantes consimili hebraeo uolumine utebantur. Hinc est, quod, cum Matthaeus hebraice scripserit, in producendis ueteris scripturae testimonijs non sequitur septuaginta interpretum editionem, ab alijs euangelistis citatam; sed iuxta hebraicam ueritatem singula profert testimonia. Diuiditur hoc euangelium

lium a uetustioribus latinis secundum Hilarij partitionem in canones 33. & secundum Christiani Drutmani sectionem in canones 67. apud recentiores uero Latinos in octo capita, apud Graecos autem iuxta Euthymium, uel Oecumenium in capita 68. iuxta Suidam uero in titulos 68. capita autem 355. Ammonius similiter, & Eusebius in capita 355. Scriptum est hoc euangelium, ut Eusebius refert, anno tertio Caij Caligulae imperatoris, hoc est anno a Christi ascensione octauo. cuius auctor Matthaeus in Aethiopia ad Christi praedicationem profectus, & inde reuersus, in Hiera ciuitate Parthiae obdormiuit; ibique sepultus est, anno ab ortu Christi quinquagesimo. Fertur & alia quaedam scripsisse, de quibus in sequenti libro dicitur.

MARCVS.



MARCVS, Alexandriae episcopus, & euangelista, cui nomen fuit Ioannes, matrem habuit Mariam, quae in domo sua apostolos benigne excipiebat, sicut Lucas in actis apostolicis ita testatur; CONSIDERANS autem Petrus, uenit ad domum Mariae, matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus; ubi erant multi congregati, & orantes. Hic primum, ut Origenes ait, ante dominicam passionem Christum inter septuaginta duos discipulos secutus est. deinde post Christi ascensionem coniunctus est Barnabae auunculo suo, & Paulo, quemadmodum Lucas eodem libro commemorat, & Paulus in epistola ad Colossenses, & in secunda ad Timotheum eius mentionem faciunt. postremo, ut Papias in primo libro dominicorum uerborum, & Clemens in sexto Υποτιτωσεων libro scribunt, Petro apostolorum principi se comitem, discipulum, & interpretem dedit. quod & prior Petri epistola demonstrat, in qua ipse filium suum iuxta spiritum Marcum appellauit. Rogatus ergo Romae a fratribus iuxta id, quod Petrum referentem audierat, breue graeco sermone scripsit euangelium, ita in omnibus conueniens cum his, quae paulo antea scripserat Matthaeus, ut eius uideretur esse pedissequus & abbreviator. hoc cum Petrus audiisset, probauit, & ecclesiae legendum sua autoritate tradidit. unde & a quibusdam Petri euangelium appellatum est. Marcus uero, suo assumpto euangelio, in Aegyptum perrexit, & ibi primus omnium Alexandriae Christum annuncians, constituit ecclesiam tantae doctrinae & uitae continentia, ut Philo, Iudaeorum disertissimus, de ea librum laudatissimum scripserit. Mortuus est octauo Neronis anno, relicto euangelij codice, quem post decimam a saluatoris assumptione annum, ut ait Chrysostomus, in Aegypto euulgauerat. Partiuertitur nostrates hoc euangelium in capita 16. Graeci apud Suidam in titulos 48. & capita 56. apud Ammonium, & Eusebium in capita 235. apud Oecumenium, & Euthymium in capita 48. quorum ultimum DE PETITIONE CORPORIS DOMINI praenotatum desinit in his uerbis, Inuaserat eas tremor, & pavor: & nemini quicquam dixerunt: timebant enim. reliqua uero, quae sequuntur usque in finem, non enumerant. Dicitur, nonnulla praeter haec a Marco fuisse conscripta, quae sequenti uolumine annotantur.

LVCAS.



LVCAS Euangelista, quem Paulus, ad Romanos scribens, Lucium appellauit, patria Antiochenus, professione medicus, graeci sermonis peritissimus, primum, ut scribit Origenes, Christo cum alijs septuaginta discipulis adhaesit, & ab eo pietatis semina suscepit: postea uero Pauli sectator, & omnis peregrinationis eius comes indiuiduus factus, scripsit post quindecim annos ab assumptione seruatoris permisso Pauli ad Theophilum fidelissimum Deique amantissimum graeca lingua euangelium. de quo idem Paulus, Misimus, inquit, cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. & ad Colossenses, Salutatio uos Lucas medicus charissimus. & ad Timotheum, Lucas est mecum solus. Sunt tamen qui putent Lucam cum domino

Luc. 1. a
2 Tim. 2. a

mino in carne non fuisse, & non secundum ea, quæ uiderat, scripsisse, sed sicut à Paulo, & cæteris apostolis didicerat. quod ipse in præfatione sic ostendisse uidetur: SICUT tradiderunt nobis, qui à principio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Chrysoſtomus existimat, quotiescunque Paulus in epistolis suis dicit, Iuxta euangelium meum, Lucæ significare uolumen. Origenes uerò in dialogo De recta in Deum fide scribit Paulum à Luca, & Marco euangelicæ historiæ narrationem didicisse. Vixit Lucas octoginta & quatuor annis, uxorem non habens: & cum Alexandrinis, uniuersaq; regioni, quæ illi adiacet, usque ad Pentapolim prædicasset euangelium, Alexandria mortuus est, ibiq; sepultus in Bucolis cum Ictare, qui primus in Lycia martyr fuit; quem Alexander episcopus transtulit, posuitq; ubi omnes sepulti sunt episcopi. eius ossa uigesimo Constantij anno Constantinopolim translata sunt. Scripsit eius uitam græcè Simon Metaphrastes. Oecumenius, & Euthymius hoc euangelium in octoginta tria capita distribuunt; Ammonius, & Eusebius in capita trecenta quadraginta tria; Ambrosius in titulos centum sexaginta quatuor; Beda in capita nonaginta tria; Latini autem recentiores in uiginti quatuor capita dissecant.

IOANNES.

Ioan. 13. c

IOANNES Apostolus, & euangelista, frater Iacobi maioris, filius Zebedæi, à uico Bethsaida regionis Galilææ, arte piscator, nec ante, nec post uocationem suam literas didicit: sed cum in cœna super petrus domini recumberet, talem hausit scientiam, qualem mortalium nullus unquam sortitus est. Hic igitur nouissimus omnium multis annis post captam Hierosolymam scripsit græco sermone euangelium, rogatus ab Asiæ episcopis, aduersus Cerinthum, aliosq; hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens; qui asserbant Christum ante Mariam non fuisse unde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt, quod, cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ uolumina, probauerit quidem textum historiæ, & uera eos dixisse firmauerit, sed unius tantum anni, in quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis antè, quàm Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit, sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor euangeliorum uolumina legerint. Quæ res etiam tollit dissonantiam, quæ uidetur esse inter alios euangelistas, & Ioannis euangelium. Hoc nostri in 21. capita distinguunt. Oecumenius, & Euthymius, non enumerato titulo de muliere in adulterio deprehensa, in decem & octo capita seu titulos distribuunt. Ammonius, & Eusebius, eodem titulo prætermisso, diuidunt in capita 232. Vixit annos propè centum, ex quibus ferè quadraginta Ephesi transegit usque ad Domitianum; à quo in Pathmos insula relegatus est. eo interfecto, & decretis eius rescisis, sub Nerua reuersus est Ephesum: ibiq; usque ad Traianum perseverans, totas Asiæ fundauit, rexitq; ecclesias: & senio confectus anno sexagesimo octauo post passionem domini mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est. quem multi ueterum græcorum adhuc uiuere arbitrantur propter ea uerba, quæ dominus dixit, SUNT de hîcstantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo. & SIC eum uolo manere, donec ueniam; quid ad te? Scripsit uitam ipsius Simon Metaphrastes, Græcus autor. Iosephus Iudæus, Tyberinus Comes, eius euangelium, in hebraicam sermonem ab incerto autore translatum, in gazophylacio Tyberiadis inuenit, & ecclesiæ tradidit anno ab ortu Christi trecentesimo septuagesimo. De reliquis uerò scriptis, si qua sub nomine eius edita sunt, in secundo huius operis uolumine dicemus.

Mat. 16. a
Ioan. 21. d

ACTVS

A

ACTVS APOSTOLORVM.



LIBRVM, cui titulus est Πράξεις ἀποστόλων, hoc est Actus Apostolorum, Lucas Euangelista ad Theophilum, uirum perfectissimum, post euangelium absolutum græco sermone conscripsit. qui quanquam Acta Apostolorum inscriptus sit, potissimum tamen acta continet spiritus sancti. ut quemadmodum euangelia actiones Christi comprehendunt: ita liber hic actiones enarrat, quæ spiritus sanctus per apostolos egit postea quàm in eos descendit, uaticinium illud explens, quod Christus in euangelio promiserat, dicens; AMEN dico uobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. quod quidem hic liber completum esse testatur in apostolis, quorum lingua totum orbem terrarum ad uerum Dei cultum conuertit; & quorum ipsa corporis umbra, & semicinctia miracula inaudita ediderunt. Porro maxima pars eorum, quæ hîc tractantur, Pauli acta sunt; qui plus omnibus laborauit, & maiora præ cæteris subiit pericula. quæ Lucas exactè noscens, utpote qui simul cum eo peregrinatus fuerat, atque unà conuixerat, diligentissimè scripsit ab initio conuersionis eius usque ad Pauli Romæ commorantis biennium, id est usque ad quartum Neronis annum, qui fuit ab ortu Christi sexagesimus primus. Hunc librum Iosephus Iudæus, Tyberinus Comes, in hebraicam linguam translatum, in gazophylacio Iudæorum Tyberiadis reperit, anno à Christo nato trecentesimo septuagesimo. Græci distinguunt uolumen hoc in capita quadraginta, Latini uerò in capita uiginti octo. Fama est nonnulla ultra hæc scripsisse Lucam sequenti libro annoranda.

PAULI EPISTOLAE.

C



PAVLVS Apostolus, qui antè Saulus, extra numerum duodecim apostolorum, de tribu Benjamin, ex oppido Iudææ Gischalis, in Tarso Ciliciæ educatus, Hierosolymis à Gamaliele in lege eruditus, & à Christo ad fidem inopinata reuelatione compulsus, scripsit tredecim infraſcriptas epistolas.

AD ROMANOS unam ex Corintho missam per Phœben, ministram ecclesiæ Cenchrensis; in qua adnititur reuocare ad mutuam concordiam Romanos, nuper ex Iudæis, & gentibus conuersos; qui de dignitate, ac meritis eorum, qui ad Christianam religionem admittendi, & ad ecclesiastica ministeria eligendi erant, graui ac periculosa inter se altercatione contendebant. Diuiditur hæc epistola apud Græcos in capita uiginti, apud recentiores Latinos in capita sexdecim, apud ueteres uerò Latinos, ut ex Ambrosii commentariis apparet, in capita quinquaginta.

AD CORINTHIOS duas; quarum priorem scripsit ex Epheso per Stephanum, & Fortunatum, studens sedare eorum dissidia, ac diuersas factiones, quas potissimum circa euangelij prædicatores, circa diuina sacramenta, & sacramentorum ministros, arrogantes quidam mundanæ sapientiæ professores excitauerant. Habet apud Græcos capita nouem, apud iuniores Latinos sexdecim, apud ueteres septuaginta tria.

POSTERIOREM ex Philippis Macedonia misit per Titum & Lucam, admonens eos, ut sinceros euangelij ministros, & sacramentorum dispensatores sequantur, falsos uerò ac malos reiiciant. Distinguitur à Græcis in capita decem, à neotericis Latinis in tredecim, ab antiquis in uiginti septem.

AD GALATAS unam à Roma; qua Galatas per falsos apostolos ad Iudaismum retractos grauius obiurgat, & à legis Moysaycæ seruitute, in quam relapsi fuerant, ad euangelicam libertatem reuocat. Continet apud Græcos capita duodecim, apud Latinos sex.

AD EPHESIOS

A **AD EPHESIOS** unam à Roma per Tychicum ex carceribus; in qua formam Christianæ uitæ, quam ab eo Ephesi, iam in fide extructi, flagitauerant, breuiter præscribit. Habet apud Græcos capita decem, apud Latinos sex.

AD PHILIPPENSES unam ex carceribus Romanæ urbis per Epaphroditum, adhortans clerum Philippensium ad mutuam concordiam, & ad tuendam ecclesiasticam unitatem aduersus pseudoapostolos, iudaismum ingerentes, & diuisionem ecclesiæ molientes. Græci diuidunt in octo capita, Latini in quatuor.

AD COLOSSENSIS unam scriptam ab Epheso ex uinculis per Tychicum; qua Colossenses, multis adhuc iudaicis & græcanicis superstitionibus implicitos, corrigit, ostendens non esse aliunde accessum ad Deum, quam per Christum. Græcè diuiditur in capita decem, Latinè in quatuor.

AD THESSALONICENSIS duas; quarum priorem scripsit ab Athenis per Tychicum, animans eos, ut sicut in fide semel accepta perstiterunt, ita illatas pro Christo persecutiones alacri & infracto animo perferant. Habet apud Græcos capita septem, apud Latinos quinque. **B**

POSTERIOREM ex eodem loco, atque per eundem scripsit, iterum eorum animos confirmans ad afflictiones propter Christum uiriliter tolerandas, promittens nec ipsi defuturum præmium, nec aduersarijs uindictam. Habet apud Græcos capita quinque, apud Latinos tria.

AD TIMOTHEVM duas; quarum primam ex Laodicea Phrygiæ per Tychicum diaconum misit, instruens eum, quæ magistrum ac pastorem ecclesiæ deceant. Habet apud Græcos capita decem & octo, sex uerò apud Latinos.

SECUNDAM uerò è Roma ex uinculis, confirmans eum, in ecclesia detentum; simul & ipsum admonens, ne persecutionum procellis deiiciatur, sed suo exemplo animum ad martyrium præparet. Græci partiuntur in capita nouem, Latini in quatuor.

AD TITVM unam ex Nicopoli Macedoniae, instituens eum, quomodo, ordinatis ecclesiæ ministris, & explosis falsis apostolis, oues sibi concreditas gubernet. Græcorum capita sunt quatuor, Latinorum tria. **C**

AD PHILEMONEM Phrygem unam ex uinculis Romanæ urbis per Onesimum; in qua eundem Onesimum, seruum Philemonis fugitiuum, & compilatorem, hæro suo reconciliat, domini erga seruum, & serui erga dominum officia demonstrans. Græci in duo capita diuidunt, Latini in nullum.

MORITVR PAVLVVS Apostolus in urbe Roma, postea quàm ab Hierosolyma usque in Hispaniam tringinta & quinque annis prædicasset, capite detruncatus tertio decimo Neronis anno, hoc est septuagesimo ab aduentu saluatoris anno, die uicesima nona mensis Iulij. ferturq; etiam præter hæc scripsisse plurima, quæ secundo huius operis libro recensentur.

EPISTOLA CATHOLICA PETRI. **D**



SIMON PETRVS, filius Ioannis, prouinciæ Galilææ, uicò Bethsaidæ, frater Andreæ apostoli, & princeps apostolorum, post episcopatum Antiochenum, Rom. ecclesiæ episcopus, & totius ecclesiæ Christianæ pontifex primus, scripsit per Syluanum, fidelem fratrem, epistolam unam, quæ Catholica nominatur, ad Christianos dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ; qui nuper ex iudaismo ad fidem Christi uenerant, confirmans eos in fide, admonensq; ut, præterita uita relicta, nouam aggrediantur, & tanquam aduenæ ac peregrini, à carnalibus desiderijs abstineant, parati de omnibus rationem reddere in die iudicij. Hanc Latini in quatuor, Græci uerò in octo capita diuidunt. Moritur Romæ, cum annis uiginti quinque cathedram pontificiam tenuisset, ultimo anno Neronis, à quo

A quo cruci affixus est capite ad terram uerso, & pedibus in sublime eleuatis, asserens se indignum, ut sic crucifigeretur, ut dominus suus: sepultusque est Romæ in Vaticano iuxta uiam triumphalem, anno ab ortu Christi septuagesimo. Citantur à uetustis patribus sub Petri nomine uarij generis scripta, à nobis in libro sequenti annotata.

EPISTOLA CATHOLICA IOANNIS.

B **I**OANNES Apostolus, & Euangelista, quem dominus noster Iesus Christus amauit plurimum, conscripsit epistolam unam, quæ Catholica nuncupatur, ad omnem Christianorum ætatem, pueros, adulescentes, ac senes. in qua theologicè tractat de uerbo æterno, docens causas auentus, & manifestationis eius: & de charitate Dei erga nos, ac dilectione mutua inter nos exercenda copiosissimè disserit. Diuiditur apud nos in capita quinque, à Græcis uerò in capita septem. Diuus Augustinus in secundo euangelicarum quæstionum uolumine iudicare uidetur, à Ioanne hanc epistolam missam fuisse ad Parthos, ita scribens: **DICTVM** est à Ioanne in epistola ad Parthos. **DILECTISSIMI** nunc filij Dei sumus; & nondum apparuit, quod erimus. scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum, sicuti est. quæ sanè uerba in tertia huius epistolæ capite leguntur. Hoc ipsum insinuat Higinus, septimus post Petrum Romanæ ecclesiæ pontifex, in epistola prima ad omnes Christi fideles. ubi hæc habet: **ET ITERVM** ipse Ioannes Euangelista ad Parthos, **TRES SVNT**, inquit, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt. Quæ uerba capite 5, huius epistolæ continentur. **I. Ioan. 3. a**

I. Ioan. 5. a

DESCRIPTIVIS,

ET SCRIPTORIBVS DIVINIS

VTRIVSQVE TESTAMENTI, AD SECVNDVM

CANONIS ORDINEM PERTINENTIBVS,

SECTIO SECVND A.



V M in prima huius operis Sectione autores Protocanonicos librorum utriusque testamenti, qui ad Primum sacri canonis ordinem pertinent, enumerauerimus; consequens est, ut in hac secunda Sectione scriptores Deuterocanonicos librorum tam ueteris, quam noui testamenti, qui in Secundo eiusdem canonis ordine collocantur, breuiter designemus, incipientes a libris ueteris testamenti, de quibus olim orthodoxi patres addubitarunt, & quos hebraei, excepto libro Esther, inter diuina scripta non recipiunt. horum index hic est,

| | | | | |
|----|---|---------|--|---|
| 1 | אסתר | Εσθήρ, | Esther, | |
| 2 | טוביה | Τωβίτ, | Tobias, | |
| 8 | יהודית | Ιουδίτ, | Iudith, | |
| 4 | ברוך | Βαρούχ, | Baruch, | |
| 5 | Επιστολή Ιερεμίας, | | Epistola Ieremiæ, | |
| 6 | Σοφία Σαλομώντος, | | Sapientia Salomonis, | |
| 7 | Σοφία Σιραχ, | | Sapientia Sirach, siue ecclesiasticus, | |
| 8 | Προσανχη Αζαρίε, Ωδή τριῶν παιδῶν, Σωσάννης Ἱσορία, Περι Δρακόντος τῶ βίβλ., | | Oratio Azariæ, Hymnus trium puerorum, Sosannæ historia, De Dracone Belis, | } |
| 9 | Μακκαβαίων α. | | Maccabæorum primus, | |
| 10 | Μακκαβαίων β. | | Maccabæorum secundus. | |

ESTHER.



ESTHER אסתר librum, ut Isidorus autumat, Esdras conscripsit, Eusebius in chronicis arbitratur libri huius autorem fuisse Esdra posteriori; & historiam, quæ in hoc libro describitur, post Esdræ mortem cõtigisse: eo quod uerisimile non sit Esdræ prætermisisse tam celebrẽ historiam, si temporibus suis contigisset. Philo Iudæus in uolumine suæ chronographiæ asserit libri huius scriptorem fuisse Iochim, pontificem hebræorum, Iesu sacerdotis magni filium: qui, adhortante eum per literas Mardocheo hebræo, patre adoptiuo ipsius Esther, historiam hanc literis mandauit; instituitque solemnitate פורים Purim, hoc est Sortium, in memoriam iudaicæ liberationis; quam præsens historia consilio, ac precibus Esther factam esse commemorat. Plerique Latinorum tradunt uolumen hoc à Mardocheo hebraicè conscriptum.

A ptum. quibus etiam fauere uidentur uerba illa noni capitis huius libri, SCRIPSIT itaque Mardocheus omnia, & literis comprehensa misit ad Iudæos. & paulò infra, SUSCEPERUNTQUE Iudæi ea, quæ Mardocheus literis facienda mandauerat ... & cuncta gesta, quæ epistolæ, id est libri huius uolumine, continentur. Scripsit autem Mardocheus omnia, quæ habentur à principio libri usque ad ea uerba, quæ in principio decimi capitis ponuntur in hunc modum: *Mardocheus iudaici generis fuit à rege Assuero secundus, & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea, quæ ad pacem seminis sui pertinerent.* Cætera uerò sex capitula usque in finem libri ab incerto græco scriptore addita sunt ex diuersis historiis, præcipuè uerò ex undecimo libro Antiquitatum Iosephi: ex quo exemplum literarum Aman, & exemplum epistolæ regis Artaxerxis, quæ tertio decimo & sextodecimo huius libri capite recitantur, ad uerbum desumptæ sunt. Initium huius libri iuxta hebraicam ueritatem, & nostram uulgatam editionem sic habet: *In diebus Assueri regis, qui regnauit ab India usque Aethiopiam &c.* in uulgata uerò græcorum translatione sic: *Εἰς δαυτέρου βασιλείου Ἀρταξέρρου τοῦ μεγάλου, τῆς μίας τῆς Νισαί, ἐν ὅπιον εἶδε Μαρδοχαίου.* hoc est, *Anno secundo, regnante Artaxerxe magno, una die mensis Nisan, somnium uidit Mardocheus, &c.* quæ in nostris codicibus toto undecimo & duodecimo capite continentur. post quæ statim subnectuntur iam præmissa uerba, *In diebus Assueri regis, qui regnauit ab India.* Finis autem huius libri apud hebræos concluditur in illa sententia, *Quærens bona populo suo, & loquens ea, quæ ad pacem seminis sui pertinerent.* Quæ quidem sententia in exemplaribus nostris principium decimi capitis est. apud græcos uerò finem accipit: liber hic, ubi caput undecimum nostræ editionis incipit, uidelicet in uerbis illis, *Anno quarto regnantibus Ptolemæo & Cleopatra, &c.* usque ad, *Filium in Ierusalem.* Nostri autem codices ab hoc loco usque ad finem uoluminis sex capitula interponunt. Accidit autem, ut propter has appendicum lacinias, hinc inde quorundam scriptorum temeritate inferas, liber hic, quamuis hebraicus, & hebrais receptus, serò admodum apud Christianos canonicam auctoritatem receperit. unde nec ipsum Melito Sardenis episcopus, nec Gregorius Nazianzenus inter sacros libros enumerarunt. & Athanasius de catalogo canonicorum uoluminum tanquam nothum nominatim abiecit. quem denique concilium Carthaginense tertium inter sacra uolumina computauit. Claruit Mardocheus unà cum Iochim, Iesu sacerdotis magni filio, sub Artaxerxe, rege Persarum ac Medorum: mortuusque est anno centesimo nonagesimo octauo uitæ suæ, circa annum ab orbe condito ter millesimum sexcentimum.

cur aliquandi liber Esther non fuerit ab omnibus catholicis receptus.

TOBIAS.

טוביה TOBIA, qui sonat apud nos Bonitas domini, filius Tobiel, nepos Hannanael, de tribu & ciuitate Nephtholim, quæ est in Galilæa ad terminũ occidentalem, ut habetur ex eius historia, quæ hebraico sermone edita circumfertur, iubente Raphaele Archangelo, qui eum à cæcitate curauit, scripsit Chaldaica lingua librum suum, in quo calamitates, & diuinas consolationes digessit; quas cum omni familia sua captiuus in Ninie expertus est, tempore Salmanassar regis Assyriorum; qui anno nono Osee regis Israel, & anno sexto Ezechie regis Iuda, capta Samaria, transfuit Israel in Assyrios, posuitque eos in Haylam, & in Abor iuxta fluuium Gozam in ciuitatibus Medorum. Transfuit hunc librum diuus Hieronymus ex Chaldæo sermone in Latinum unius diei labore. quem concilium Carthaginense tertium, cui Augustinus circa annum domini cccc. interfuit, in canone sanctarum scripturarum recepit: quanquam & longè antea usi fuerint ipsius testimoniis ad comprobanda fidei nostræ dogmata sanctissimi pontifices Clemens primus Romanus, Anacletus, & Alexander. Vidimus superioribus annis sub TOBIÆ nomine librum, hebraicis literis & lingua scriptum, ex urbe Constantinopolitana aduectum; in quo Tobias ipse, de se ipso in prima persona à principio usque ad finem uoluminis loquens, suam ipsius narrabat historiam, eratque eius initium huiusmodi:

Est. 9. e

אשאל בן גבאל בן אריאל בן חננאל בן טובי בן טוביאל בן חננאל בן אריאל בן גבאל בן אשאל id est, *Hic est liber Tobi, filij Tobiel, filij Hannanel, filij Ariel, filij Gabeel, filij Hasael, &c.* quæ cum perlegissemus, inuenimus multa in eo redundare, quæ in nostro canonico Tobia libro non sunt, & longè plura in eo deesse, quæ apud nos habentur. Videtur hebræus hic liber aliquam habere similitudinem cum græco Tobia uolumine; in quo Tobias, de se ipso recta narratione loquens, per multa capita inducitur, & exordium historiæ eadem habet uerba in hunc modum conscripta: Βίβλος λόγων Τωβίτ τῷ Τωβιῆλ, τῷ Ἀναριῆλ, τῷ Ἀριῆλ, τῷ Γαβαῆλ, τῷ Ἀσαῆλ. id est, *Liber sermonum Tobia, filij Tobielis, &c.* ut supra. Vixit Tobias iuxta uulgatam Latinorum editionem annis CII. secundum uerò Græcorum translationem annis CLVIII. mortuus, ac sepultus honorificè in Ninie circa annum ab orbe condito ter millesimum trecentessimum septuagesimum. in cuius uolumine ea, quæ de morte & sepultura eius leguntur, à Tobia filio Tobia superaddita creduntur, & in exemplari hebræo non habentur. Diuidunt Græci præsentem librum in capita nongenta tria, Latini in quatuordecim.

IVDITH.

יהודית IEHV DITH librum Philo Iudæus in uolumine Chronographiæ suæ scriptum asserit à Ioachim, sacerdote magno, Iesu sacerdotis magni filio; qui in eo descripsit Iehudith Bethulianæ ex tribu Ruben, raræ & incomparabilis fœminæ, uictoriam, & obsessæ patriæ liberationem; quæ per ipsam facta est anno terdecimo Artaxerxis prisci; qui Assuerus, & Nabuchodonosor in scriptura diuina cognominatur; quicq; cum collega suo Cyro primus Medis, Persis, & Assyriis imperauit, ut in primo Esdræ libro, & in Danielis uolumine legitur. Hunc librum Hieronymus ex Chaldæo Latinum fecit; quem antea græcè ab incerto interprete editum sacrosancta Nicæna synodus in canone sanctarum scripturarum asciuerat circa annum domini CCCXXXII. Vixit Iudith, Philone teste, annos centum uiginti quinque: ex quibus centum & quinque annis post liberatam à se patriam in sancta uiduitate perseuerauit, decedens ex humanis circa annum ab orbe condito ter millesimum quingentesimum & sexagesimum. cui Ioachim sacerdos, eius historiæ scriptor, paulò post superuixisse creditur. Initium huius libri, quod apud nos est, *Arphaxat quoque rex Medorum subiugauerat multas gentes imperio suo*, in uulgatis Græcorum codicibus incipit in hæc uerba: Ἐπὶ τῆς δωδεκάτης τῆς βασιλείας Ναβουχοδονόσορ, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν Νινυῆ τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ, ἐν ταῖς ἡμέραις Ἀρφαξάδ, ὃς ἐβασίλευσεν Μήδων ἐν Εὐβατάνου. hoc est, *Anno duodecimo regni Nabuchodonosor, qui in Assyria regnauit in Ninie ciuitate magna in diebus Arphaxad, qui regnauit in Ecbatanis &c.* Multa quoque in eisdem græcis exemplaribus sparsim habentur, quæ nostra uulgata editio non agnoscit. Græci librum hunc fecant in capita sexaginta, Latini in sexdecim.

BARVCH.

ברוך BARVCH, id est Benedictus, propheta, Neeria filius, Maasia nepos, Sedechia pronepos, Sedei abnepos, Ieremia propheta discipulus, & scriba, cum post euersam urbem ex Aegypto, quò cum Ieremia fuerat abductus, uenisset in Babylonem, scripsit hebraico sermone librum propheticum; in quo calamitatem Chaldaicæ captiuitatis, & eiusdem calamitatis causas, incredulitatem scilicet, & ingratitude populis iudaicis defleuit, intermissis uaticiniis de felici Iudæorum in patriam reditu, de pollicitatione testamenti noui, & de aduentu filij Dei in carnem. quem librum cum ipse, audiente ac flente uniuerso populo, qui erat in Babylone captiuus, coram rege Ieonia, & optimatibus eius legisset, placuit omnibus, ut liber unà cum pecuniis in Hierusalem, siue potius in ruinis iam incensæ Hierusalem mitteretur ad Ioachim, filium Helchia, & ad ceteros sacerdotes, qui de reliquiis captiuitatis in urbe supererant; ut pro salute populis captiui, & pro incolumitate Nabuchodonosor regis Deum assiduis orationibus deprecarentur. Liber editus, lectus,

A Etus, & missus fuit in Hierusalem anno quinto Hierosolymitanæ deuastationis, & Babylonicæ captiuitatis mense primo, septima die mensis. quem concilium Florentinum, & concilium Tridentinum in catalogo canonico enumerant.

IEREMIAE EPISTOLA II.



IBELLVM, siue admonitionem, siue epistolam secundam Ieremiae prophetae, quæ Baruch uolumini in uulgata editione annectitur, Ieremias, excipiente Baruch ipse scriba, dictauit; & post urbis euerisionem tradidit illum populo, mox in captiuitatē à Chaldæis abducendo; ut hoc scripto admoneret eum, ne ingressus Babylonem, cum deos aureos eius regionis uideret, cultum Dei sui desereret, & idola

B Chaldæorum adoraret. Meminit scripturæ huius autor secundi libri Macchabæorum capite 2. his uerbis: *INVENTVM* in descriptionibus Ieremiae prophetae, quòd iussit eos, qui transmigrabant, ignem accipere: & dedit illis legem, ne obliuiscerentur præcepta domini, & ne errarent mentibus, uidentes simulacra aurea & argentea, & alia ornamenta eorū. Numeratur & hic inter cetera Testamentaria scripta.

SAPIENTIA SALOMONIS.



IBRI Sapientiæ autorem fuisse Salomonem constat ex his, quæ ipsemet autor nono huius uoluminis capite de se ipso scripsit, inquit; *TV AVTEM DOMINE* elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum, & filiarum tuarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate altare, similitudinem tabernaculi tui, quod præparasti ab initio. Apparet quoque huius libri sententias, quanquam à Salomone conditas, tamen à græco scriptore fuisse collectas, & in hoc uolumine græcè conscriptas. Augustinus existimauit aliquando scriptorem huius libri fuisse Iesum, filium Syrach. quod postea diligentius inquirens, in secundo Retractationum uolumine retractauit. Sunt qui putent opus esse Philonis Iudæi iunioris, uiri græca eloquentia celeberrimi; qui pro gente sua ad Caium imperatorem legatione functus est. alij arbitrantur id ipsum alterius esse Philonis Iudæi senioris; qui annis ferè centum & septuaginta ante seruatoris nostri aduentum floruit Onia sacerdotis magni temporibus. Quorum sententiis non solum prædicta huius uoluminis uerba repugnare uidentur, sed & ipse Iosephus apertissime reclamât, dum in primo aduersus Apionem libro seniore Philonem non inter Iudæos, sed inter ethnicos historicos, & eos præsertim, qui nunquam sacros legerunt libros, recenset. Cæterum de hac re fusius in octauo huius operis libro, Deo approbante, à nobis dicetur. Synodus tertia Carthaginensis, concilium magnum Lateranense, & Gelasius Papa in ordine canonicorum uoluminum coaptarunt.

ECCLESIASTICVS.



SAPIENTIA Syrach ideo Ecclesiasticus inscribitur, quia, ut ait Augustinus, in autoritatem ecclesiæ recipi meruerit, & inter propheticos libros numerari; à græcis uerò Παναγιώτος ab omni, quæ in eo continetur, uirtute appellatus est. Hunc Iesus, filius Syrach, Hierosolymitanus, hebraica lingua scripsit. & Hieronymus eum se hebraicè scriptum reperisse testatur in præfatione Prouerbiorum ad Chromatium: sed nepos eius, uocatus & ipse Iesus, & ut Damascenus in quarto fidei orthodoxæ tradit, patrem habens Syrach, uolumen ex hebræo in græcum uertit.

mologiarum censet libri huius interpretem, qui se in praefatione nepotem Iesu nomi- nat, fuisse nepotem Iesu, sacerdotis magni, uiuentis Aggaei & Zachariae temporibus. quod quidem plerisque absurdum uidetur, quia inter hunc & illum intercesserint anni trecenti. claruit enim praesentis operis interpres, nepos Iesu, regnante Ptolemaeo Euergete rege Aegypti, anno ab orbe condito ter millesimo septingentesimo. Concilium Carthag. tertium capite 43. praesens uolumen inter canonica scripta recepit, sub nomine tamen ac titulo SALOMONIS, ita fortasse illud inscribens, uel quia, ut Augustinus libro de ciuitate Dei annotauit, illorum temporum consuetudo obtinuit, ut Salomonis appellatione uocaretur; uel quod ipsum uolumen; aut ex Salomonis sententijs collectum esset, aut saltem Salomone uideretur non indignum. Huius concilij decreto subscribentes beatissimi pontifices Innocentius, & Gelasius, eundem librum canonicis inseruerunt scripturis.

DANIELIS SUPPLEMENTVM.



SUPPLEMENTVM libri Danielis, quod in hebraeo non habetur, sed ex graeca Theodotionis editione ab Hieronymo transcriptum est, quatuor continet, nempe orationem Azariae, hymnum trium puerorum, (quae apud nos in tertio Danielis capite leguntur) Susannae historiam, (quam graeci in principio libri Danielis ponunt) & Belis narrationem, tam in nostris, quam in graecis codicibus in fine uoluminis positam. De his olim apud summos ecclesiae proceres ingens fuit altercatio. Athanasius in Synopsi docet totam hanc appendicem ab ipsomet propheta Daniele conscriptam, & inter canonicas scripturas receptam. Origenes tractatu 31. in Mathaeum testatur eandem antiquitus in ecclesia cum summa ueneratione retentam. Eusebius, & Apollinarius iunior arbitrantur, id ipsum ad prophetiam & gesta Danielis prophetae de tribu Iuda, quae in sacro canone habentur, nihil profus pertinere, sed partem esse cuiusdam historiae; seu prophetiae, quam de alio quodam Daniele sacerdote, filio Abdæ, scripsit Abakuk, filius Iuda de tribu Leui, diuersus ab eo, qui inter duodecim prophetas annumeratur. Quam rem confirmant ex titulo & initio historiae Belis, quod apud septuaginta interpretes ponitur ad eum, qui sequitur, modum: Προφητεία τῶ Ἀβραάμ, ἡ δὲ τῶ Ἰσδᾶ, ἐν φυλῆς Λευί. id est, Prophetia Abraham, filij Iuda, de tribu Leui. Post quem titulum, libri exordium sic incipit: Ἀνθρῶπος τῆς ἡν. ἱεραὸς ὀνόματι Δανιήλ, υἱὸς τῶ Ἀβδᾶ, συμπόσιος τῶ βασιλέως τῆς Βαβυλῶνος. hoc est, Homo quidam fuit sacerdos, nomine Daniel, conuiuia regis Babylonis. Iulius Africanus hanc partem coniiicit esse graeci scriptoris commentum propter uerba, quae in Susannae historia continentur, respondente Daniele ad presbyteros ἀπὸ τῶ σχολῆς σχολῆσαι, ἀπὸ τῶ πρῶτος πρῶσαι. quae etymologiae ita graeco sermoni coherent, ut hebraeo eloquio accommodari non possint. Caeterum de huiusmodi controuersia in quinto & octauo huius operis libro satis superque disseruimus. Ecclesia catholica ab apostolorum temporibus usque adhuc, hymnum trium puerorum quotidie inter diuinas laudes decantans, & orationem Azariae unam cum historia Susannae, & Belis, atque Abakuk discophori singulis annis in sacris quadragenarij ieiunij mysteriis repetens, huic appendici canonicam auctoritatem promeruit. Conficta quoque sunt nonnulla, sub DANIELIS titulo scripta, sequenti uolumine recensenda.

Libro 5. an notatione 243. & libro 8. haest 6.

MACCABAEORVM LIBER I, ET II.



HISTORIA Maccabaeorum, quos Iudaei חַסְמוֹנַי Chasmonai, hoc est Asamoneo genitos uocant, duobus uoluminibus comprehensa, a tribus diuersis autoribus uidetur conscripta. Primum eius librum esse hebraei autoris, & hebraice scriptum phrasis ipsa indicat. & Hieronymus in praefatione Regum eum se hebraica lingua scriptum legisse confirmat. Secundum librum, qui, dempto primo eius capite, ac dimidio.

A midio secundi sic incipit. De Iuda Maccabaeo, & fratribus eius & c. usque in finem totius operis, graecus scriptor ex quinque libris Iasonis Cyrenaei in epitomen contraxit. quod ipsemet in praefatione fatetur, inquit: Ab Iasone Cyrenaeo quinque comprehensos libros tentauimus uno uolumine breuiare. Hunc abbreviatorem Hieronymus in secundo aduersus Pelagianos uolumine Iosephum, Mathathia filium, fuisse existimat. Honorius uero, Augustudunensis presbyter, in libro De ecclesiast. scriptoribus Philonem Iudaeum arbitrat. Tertiam huius historiae partem, quae ab initio secundi libri, usque ad dimidium secundi capituli, duabus epiniciis epistolis coarctatur, Senatus Hierosolymitanos conscripsit; una harum epistolarum ad Iudaeos Aegypti incolae missa, altera ad Aristobulum Aegyptij Regis praetorem. quae, quoniam uictorias perstringerent duobus Maccabaeorum libris descriptas, merito a patribus post finem prioris, & ante initium posterioris uoluminis collocatae sunt, tanquam ad utrumque ex aequo spectantes. Hos libros tam primum, quam secundum annis abhinc mille ducentis fuisse ab ecclesia Dei in sacrum canone receptos, asserit August. in 18 de ciuitate Dei. MACCABAEORVM, ait, libros non Iudaei, sed ecclesia pro canonicis accipit, propter quorundam martyrum passiones uehementes atque mirabiles; qui ante, quam Christus uenisset in carnem, usque ad mortem pro lege Dei certauerunt, & mala grauissima atque horribilia pertulerunt. Haec ille. Iosephus tamen in calce libri, quem de Maccabaeis inscripsit, constantissime affirmat Eleazari senis, & septem cum matre filiorum martyria, secundo huius historiae uolumine comprehensa, etiam apud hebraeos inter sacras literas haberi. Continet autem primus Maccabaeorum libri bella, quae aduersus impias gentes pro populo Dei quatuor fortissimi duces hebraeorum, nempe Mathathias sacerdos, Asamonei sacerdotis pronepos, & subinde tres filii eius, Iudas, Ionathas, & Simon, alter post alterum per duos & quadraginta continuos annos gesserunt, ab anno uidelicet orbis conditi ter millesimo septingentesimo & octogesimo octauo; qui est annus CLXXIIII. ante Christum, & CXXXVII. regni Graecorum in principio huius libri annotatus, usque ad annum ab orbe condito ter millesimum octingentesimum atque trigessimum; qui est annus ante Christi ortum centesimus trigessimus secundus & centesimus septuagesimus octauus regni Graecorum. in quo fraude Ptolemaei occisus est Simon. in cuius morte omnis canonica Maccabaeorum historia concluditur. nam ea, quae in posteriore libro narratur, historia ferè nihil aliud est, quam latior atque fusior repetitio rerum à Iuda Maccabaeo sub duobus Antiochis patre & filio usque ad annum primum Demetrii regis, & eadem Nicanoris gestarum, quae in prioribus septem capitibus primi Maccabaeorum narratur. Caeterum quia haec duo uolumina ab illustri Maccabaeorum cognomine titulum acceperunt; libet hic breuiter subnectere, quae de origine huius cognominis ipse legi in commentariis Rabbi Isaac benschola, id ita se habet: IUDAS, Mathathiae filius, cum aduersus Antiochum, Iudaeorum hostem, esset praelium iniciturus dedit militibus suis, ceu belli tesseram, sententiam illam Moysi Exodi cap. 15. מִי כִמּוֹחַ בְּאַלִּים יְהוָה Mi chemocha baelim Iehoua, hoc est D Quis sicut tu in fortibus domine? iussitque eam singulis ordinum uexillis, tanquam certae uictoriae omen, inscribi per quatuor has literas מַכַּבֵּי hoc est M, C, B, I. quae initiales sunt praedictarum quatuor dictionum, & earum sensum ex integro significant. Sed cum uulgi militum quatuor has literas breuitatis gratia pronunciarè coepisset non iuxta integram, quam referunt, sententiam, sed secundum unam dumtaxat dictionem, quae primum ex earum combinatione resultat, uidelicet MACCABAEI: paulatim militaris consuetudo obtinuit, ut huius tesserae autor Iudas, & eorum posterum, MACCABAEI cognomine appellarentur. SUMMA itaque omnium librorum ueteris testamenti complectitur numerum annorum trium millium octingentorum triginta, hoc est, AB initio Geneseos usque ad mortem Moysi, in fine Pentateuchi descriptam, annos bis mille quadringentos nonaginta duos. INDE usque ad primi templi constructionem, quae habetur in tertio Regum cap. sexto, annos quadringentos quadraginta. HINC ad secundi templi instaurationem, quae in Esdrae uolumine legitur, annos 125. INDE

Maccabaei unde nomen acceperint.

INDE usque ad Christum iuxta hebdomadarum Danielis supputationem sunt anni **A** quadringenti nonaginta, hoc est à secundi templi instauratione usque ad mortem Simonis, quæ canonicis prisci testamenti scriptis finem imponit, anni trecenti quinquaginta octo; à morte uerò Simonis ad Christum anni centum triginta duo. **SUNT** itaque ab orbe condito usque ad Christum anni ter mille nongenti sexaginta duo.

DE SECUNDO ORDINE SCRIPTURARVM NOVI TESTAMENTI.

HACTENVS de Secundo ordine scripturarum ueteris **B** testamenti, quas Iudæi reiciunt; sequitur nunc Secundus ordo scripturarum noui testamenti, de quibus aliquando inter orthodoxos Christianos controuersia fuit, harum catalogus hic est,

- 1 Marci caput ultimum.
- 2 Lucæ historia de sudore Christi sanguineo, & angelica ad ipsum consolatione; quæ uigesimo secundo eiusdem euangelij capite continetur.
- 3 Ioannis historia de muliere in adulterio deprehensa; quæ octauo eiusdem euangelij capite legitur.
- 4 Pauli epistola ad Hebræos.
- 5 Iacobi epistola.
- 6 Petri epistola secunda.
- 7 Ioannis epistola secunda.
- 8 Ioannis epistola tertia.
- 9 Iudæ epistola.
- 10 Apocalypsis, id est Reuelatio Ioannis.

MARCI FINIS.

MARCI finis, hoc est postremum eius euangelij capitulum, ab eo uidelicet loco, **SURGENS AUTEM IESVS MANE PRIMA SABBATI**, usque ad ultimum, in quo apparitio Christi ad Magdalenam, & eiusdem **D** in cælum ascensio narratur, sicut ex monumentis ueterum apparet, non statim ab exordio nascentis ecclesiæ fuit inter canonicas scripturas receptus. Hieronymus quæstione tertia ad Hedibiam dissoluens contradictionem, quæ esse uidetur inter Matthæum dicentem Christum uespere sabbati surrexisse, & Marcum dicentem Iesum una sabbati mane surrexisse, sic scribit: **HUIUS** quæstionis duplex est solutio: aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur euangelis, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine nõ habentibus, præsertim cum diuersa atque contraria Euangelistis cæteris narrare uideatur: aut hoc respondendum, quod uterque uerum dicit: Matthæus, quando dominus surrexit, uespere sabbati ostendens; Marcus uerò quando eum uiderit Magdarena. Hæc Hieronymus: cui subscribens Euthymius in explanatione eiusdem capituli statim post illa uerba Marci, **NEMINI QUICQUAM DIXERUNT; TIMEBANT ENIM, ET C.** sic loquitur: **QUIDAM** interpretum asserunt hoc in loco completum esse Marci euangelium: quæ uerò sequuntur, recentiore esse additionem. oportet tamen

A tamen hanc explanare, cum ueritati nihil repugnet. Arbitror fuisse aliquando hoc ultimum capitulum nonnullis patribus suspectum propter quasdam apochryphas periodos temere ab incerto autore insertas; ex quibus Hieronymus in secundo aduersus Pelagianos dialogo uerba quædam citat in hunc modum. **IN** QUIBUSDAM, inquit, exemplaribus, & maximè in Græcis codicibus iuxta Marcum in fine eius euangelij scribitur: **POSTEA**, cum accubuissent undecim, apparuit eis **IESVS**, & exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, quia his, qui uiderant eum resurgentem, non crediderant: & illi satisfaciebant, dicentes, **SÆCULVM** istud iniquitatis, & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus ueram Dei apprehendi uirtutem: idcirco iam nunc reuela iustitiam tuam, & c. Quod quidem additamentum, quia Manichæorum dogma redolet, ab omnibus tam Græcis, quàm Latinis exemplaribus meritò resectum ac reiectum est. Augustinus libro tertio de consensu Euangelistarum præfens capitulum ab initio usque ad finem **B** eadem ueneratione suscipit, qua & totum Marci euangelium, & sub nomine Marci Euangelistæ id ipsum cum cæteris Euangelistarum dictis concordat. Beda sub finem libri quarti commentariorum in Marcum hoc extremum capitulum ex autoritate totius ecclesiæ, ut proprium & germanum Marci Euangelistæ recognoscens, & exponens, hæc ait: **NOTANDVM** est, quòd euangelium suum Marcus quanto tardius cæteris inchoauit, tanto in longiora scribendo tempora porrexit. nam neque de natiuitate ipsius domini, aut præcurforis eius, neque de infantia, uel pueritia scribens, ab initio euangelicæ prædicationis, quod per Ioannem factum est, cœpit, & ad illud usque tempus narrando peruenit, quo Apostoli idem euangelij uerbum totum prædicando disseminauerunt per orbem. His patribus omnis ante & post ipsos Latinorum patrum chorus sine ulla hæsitacione assentitur; & uniuersa Christianorum ecclesiæ quotannis in festis dominicæ assumptionis tam aperta uoce pronunciat, & decantat illud esse Marci Euangelistæ, ut de eius tam autore, quàm autoritate nemo nisi impius possit dubitare. **C**

HISTORIA DE SUDORE CHRISTI sanguineo, & de Angeli ad ipsum consolatione, ex Lucæ Euangelio, Cap. XXII.

HISTORIA De sudore Christi sanguineo, & de Angelica ad ipsum consolatione, quam Lucas euangelij sui cap. 22. describit, idcirco in secundo canonicarum scripturarum ordine collocatur, quòd de ea nonnulli ex ueteribus aliquando ad dubitauerint, & quòd multi peruetusti catholicorum codices ipsam non habuerint, quemadmodum Hilarius decimo De trinitate testatur his uerbis: **NËC** sanè ignorandum nobis est, & in græcis, & in Latinis codicibus complurimis uel de adueniente Angelo, uel de sudore Christi sanguineo nihil scriptum reperiri. ambigentibus igitur, utrum hæc in libris uariis aut desint, aut superflua sint, incertum hoc nobis relinquatur de diuersitate librorum. Hoc & Hieronymus in secundo aduersus Pelagianos dialogo indicare uidetur, sic inquit: **IN** quibusdam codicibus tam græcis, quàm Latinis inuenitur, scribente Luca, Apparuit ei Angelus de cælo confortans eum: haud dubium, quin dominum saluatorem. qua quidem locutionis forma innuit diuus Hieronymus non omnes codices ea uerba habuisse. Suspicio uerò hanc historiam olim à quibusdam orthodoxis pio quidem, sed simplici zelo reiectam, quòd fauere uideretur Arrianis hæreticis; qui ex hoc, & huic similibus testimoniis astruebant filium Dei in eadem impassibilis Dei natura cum patre non esse. nam & aliud testimonium de fletu Christi hic simile fuisse à catholicis nonnullis hac de causa ex Lucæ euangelio sublatum, **C** Epipha-

Epiphanius in libro Anchorato planè ostendit, hæc scribens: FLEUIT etiam Christus, A uelut in euangelio secundum Lucam habetur in exemplaribus incorruptis. & utitur eo testimonio sanctus Irenæus in opere contra hæreses aduersus eos, qui Christum in apparentia apparuisse dicunt. uerùm orthodoxi quidam sustulerunt uerbum, timentes, & non intelligentes ipsius finem, ac uim, & robur. constitutus enim Christus in anxietate sudauit; & fuit sudor ipsius uelut guttæ sanguinis: & conspectus est Angelus confortans ipsum. Hæc Epiphanius. Constat hanc historiam, quam Dionysius Areopagita in libro de cœlesti hierarchia citat, & approbat, communi totius ecclesiæ consensu in canonem sacrorum uoluminum receptam, & ecclesiastica sanctione sub anathematis pœna cautum, ne quis eius auctoritatem contemnere audeat. unde & inter alios ecclesiasticos anathematismos, qui ab Athanasio in sexto De beatitudine filij Dei uolumine enumerantur, hic quoque recensetur: SI QVIS NEGAVERIT VERVM HOMINEM, QVEM FILIVS DEI ASSVPSIT, SANGVINEM SVDSASSE, ANATHEMA ILLI. B

PARS PRIOR OCTAVI CAPITIS Euangelij secundum Ioannem.



VLIERIS in adulterio deprehensæ historiam, quæ Ioannis octavo capite habetur, ecclesia multis annis post euangelium Ioannis in canone recepit, & partem esse Euangelij Ioannis declarauit; cum antea in multis Græcorum & Latinorum exemplaribus non extaret; sicut Hieronymus in secundo aduersus Pelagianos uolumine scribit; & Euthymius in commentariis eiusdem capituli testatur reliquit his uerbis:

SCIRE autem oportet, quod ea, quæ ab hoc loco habentur, usque ad eum, quo C dicitur, ITERVM ERGO LOCVTVS EST ILLIS IESVS, DICENS, EGO SVM LVX MVNDI, in exactioribus exemplaribus aut non inueniuntur, aut obelo confossa sunt, eo quod illegitima uideantur, & addita. & huius argumentum est, quod nullus ea sit interpretatus. nobis tamen animus est etiam hæc declarare, quod utilitate non careant, sicut & caput de muliere in adulterio deprehensa, quod inter hæc ponitur. Hæc ille. Existimant autem quidam ex uetustioribus præsentem historiam huc fuisse translata ex euangelio quodam Apocrypho secundum Hebræos; in quo narrationem talem fuisse descriptam Eusebius in tertio Ecclesiasticæ historiæ ex testimonio Papiæ indicat his uerbis: PAPIAS simul & historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata est à Iudæis apud dominum. habetur autem hæc in euangelio, quod dicitur, SEC VNDVM HEBRÆOS, scripta parabola. Cæterum sacrosancta ecclesia, hanc historiam singulis annis tempore quadragesimalis ieiunij in sacris mysteriis sub nomine Ioannis Euangelistæ decantans, parem ei auctoritatem derulit cum cæteris eiusdem euangelij capitulis. & diuus Ambrosius in secunda ad Studium epistola hanc ipsam asserit celebrem semper in ecclesia fuisse, & tanquam euangelicam Ioannis scripturam fidelium omnium ore decantatam. D

EPISTOLA AD HEBRÆOS.



PISTOLA ad Hebræos duo potissimum efficit. primùm aduersus hebræos quosdam nuper conuersos, qui legis obseruantiam putabant cum euangelio miscendam, ostendit ex aduentu Christi cessasse umbras Mosaycæ legis, & in locum ueteris testamenti nouum longè præstantius successisse. consolatur deinde eos, qui propter fidem Christi persecutiones, & afflictiones uarias perferebant. De huius epistolæ tam autore, quàm auctoritate fuit olim inter græcos & latinos patres non le-

uis

A uis controuersia, asserentibus plerisque Latinorum eam non esse Pauli, & propter hoc ipsam inter canonicas scripturas non recipientibus; sicut ex scriptis Hieronymi apparet; qui, de auctoritate eius mentionem faciens in sextum Esaia caput, sic inquit: PAVLVS in epistola ad Hebræos, quam Latina consuetudo non recipit, & c. & in caput Esaia octauum, BEATVS Apostolus in epistola, quæ ad Hebræos scribitur, licet eam Latina consuetudo inter canonicas scripturas non recipiat, & c. De autore quoque idem Hieronymus in catalogo uirorum illustrium sic scribit: EPISTOLA, quæ fertur ad Hebræos, usque hodie non esse Pauli creditur propter styli sermonisque distantiam, sed uel Barnabæ iuxta Tertullianum, uel Lucæ Euangelistæ, iuxta quosdam etiam Clementis urbis Romæ. Sciendum tamen est uetustissimos tam Latine, quàm Græcæ ecclesiæ proceres hanc epistolam, tanquam Pauli scripturam, fuisse ueneratos, quemadmodum Hieronymus in epistola ad Dardanum fatetur his uerbis: EPISTOLA, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesiis orientis, sed omnibus Græci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli recipiuntur: licet plerique eam uel Barnabæ, uel Clementis arbitrentur. uerùm nihil interest, cuius sit, cum sit ecclesiasticæ uiri, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur. quod si eam Latinorum consuetudo non recipit; nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate recipiunt: & tamen nos utrunque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed ueterum scriptorum auctoritatem sequentes; qui plerumque eius utuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis solent, sed quasi ecclesiasticis, & canonicis. Hæc Hieronymus de autore & auctoritate huius epistolæ, de qua nos in septimo huius operis libro copiosissimè differemus. Scripsit igitur, siue dictauit hanc epistolam Paulus hebraico sermone; Lucas autem Euangelista, uel Clemens Rom. Pont. græco eam sermone, non tamen sensibus exornarunt. Hanc sacratissima Nicæna synodus, tanquam à Paulo Apostolo scriptam, inter sacra uolumina recepit; & concilium Laodicenum, Carthaginiense tertium, & concilium Aurusicanum in sacrum catalogum retulere. Missa est ab urbe Roma ex uinculis per Timotheum: diuiditurque apud Latinos in capita tredecim, apud Græcos uerò in capita uiginti duo.

IACOBI EPISTOLA.



D IACOBVS Apostolus, Alphæi filius, cognomento Iustus, (quem Paulus, ad Galathas scribens, fratrem domini appellat, & Marcus minorem uocat) primus fuit Hierosolymæ episcopus. hunc Epiphanius putat Iosephi, sponsi Mariæ uirginis, fuisse filium; Hieronymus uerò ex Maria, sorore matris domini, & Alphæi uxore, genitum. Hic scripsit ad duodecim tribus dispersionis, tum primùm ad Christum conuersas, epistolam unam De tentationum uarietate, De fide ex operibus iustificante, De his, quæ tam diuites, quàm pauperes deceant, De patientiæ utilitate, ac De sacerdotibus super infirmos aduocandis. quam epistolam neque statim sub ipsis apostolorum temporibus Iacobi Apostoli creditam, neque inter canonicas scriptas assumptam Eusebius in secundo historia ecclesiasticæ uolumine, & Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum affirmant; sed longè post annumerata est inter canonicos libros à sacrosanctis Laodicensi, Carthaginensi, & aliis sequentibus conciliis. Hanc Latini in capita quinque, Græci in capita septem distinxerunt. Moritur Iacobus Apostolus, è summo templi Hierosolymitani fastigio præcipitatus, anno septimo Neronis, cum præfuisset ecclesiæ annis triginta: sepultusque est iuxta templum, ubi fuerat præcipitatus, anno ab ortu nostri seruatoris sexagesimo tertio. Hieronymus in caput decimum septimum Esaia indicat, nonnullos ex uetustis autoribus hunc Iacobum fratrem domini de numero duodecim apostolorum, quos primùm Christus elegit, exemisse; eumque tertium decimum apostolum, sicut & Paulum.

G 2 Paulum

Paulum quartum decimum appellasse. Extant sub nomine huius apostoli diuersa A scripta, quæ proximè sequenti libro referentur.

PETRI EPISTOLA SECUNDA.



SIMON PETRVS, autor eius epistolæ, quæ in priore canonis ordine posita est, scripsit & aliam ad eos, qui nuper crediderant, hebræos epistolam De fide Christi, à prophetis per spiritum sanctum prænunciata, De seductoribus euitandis, De tempore non negligenter transigendo, De præparatione ad imminenti iudicij diem. cuius epistolæ ipsemet Petrus argumentum & ordinem explicans in tertio eiusdem capite sic inquit: HANC ecce uobis charissimi secundam scribo epistolam; in qua extimulo uestram in commonitione sinceram mentem, ut memores sitis eorum, quæ prædicta sunt uerborum à sanctis prophetis, & præcepti nostri, qui sumus apostoli domini, & cætera, quæ sequuntur. De huius epistolæ autore, & autoritate Origenes, Eusebius, & Hieronymus dubitatum aliquando fuisse tradunt. sacrosancta Laodicena synodus, & Carthaginense concilium canonicis uoluminibus sub Petri nomine inferendam censuere. Latini eam in tria, Græci in quatuor capita dissecarunt.

IOANNIS EPISTOLA SECUNDA, ET TERTIA.



IOANNES Apostolus, & Euangelista, præter primam illam ab omnibus semper ecclesiis probatam epistolam, scripsit etiam alias duas epistolas, alteram De recta fide seruanda, & hæreticis uitandis ad Gaium; alteram De hospitalitate ad Electam; quam, ut Hieronymus indicat, quidam ex orthodoxis existimarunt esse alterius cuiusdam Ioannis presbyteri, cuius sepulcrum in urbe Epheso monstrabatur, eo quòd in his presbyterum scribat se ipsum, & ad unam mulierem, & ad unicum Gaium scribat contra consuetudinem epistolarum catholicarum; quæ idcirco catholica, id est uniuersales, siue orbiculares dicuntur, quòd non distinctæ uni personæ, genti, aut ciuitati, sed uniuersaliter omnibus fidelibus scriptæ sint. Vtranque tamen prædicta sacratissima concilia tanquam Ioannis in canone acceperunt. ex quibus Græci priorem diuidunt in capita duo, posteriorem in tria.

IUDAÆ EPISTOLA.



IUDAS Apostolus, qui & Thaddæus, siue Lebæus, frater, ut ipse in salutatione epistolæ suæ testatur, Iacobi minoris, idemq; ut Matthæus scribit, frater domini nostri Iesu Christi, ex Alphæo & Maria Cleophæ, sorore Mariæ uirginis, natus, paruam quandam ad eos, qui iam crediderant, scripsit epistolam De suscepta fide uiriliter tuenda, & De fugiendis seductoribus, quibus grande immineret supplicium. quam, quia eius auctor de libro Enoch apocrypho testimonium assumeret, & de alio quodam obscuro uolumine, quod Ascensio Mosis inscribitur, historiam Michaelis discipulantis cum diabolo de corpore Mosis proferret, plerique ueterum, ut Hieronymus & Eu-

A & Eusebius testantur, è canone reiecerunt: sed auctoritatem uetustate, & usu usque ad tempora Hieronymi meruit, & inter sanctas scripturas à prædictis sanctis synodis computata est. Eam græci in capita tria distinguunt, Latini in nullum. Obiit hic apostolus Berythi, & ibi sepultus est anno domini lxx. postquam multo tempore Ede-senis, & uniuersa Mesopotamiæ euangelium prædicauit.

APOCALYPSIS.



APOCALYPSIN, hoc est Reuelationem, Ioannis Euangelistæ, quæ de futuris ecclesiæ tribulationibus ab exordio nascentis ecclesiæ usque ad finem sæculi prophetiam continet, quidam ex peruetustis græcorum patrum tanquam alienam à dictione, & lingua Ioannis Euangelistæ de canone abiiciendam putarunt, ipsam referentes ad Ioannem presbyterum, qui Ephesi non longè à Ioannis Euangelistæ sepulcro monumentum obtinuit. hanc tamen inter legitima, & germana Ioannis apostoli scripta connumerarunt Dionysius Areopagita, Papias, Iustinus, Irenæus, Dionysius Corinthiorum episcopus, Basilius, Epiphanius, Gregorius Theologus, & cum his uniuersus Latinorum patrum confessus; & prædicta sacratissima concilia inter canonica uolumina recensuerunt. Andreas, Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus, librum iuxta mysterium quatuor & uiginti seniorum, qui in eo describuntur, in quatuor & uiginti partes dissecuit; & harum quamlibet ad honorem beatissimæ Triadis in tria capitula discreuit; ut sit summa omnium capitum lxxii. quæ apud Latinos capita xxxii. comprehendit. Eusebius in chronicis annotauit Apocalypsin editam esse anno quartodecimo Domitiani imperatoris; à quo Ioannes apostolus, in Patmon insulam relegatus, reuelationes hoc libro descriptas uidit, anno ab ortu Christi nonagesimo septimo. Andreas ramen & Arethas, Cæsarienses episcopi, sequentes Tertulliani & Epiphaniij sententiam, tradunt Apocalypsin scriptam esse ante hoc tempus annis ferè octo ac triginta sub Nerone; (cuius imperij anno secundo Ioannes post martyrium Petri, & Pauli in Pathmon asportatus est) multasque in hoc uolumine uisiones, ac uaticinia de futuro Hierosolymorum excidio, & Iudaicæ nationis sempiterna abiectione contineri.

DE SCRIPTIS APOCRYPHIS, DIVINAE SCRIPTURAE INSERTIS, SECTIO TERTIA.



ERSTRINXIMVS duabus præcedentibus Sectionibus omnia tam primi, quam secundi ordinis canonica scripta, quæ Græci Διαβιβλια, hoc est Testamentaria appellant, quæq; omnes catholici doctores vera, natiua, ac germana esse profitentur: reliquum est, ut in tertia & ultima huius libri Sectione percurram scripturas quasdam Apocryphas, id est obscuri auctoris, & ambiguae autoritatis; quas, ceu illegitimas, & ab incertis scriptoribus inter sacra uolumina permistas, multi ex antiquis patribus reprobarunt, harum catalogus hic est,

- 1 Libri secundi Paralipomenon Accessio,
2 Esdrae liber tertius,
3 Esdrae liber quartus,
4 Libri Esther Appendix,
5 Libri Iob Appendix,
6 Psalterij Auctarium,
7 Libri Ecclesiastici Additamentum,
8 Lamentationum Ieremiae Praefatiuncula,
9 Maccabæorum liber tertius,
10 Maccabæorum liber quartus.

LIBRI SECUNDI PARALIPOMENON APPENDIX.



PPENDIX libri secundi Paralipomenon, quam nonnulli ex libris Hozai, uetustissimi scriptoris, descriptam putant, continet orationem Manassæ regis Hierosolymitani, cum detineretur in Babylone captiuus: quæ nec in hebraicis, nec in græcis uulgatis exemplaribus habetur. certissimè tamen constat hunc regem in uinculis Babylonis orationem ex intimo corde obtulisse Deo, testante hoc diuina scriptura in posteriore uolumine annalium his uerbis: PRINCIPES regis Assyriorum ceperunt Manassæm; & uinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem. qui postquam coangustatus est, orauit dominum Deum suum, & egit poenitentiam ualde coram Deo patrum suorum. deprecatusq; est eum, & obsecrauit intentè: & exaudivit Deus orationem eius. & paulò post, Oratio autem eius, & exauditio scriptæ sunt in sermonibus Hozai. tamen si græca editio loco Hozai habeat, επί των λόγων των οράων, hoc est In sermonibus uidentium. Cæterum siue hanc, siue aliam orationem protulerit Manasses, nihil certi habetur. Latini patres eam inter sancta scripta receperunt, & quemadmodum ex glossa ordinaria apparet, adhibitis annotationibus illustrarunt. Dicitur orationem hanc græcè extare in Biblijs bibliothecæ Victorinæ Parisiorum.

LIBRI

2 Par. 33. c

LIBRI ESTHER APPENDIX.



PPENDIX libri Esther, quæ septem posteriora capitula, hoc est ab initio ferè decimi capitis usque in finem libri complectitur, uariis lacinis, & centonibus textitur; ex quibus in exemplaribus hebræorum nihil prorsus extat: in græcis uerò hæc habentur, uidelicet,

EPISTOLA, SEV EDICTVM ARTAXERXIS DE PERDENDA NATIONE IVDÆORVM: quod nostra editio ex capite græci codicis iuxta nostram supputationem tertio in caput tertium decimum transtulit.

ORATIO MARDOCHAEI, PLANCTVS ESTHER, ET EIVSDEM PERTERRITAE INGRESSVS AD REGEM: quæ apud nos habentur capite tertio decimo, decimo quarto, & decimo quinto, in græcis codicibus habentur sub finem quarti capitis, statim post illa uerba, Καὶ βεβίβωσας Μαρδοχαῖος ἐπέμψεν. id est, Et uadens Mardocheus fecit omnia, quæ præceperat ei Esther.

ITEM EDICTVM ARTAXERXIS PRO LIBERATIONE IVDÆORVM: quod nostri codices referunt capite decimo sexto, in græcis exemplaribus ponitur paulò ante finem octaui capitis statim post illa uerba, Summa autem epistola hæc erat.

ITEM SOMNIVM MARDOCHAEI DE EXIGVO FONTE CRESCENTE IN MAGNVM FLVIVM: quod apud nos capite decimo continetur, & cætera usque ad ea uerba capitis undecimi, Anno secundo regnante Artaxerxe, &c. habentur apud Græcos in fine totius uoluminis.

SOMNIVM QVOQVE DVORVM DRACONVM: quod ab initio ferè undecimi capitis, hoc est ab illis uerbis, Anno secundo regnante Artaxerxe, usque in finem capitis duodecimi narratur, ex primo capite græcæ editionis mutuatum est.

IOSEPHVS in undecimo libro hebraicarum Antiquitatum capite sexto duas prædictas regis Artaxerxis epistolas, siue edicta ipsdem uerbis à capite usque ad calcem ita fideliter recitat, ut incertum nobis sit, utrum ipse à uulgata editione græcorum hæc acceperit, uel utrum editionis græcæ autor eadem ex Iosepho descripserit.

SED VENIT HOC LOCO in mentem simul admonere, & adhortari pium ac beneuolum lectorem, ne me temeritatis arguat, quòd hæc septem postrema capita, à canonicis scriptis auulsa, in hunc ultimum Apocryphorum ordinem redegerim, ac si oblitus sim decreti Sanctæ synodi Tridentinæ, quod sub anathematis interminatione recipi iubet omnes libros integros, prout in ecclesia catholica legi consueuerunt, & in ueteri uulgata Latina editione habentur. est enim canon ille intelligendus de ueris ac germanis partibus, quæ ad librorum integritatem spectant, non autem de laceris quibusdam Appendicibus, & pannosis additamentis, à quouis incognito autore temere appositis, & utcunque insutis. qualia sanè sunt huiusmodi ultima capitula, quæ non solum Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyrensis, Dionysius Carthusianus, cæteri; recentiores interpretes negant esse canonica; sed & D. Hieronymus à toto Esther uolumine refecat ceu uitiatam partem, & laciniosis, ut ipsius dictis utar, uerborum sinibus confictam ex his, quæ ex tempore dici, & audiri poterant: sicut solitum est scholaribus discipulis sumpto themate excogitare. quibus uerbis uti potuit qui iniuriam passus est, uel qui iniuriam fecit. Origenes quoque in epistola ad Iulium Africanum hæc eadem additamenta explodit.

Handwritten note: Hæc sententia pugnat de decreto Concilij Tridentini quod auulsa male deponquet erunt scripta.

ESDRAE LIBER III, ET IIII.



IBER tertius Esdrae, in quo eadem ferè omnia repetuntur, quæ in primo, & secundo uolumine Esdrae narrata sunt, apud Hebræos non habetur, sed tantum apud Græcos extat in capita, siue titulos centum & nouem distinctus. Quartus uerò liber, complectens uisiones & nocturna potissimum somnia ipsius Esdrae, nec apud Græcos, nec apud Hebræos est. Hieronymus in præfatione eiusdem operis, utrunque inter

ter Apocrypha tam obscuri auctoris, quàm incertæ autoritatis scripta reicit; & quæ A
in eis narrantur, somnia uocat. Græci uerò tertium librum non solum in sa-
cro canone recipiunt, sed & ipsum ante duo legitima & indubitata Esdræ, & Nehem-
iæ uolumina ob causam, quæ superius dicta est, in catalogo diuinæ scripturæ
collocant: inter quos Athanasius, contra Arrianos librum tertium scribens, testi-
monium Zorobabelis, tertio huius uoluminis capite annotatum, tanquam de scri-
ptura solidæ autoritatis inducit aduersus Arrij sectatores. Inter Latinos autem
Augustinus hunc ipsum tertium librum, ut Esdræ germanum agnoscens, ita in de-
cimo octauo de ciuitate Dei scribit: PER IDEM tempus liberationis populi ex
Babylonica seruitute scripsit etiam Esdras; qui magis rerum gestarum scriptor ha-
bitus, quàm propheta, nisi fortè in eo prophetasse intelligendus est, quod inter
iuuenes quosdam orta quæstione, quid amplius ualeret in rebus; cum REGES
unus dixisset, alter VINVM, tertius MULIERES, quæ plerunque regibus im-
perarent: idem tamen tertius ueritatem super omnia demonstrauit esse uicticem. B
consulto autem euangelio Christum cognoscimus esse ueritatem. Diuus Am-
brosius etiam quartum librum putat editum ab ipso Esdra non sine diuina reue-
latione, asserens Paulum apostolum secutum esse Esdræ sententiam in his, quæ pro-
pe finem prioris epistolæ ad Corinthios de diuersis ordinibus claritatis & gloriæ ele-
ctorum resurgentium scripserat. quam quidem sententiam Ambrosius ipse, tan-
quam testimonium grauisimæ autoritatis ad confirmandum dogma de habitaculis
sanctarum animarum post corporis separationem, accepit, sic in libro De bono
mortis scribens: ANIMARVM autem esse habitacula, scripturæ testimoniis ualde
probat. siquidem & in Esdræ libris legimus, quia, cum uenerit iudicij dies, red-
det terra corpora defunctorum; & habitacula reddent animas, quæ his commendatæ
sunt. hæc sunt habitationes, de quibus dicit dominus multas mansiones esse apud
patrem suum. sed & Esdræ usus sum scriptis, ut cognoscant Gentiles ea, quæ in
philosophiæ libris mirantur translata esse de nostris. Et infra addit: QVRS C
utique prior Esdras, an Plato? nam Paulus Esdræ, non Platonis, secutus est dicta.
Esdras enim reuelauit secundum collatam in se reuelationem iustos cum Christo fu-
turos, futuros & cum sanctis. hinc & Socrates ille festinare se dicit ad illos suos
deos. nostra sunt utique, quæ in philosophorum literis præstant. Non uereamur
igitur illum debitum omnibus finem, in quo Esdras remunerationem suæ deuotio-
nis inuenit, dicente ei domino, Tu enim recipieris cum hominibus, & conuersa-
beris residuum cum filio meo, & cum similibus tuis. Hæc Ambrosius; qui etiam
secundo in Lucam commentario allegat ex septimo huius libri capite prophetiam de
tempore aduentus Christi, ac mortis eius, deque futura mundi conuersione ad Chri-
stum. Vaticinij autem uerba hæc sunt: REVELABITVR filius meus Iesu, cum iis,
qui cum eo iocundabuntur; qui relictis sunt in annis quadringentis. & erit post an-
nos hos, & morietur filius meus Christus, & conuertetur sæculum. Demum in
epistola ad Horontianum, quæ est numero uigesima prima, suadet librum quartum D
Esdræ legendum esse, quia in ipso anima cœlestis esse substantiæ demonstratur, &
philosophorum nugæ de ipsius substantia confutentur. Ex his apparet, quantæ apud
Ambrosium autoritatis fuerit hic liber; ex quo ante multos annos diuus Cyprianus
sumpsisse uidetur, quod aduersus Demetrianum scripsit, nempe mundum senesce-
re, & ad finem iam imminetem properare, idque ex decremento rerum omnium
facile deprehendi, cum elementorum, plantarum, & animalium uires imminutæ, ac
debilitatæ sint; & minora præsertim, ac debiliora nunc sint hominum corpora, quàm
olim fuerint. Quam quidem sententiam dubium non est Cyprianum hausisse ex
quinto huius libri capite, ubi hæc uerba leguntur: MVNDVS iam senectuti appro-
pinquat. interroga eam, quæ parit, Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his,
qui ante te, sed minores statura? & dicit tibi ipsa, Alij sunt, qui in uirtute iuuentu-
tis nati sunt, & alij, qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati. Con-
sidera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his, qui ante uos, & qui post uos
minori, quàm uos quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis præte-
reunt.

reuntes. Veneratur etiam hunc librum catholica ecclesia, quæ singulo quoque
A anno in tertia feria Pentecostes sacrosancta missæ mysteria orditur ab ea sententia,
quæ in secundo capite huius uoluminis legitur: ACCIPITE iocunditatem gloriæ ue-
stræ, gratias agentes Deo, qui uos ad cœlestia regna uocauit. & in solemnitatibus
martyrum de præmiis eorum, qui fortiter pro Christo occubuerunt, ex eodem capi-
te decantat illud, MODO coronantur, & accipiunt palmam. Ex horum itaque
testium ac testimoniorum autoritate accidisse arbitror, ut diuinis scripturis coniun-
geretur liber hic, quem postea diligentius perspectum communis ferè omnium pa-
trum consensus inter Apocryphos habendum censuit, idque, ut puto, propter quæ-
dam suspecta dogmata in ipso tradita, quæ regulis orthodoxæ fidei apertè contradi-
cere uidentur; qualia hæc sunt,

IN CAPITE quarto ait animas sanctorum detineri quibusdam abditis prom-
ptuariis in inferno, donec impleatur numerus omnium electorum, ueniatque supre-
mi iudicij dies, in qua omnes simul inde educuntur. & capite quinto eandem sen-
B tentiam profecutus, assimilat ultimi iudicij ac retributionis diem coronæ: in qua
sicut neque primum est, neque postremum, sed simul omnia; ita in retributione
æternæ felicitatis priorum animarum uelocitas nouissimarum tarditatem non præ-
ueniet, sed omnes simul, & eodem tempore expectatam beatitudinem consequen-
tur. Quam sententiam quamuis diuus Ambrosius in libro iam citato uisus sit ap-
probasse; posteriores tamen patres in concilio Florentino reprobauerunt.

ITEM capite sexto refert, Deum quinta die inter cetera animantia creasse duo
maxima animalia, alterum Henoch, alterum Leuiathan appellata. quorum im-
mensas corporum moles cum nec septima quidem terræ pars simul associatas cape-
re possent, Deus utrunque loco disiunxit; & Henochum collocauit in una ex se-
ptem partibus terræ, in qua sunt montes mille; Leuiathan uerò posuit in altera ex
septem partibus terræ, in qua sunt omnes aquæ, quas Deus tertia die iussit con-
gregari in locum unum: ibique ipsum asseruat, ut ex eo paret cibum quibus uolue-
rit, & quando uoluerit. Quæ quidem narratio uidetur habere affinitatem cum ea
C fabula Iudæorum, quam me olim legisse recolo in libris Thalmudicis ordine quar-
to, tractatu tertio: in quo Rabbini scribunt, Deum quinta die creasse pisces duos
magnitudinis penè interminatæ, Leuiathan appellatos; quorum corporum uastita-
tem cum ipse secum animo perpenderet, ueritus, ne omne piscium genus à tam ma-
gnis beluis deglutiretur, & ne ab ipsis mare uniuersum nauigijs inuium redderetur,
sicque humani generis commercia penitus tollerentur, si ex iis proles propagaretur,
occidit fœmellam; & ex eius salitis carnibus salsamenta delicatissima parauit iu-
stis, & electis suis post hanc uitam comedenda; masculum uerò sibi uiuum reserua-
uit, ut cum eo succisuis diei horis quotidie luderet, iuxta illam psalmi centesimi
secundi sententiam, DRACO iste, quem formasti ad illudendum ei. pro quo Hebræi
legunt, לוייתן זה יצרת ל שוקקו Leuiathan ze iazaretha le sachekuo. id est Leuiathan
D iste, quem creasti, ut cum eo luderet.

ITEM capite quarto decimo docens, quo tempore mundus finem sit habiturus,
tradit adesse ultimam sæculi senectutem, ac finem mundanæ durationis; cuius uni-
uersum tempus diuisum est in duodecim partes: ex quibus cum iam præterierint
partes decem, ac undecimæ partis dimidium; nihil superest ultrà, nisi quod restat
post dimidium undecimæ; hoc est residuum undecimæ partis cum parte duodeci-
ma omnium postrema. Quæ si uera sint, oportuerat mundum iam desisse annis
ab hinc mille quingentis. nam si tempus, quod à creatione mundi usque ad Es-
dram intercescit, iuxta diuinæ scripturæ supputationem continet annos circiter ter-
mille quadringentos septuaginta; & hæc annorum summa complectitur decem par-
tes, & dimidiam ex duodecim partibus totius mundanæ ætatis: consequens est, ut re-
siduum temporis ab Esdra ad finem sæculi quingentorum annorum numerum non
excedat; cum tamen ab Esdra usque in præsentem annum MDLX. quo hæc scribi-
mus, fluxerint anni ferè bis mille. Præter hæc Hieronymus in declamatione
aduersus Vigilantium obijcit ipsi Vigilantio, quod in confirmationem suæ hæreseos
H pro-

protulerit librum quendam Esdræ Apocryphum, in quo scriptum esset, quòd post mortem nullus pro alio audeat deprecari. Suspicor librum, à Vigilantio citatum, esse hunc ipsum, quòd in eo referatur sententia quædam, non omnino dissimilis ab altera sententia Ioannis in sexto capite Apocalypseos; ex qua Vigilantius, ut testatur Hieronymus, astruere nitebatur, quòd nullius post mortem pro alio exaudienda esset oratio, præsertim asserente Ioanne, quòd animæ sanctorum martyrum, sub altare Dei constitutæ, nec pro se ipsis quidem impetrare potuerint iudicium, & retributionem, quam obnixè petebant, clamantes uoce magna, *Vs QvE QvO* domine non indicas, & uindicas sanguinem nostrum? & dictum est illis, ut expectarent, donec impleretur numerus confessorum suorum. cui loco planè perfimilis est locus alter sexti capitis huius libri, in quo narratur, quemadmodum animæ sanctorum, seclusæ in promptuariis suis, iudicij, & retributionis diem à Deo efflagitant, dicentes, *Vs QvE QvO* domine speramus sic? & quando ueniet fructus mercedis nostræ? & respondetur eis, ut expectent, donec impleatur numerus electorum in eis, & impleatur mensura temporum totius sæculi, ante cuius impletionem ipsarum corpora non sunt excitanda. Verisimile est Vigilantium hoc testimonium prædictæ Ioannis autoritati copulasse, & utrunque ad institutum suum detorsisse. His igitur de causis crediderim à patribus reiectum hunc librum, quem etiam aliqui existimant esse alterius Esdræ ab illo, qui primi libri est autor. quoniam hic in principio libri huius scribat se descendisse ab Aaron per decem & nouem generationes: ille uerò in capite septimo libri sui scribat se progenitum ex Aaron per quindecim tantum generationes.

APPENDIX LIBRI IOB.



IBER Iob in omnibus tam uetustis, quam recentibus Græcorum exemplaribus in ipso fine statim post ultimam uoluminis periodum habet annexam ex editione septuaginta interpretum genealogiam quandam Iob, & amicorum eius, nonnihil alludentem ad genealogiam filiorum Esau, in libro geneleos descriptam; quæ nec in hebrais, nec in latinis codicibus legitur. cuius uerba hæc sunt: *Γέγραπται δὲ*

αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μετ' αὐτῶν ὁ κύριος ἀρέσῃσεν, ἕτος ἐρμηνεύεται ἐν τῆς συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῆ κατοικῶν τῆ Αὐσιτίδι, ἐπὶ τοῖς ὄρεσι τῆς Ἰδουμαίας, ἢ Ἀραβίας. προῆρχεν δὲ αὐτῶν ὄνομα Γωβαλ. λαβὼν δὲ γυναικὰ Ἀραβίσσαν, γενεῆ υἱὸν, ὃ ὄνομα Ἐννών. ἦν δὲ αὐτὸς πατὴρ μὲν Ζαρέ τῶν Ἡσαὺ υἱῶν οἰῶν, μητὴρ δὲ Βοσσόρας. ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπο Ἀβραάμ. Καὶ ἔτι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύσαντες ἐν Ἐδὼμ. ἢς ἢ αὐτὸς ἤρξε χώρας. πρῶτος Βαλαχ ὁ τῶν βεερ. ἢ ὄνομα τῆ πόλεως αὐτῆ Δεναβα. Μετὰ δὲ τὸν Βαλαχ Γωβαβ ὁ καλεσμένος Ἰῶβ. Μετὰ δὲ τῶν Αἰσῶν, ὁ ὑπάρχων ἡγεμὼν τῆς Θαιμανίτιδος χώρας, μετὰ δὲ τῶν Αἰσῶν υἱὸς Βαδαδ, ὁ ἐκνοῦσας Μωδιαν ἐν τῶν πεδίων Μωαβ. ἢ ὄνομα τῆ πόλεως αὐτῆ Γεθαίμ. οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφαξ τῶν Ἡσαὺ υἱῶν, Θαιμανῶν βασιλεῖς. Βαδαδ ὁ Σαυχαίων τύραννος. Σωφαρ δὲ Μωαβίων βασιλεῖς.

D cuius narrationis sensus, ut uerbum uerbo reddam, hic est: *Scriptum est autem eum rursus resurrecturum esse cum his, quos dominus suscitauit. hic interpretatus est ex Syriaco libro, habitans quidem in regione Auitide in finibus Idumææ, & Arabia. erat autem ei prius nomen Iobal. accepta igitur uxore Arabissa, genuit filium nomine Ennon. erat autem ipse patris quidem Zarè, Esau filiorum filius; matris autem Bosoræ. ita est ipse quintus ab Abraham. atque hi reges sunt, qui regnauerunt in Edom. cui etiam regioni ipse præfuit primus Balach, Beor filius; & nomen ciuitatis eius Dennaba. post autem Balach, Iobab, qui uocatur Iob. post hos autem Ason, qui erat dux Themanitidis regionis. post hunc Adad, filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab; & nomen ciuitatis eius Getthaim. qui autem ad eum uenerunt amici, Eliphaz de filiis Esau, Themanitarum rex; Baldad, Sauchæorum tyrannus; Sophar, Mynæorum rex. Quæ sanè uerba quanquam nec apud Hebræos, nec apud Latinos extant: omnes tamen Græci patres summa ueneratione recipiunt, & plerique etiam diligenter exponunt. Leguntur adhuc in catena græca explanationum in Iob, quam in bibliotheca mea, manu conscriptam, seruo, uariæ*

A uariæ in hanc genealogiam annotationes Origenis, Chrysofomi, Iuliani, Seueri, Euagrii, & Olympiodori.

ORIGENES in fine commentariorum in Iob, quos nuper bibliotheca regia Gallorum emisit in lucem, post prædictum genealogiæ contextum aliam subnectit additionem ex trigesimo tertio capite Geneleos, iisdem penè uerbis desumptam, eamque breui annotationi uerba hæc sunt, *Ἀπέθανε δὲ Ἀδάδ, ἢ ἐβασίλευσεν αὐτὸν αὐτῆ Σαμαδά ἐν Μωσσηαῖς, ἀπέθανε δὲ Σαυδὰ, ἢ ἐβασίλευσεν αὐτὸν αὐτῆ Σαυδὰ: ἐν Ροβεῶν τῆς παρα ποταμῶν, ἀπέθανε δὲ Σαυλ, ἢ ἐβασίλευσεν αὐτὸν αὐτῆ Βαλλακωνῶν υἱὸς Ἀχοβῶρ. ἀπέθανε δὲ Βαλλακωνῶν υἱὸς Ἀχοβῶρ, ἢ ἐβασίλευσεν αὐτὸν αὐτῆ Ἀράδ υἱὸς Βαραδ, ἢ ὄνομα τῆ πόλεως αὐτῆ φοβῶρ. ὄνομα δὲ τῆ γυναικὸς αὐτῆς Μετεβεὴλ θυγάτηρ Ματραίθ υἱὸς Μαυζοῦβ. hoc est, Mortuus est Adad, & regnauit pro eo Samada ex Massécâ, & regnauit pro eo Saul ex Robooth, quæ est ad flumen. mortuus est autem Saul, & regnauit pro eo Ballaenon, filius Achobor: quo defuncto, regnauit pro eo Arad, filius Barad: nomenque urbis eius Phogor; & appellabatur uxor eius Metebeel, filia Matraith, filij Mæzoob. Dein-*

B de sequuntur & hæc, *Θεμὰν υἱὸς Ἐλιφαξ ἡγεμόνος Ἰδουμαίας, ἕτος ἐρμηνεύεται ἐν τῆς Συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῆ κατοικῶν Αὐσιτίδι, ἐν πέρασιν τῆς Εὐφράτης: προῆρχεν δὲ αὐτῶν ὄνομα Ἰῶβ. ἢ ἦν αὐτῶν πατὴρ Ζαρέ ἀπο ἀρατολῶν ἡλίας. hoc est, Theman, filius Eliphaz, dux Idumææ. hic interpretatur ex Syriaco libro, habitans in terra Hufitide, in finibus Euphratis. erat ei prius nomen Iob; & erat pater eius Zaret ab ortu Solis. Hæc genus Ad-*

C ditio genealogiæ Iob, quam Hieronymus, tanquam incertam, & ab hebraica ueritate alienam, reiecit, sic in quæstionibus super Genesim scribens: *PRIMOGENITVS Nachor, fratris Abraham, de Melcha uxore eius filia natus est Huz: de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio uoluminis eius, VIR fuit in terra Huz nomine Iob. Malè igitur quidam existimant, Iob de genere esse Esau. siquidem illud, quod in fine libri ipsius habetur, id est quòd de Syro sermone translatus sit, & quartus sit ab Esau, & reliqua, quæ ibi continentur, in hebræis uoluminibus non habentur. Hæc ille.*

EXAT etiam in quibusdam antiquis Latinorum, & in omnibus Græcorum bibliis oratiuncula quædam uxoris Iob, à cunctis ferè græcis interpretibus exposita; quam Origenes in epistola ad Iulium Africanum negat ad Hebraicæ scripturæ ueritatem pertinere. ea capite secundo huius libri continetur in hæc uerba: *χρόνος δὲ πολλὸς προβεβηκότος, εἶπεν αὐτῶν ἡ γυνὴ αὐτῶν, μέχρι τίνος καρτερήσεις λέγων, ἰδοὺ, ἀναμένο χρόνον ἔτι μικρόν, προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου. ἰδοὺ γὰρ, ἠφάνισται σὺ τὸ μνημόσυνον ἀπὸ τῆς γῆς. υἱοὶ ἢ θυγατέρες, ἐμῆς κοιλίας ὠδίνες ἢ πόνοι, ὅς ἐστι τὸ κενὸν ἐνοπίσσω μετὰ μόχθων. σὺτε αὐτὸς ἐν σαρκὶ σκωλήκων κρήνησαι, διανοητέων ἀέθριος. καὶ γὰρ πλανήτης ἢ λάτρις, τόπον ἐν τόπον περιερχομένη, ἢ οἰκίαν ἐν οἰκίαις, προσδεχομένη ἐν ἡλίον, ποτε δύσεται, ἵνα ἀγκυλωσάται τῶν μόχθων με ἢ τῶν ὠδίνων, αἱ με νῦν συνέχουσιν. ἀλλὰ εἶπε τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελέετα. hoc est,*

D *Tempore uerò multo præunte, dixit ei uxor sua: Usquequòd perseuerabis, dicens, Ecce expecto paruum adhuc tempus, accipiens spem salutis meæ: ecce enim deletum est tuum momentum à terra. filij & filia, mei uteri dolores & labores, quos in uacuum laboriosè eduxi cum molestiis: tuque ipse in fatore uermium confides, pernoctans sub aere: & ego erratrix & cultrix, locum ex loco circumiens, & domum ex domo, expectans Solem, quando occidet, ut requiescam à laboribus meis & doloribus, quæ me nunc comprehendunt. sed dic quoddam uerbum ad dominum, & morere.*

PSALTERII APPENDIX.



XTAT in græcis Psalterijs iuxta septuaginta interpretum editionem statim post finem psalmus extra numerum centum & quinquaginta psalmodum Dauidi inscriptus; cuius apud neminem siue Græcum, siue Hebræum, siue Latinum, diuinæ scripturæ explanatorem, mentionem aliquam adhuc inuenire potui, nisi apud unum D. Athanasium; qui in Synopsi diuinæ scripturæ psalmum hunc nominatim inter cano-

nica scripta recensens, sic scribit: CONTRA GOLIATH PSALMVS CLI. Psalmus hic peculiariter Dauidi, & extra numerum reliquorum inscriptus est, cum singulari certamine Goliath strauisset. Idemq; in fine eiusdem operis citato testimonio libri Paralipomenon addit, Dauidem tria millia psalmorem edidisse: ex quibus amici Ezechia regis duntaxat centum & quinquaginta selegerunt, ceteros uero abscondiderunt. & possibile est hunc esse ex illis unum, quem quod breuis sit, libuit hic tam Græcè, quam Latine inferere unà cum sua inscriptione.

Οὗτος ὁ ψαλμὸς ἰδιοῦραφος τῷ Δαβὶδ ἐστὶ, καὶ ἔξωθεν τῷ ἀριθμῷ τῶν ἐκαστῶν καὶ περιήνοια ψαλμῶν, ὅτε ἐμονομάχησε πρὸς τὸν Γολιάθ.

Miror hanc in tois adelphois mon. Kai meateros en tw oiwo patros my, epimainon ta prebra ta te patros my.

Αἱ χεῖρες μὲ ἐποίησαν ὄργανον. καὶ οἱ δάκτυλοι μὲ ἤρμοσαν ψαλτήριον.

Καὶ τις ἀραγγελεῖ τῷ κυρίῳ μὲ; αὐτὸς κύριος αὐτὸς εἰσαυδῆ.

Αὐτὸς ἐξαπέειλε τὸν ἀγγελοῦ αὐτῶ, καὶ ἤρε' με ἐν τῶν προβάτων τῷ πατρὸς μὲ, καὶ ἔχρησε με ἐν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτῶ.

Οἱ ἀδελφοί μὲ καλοὶ, καὶ μέγχαλοι, καὶ οὐκ ἀδύνησαν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος.

Ἐξήλθον εἰς συνάρτησιν τῷ ἀλλοφύλῳ, καὶ ἐπατηρήσατό με ἐν τῷ εἰδάλοισ αὐτῶ.

Ἐγὼ δὲ σπασάμενος τὴν παρ' αὐτῶ μάχαιραν, ἀπενεφέλισα αὐτὸν, καὶ ἤρα ὀνειδος ἐξυῖαν Ἰσραὴλ.

TRANSLATIO.

Psalmus hic ab ipso Dauidе conscriptus est extra numerum centum & quinquaginta, cum singulari certamine cum Goliath congressus esset.

PARVVS eram inter fratres meos, & adolescentior in domo patris mei, pascens oues patris mei.

MANVS meæ construxerunt organum, & digiti mei concinnauerunt psalterium.

ET QVIS annuntiabit domino meo? ipse dominus, ipse exaudit.

IPSE emisit angelum suū, & assumpsit me ex ouibus patris mei: & unxit me oleo unctionis suæ.

FRATRES mei pulchri, & magni: & dominus in eis non sibi bene complacuit.

EXIVI in occursum alienigenæ illi: & ipse me execratus est in idolis suis.

EGO autem extorquens ab eo gladiū ipsius, decollauī eum; & abstulī opprobriū ex filiis Israel.

EVTHYMIVS psalmū hunc in præfatione commentariorū in psalmos obiter attigit.

SAPIENTIAE SYRACH APPENDIX.



INVENITVR in omnibus ferè Latinis codicibus, post finem Sapien-tiæ Syrach, siue Ecclesiastici, oratio quædam Salomonis; quæ nihil aliud est, quàm fragmentum, seu prior pars eius orationis, quam Salomon in dedicatione templi edidit ex octauo capitulo tertij libri Regum ad uerbum descripta. quæ licet certum & irrefragabilis fidei habeat autorem, & apocrypha non sit: tamen, quoniam inde ueluti membrum de proprio corpore ab incerto autore truncatim recisa sit, & præter fidem hebræorum & græcorum exemplarium hunc in locum superfluè temereq; adiecta, libuit eam inter apocrypha additamenta reicere. Verisimile est huius fragmenti adiectorem, quisquis ille fuerit, tot lineas ex prædicta oratione Salomonis huic uolumini addidisse, quot satis essent ad explendum spacium, quod in postrema, ut plerunque accidit, libri pagina uacuum remanserat: quæ postea ex imprudentia eorum, qui sine ullo discrimine omnia, quæcunque illa sint, describunt, in ceteros Latinos codices diffusa sunt.

LAMEN-

LAMENTATIONVM IEREMIAE PRÆFATIVNCVLA.



PRAEFATIVNCVLA Threnorum, quam Latini codices in principio Lamentationum Ieremiæ præferunt, non est apud hebræos; qui librum hunc, quadruplici alphabeto conscriptum, ordiuntur à dictione נכא Eca, id est Quomodo, incipiente ab א Aleph prima litera hebraici alphabeti; & ab hac dictione librū appellant נכא Eca. cætera uerò, quæ ante hanc uocem leguntur, uerba, ut à multis creditur, septuaginta interpretes addiderunt, uolentes connectere lamentationem deuastatæ urbis cum narratione deuastationis eiusdem urbis, quæ in calce libri Ieremiæ describitur. Sunt autem hæc uerba præfationis huius apud septuaginta interpretes, Καὶ ἐγέμετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ, καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι, ἐπαύτισεν Ἱερεμίας κλαίον, καὶ ἐθρήνησε τὸν θρήνον τῶτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ, καὶ εἶπεν. hoc est, Et factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est, sedit Ieremias flens, & planxit lamentationem hanc super Hierusalem, & dixit. Hebræi hoc argumentum non recipiunt, quòd non ipsis uideatur uerisimile Ieremiam scripsisse, uel uidisse in spiritu hos Threnos post destructionem Hierusalem, sed ante destructionem: propheta enim est. unde etiam tradunt, quòd rex Ioachim ante urbis excidium hos Threnos legerit; & lectis ex his nonnullis uersibus, librum in ignem abiecerit: quem propheta paulò post multo copiosius rescripsit; quemadmodū ipsemet testatur prophetiæ suæ cap. 36.

MACCABAEORVM LIBER III.



MACCABAEORVM liber tertius, cuius argumentum est admiranda ac semper memorabilis liberatio Iudæorum, quos turmatim catenis unctos Ptolemæus Philopater, quartus Aegypti rex, exposuit in Ippodromo Alexandriæ urbis efferatis elephantis proterendos, ab hebræis prorsus ignoratur. quanquam Iosephus in secundo aduersus Apionem uolumine huius historiæ summam obiter atque admodum breuiter perstrinxerit: habetur tamen passim in omnibus ferè græcorum codicibus, & in plerisque etiam latinorum uoluminibus. Meminit libri huius Athanasius in Synopsi, & Eusebius in chronicis: quem Clemens tertius post Petrum Romanus pontifex in libro apostolicorum canonum canone 84. inter canonicos libros longè antea numerauerat. Sunt qui existiment eum ab Iosepho editum ex styli similitudine. Quæ uerò in ipso narrantur, gesta sunt ante ea, quæ in primo, & secundo Maccabæorum libris referuntur, annis ferè quinquaginta, hoc est sub Antiocho magno, Iudæis amicissimo, circa annum ab orbe condito ter millesimum septingentesimum trigessimum octaunum: & ad Maccabæorum historiam, tametsi eius præferant inscriptionem, nihil attinent. Libri initium est, Ο δὲ Φιλοπάτωρ μαδῶν παρὰ τῶν ἀνακομισθέντων τὴν γενομένην τῶν ὑπ' αὐτῶ πραχθέντων τόπων ἀφάρεσιν ὑπὸ Ἀντιόχου. id est, At Philopater cognoscens ex his, qui redierant, locos, quos ipse tenuerat, Antiochum abstulisse.

MACCABAEORVM LIBRI IIII.



MVARTVS Maccabæorum, quem Synopsis Athanasii inter apocrypha scripta recenset, historiam continet unius ac triginta annorum, hoc est gesta Ioannis Maccabæi, qui à deuictō Hyrcano cognomen Hyrcani accepit. hic post Simonem patrem, fraude Ptolemæi obruncatum, gentis suæ pontificatum unà cum principatu obtinuit; statimq; aduersus patris percussorem eduxit exercitū. deinde cum Antiocho, rege Sy-

H 3 ria,

riæ, fœdus iunxit: quo defuncto multas Syriæ urbes ui cepit. Primus omnium Iudæorum ducum stipendijs suis militem externum conduxit: tria millia talenta ex Dauidis sepulcro effodit: cum Romanis fœdus, iam à patre initum, renouauit: Antiochum Cyzigenum, Syriæ regem, bello uictum fugauit: Samariam, Hierosolymitanæ urbis æmulam, post integrum oppugnationis annum captam, solo æquauit; inducisq; in ea torrentibus, ipsas quoque deletæ urbis ruinas, & uestigia cuncta aquarum alluione substulit: muros Hierosolymitanos, uetustate collapsos, instaurauit. Quibus rebus feliciter exactis, moritur imperij sui anno trigesimo primo, uir triplici nomine, hoc est, sacerdotio, principatu, & prophetia clarissimus, anno scilicet ante Christi ortum centesimo. in quo quartus & ultimus Maccabæorum desinit liber: cuius initium ex Græco codice, quem Lugduni in bibliotheca Sanctis Pagnini, uiri doctissimi, apud prædicatores legimus manu scriptum, sic habet: *Και μετὰ τὸ ἀπεκτανθῆναι τὸν Σίμωνα, ἐγενήθη Ἰωάννης υἱὸς αὐτοῦ ἀρχιερεὺς αὐτῷ αὐτοῦ.* hoc est, *Et postquam occisus est simon, factus est Ioannes, filius eius, summus sacerdos pro eo.* Historiæ series & narratio eadem ferè est, quæ apud Iosephum libro Antiquitatum decimo tertio; sed stylus, hebraicis idiotismis abundans, longè dispar. Verisimile est hunc ab incerto interprete translatum ex libro dierum sacerdotij Ioannis, de quo in calce primi Maccabæorum ita scriptum est: *CAETERA sermone Ioannis, & bellorum eius, & bonarum uirtutum, quibus fortiter gessit, & ædificij murorum, quos extruxit, & rerum gestarum eius, ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotij, & principatus ipsius.*



A RECAPITULATIO
A OMNIUM VOLUMINUM
VTRIVSQUE TESTAMENTI.



PERACTO hoc primo libro, quem de diuinis uoluminibus, siue de scripturis, & scriptoribus sanctis scribendum assumpsimus, tandem exhibemus tibi tres Partitiones omnium scripturarum utriusque testamenti & ordinis, primam D. Augustini, secundam recentium scholasticorum, tertiam uerò, quæ nostra est.

PARTITIO PRIMA LIBRORVM OMNIUM DIVINAE scripturæ, tam ad primum, quam ad secundum ordinem sacri canonis pertinentium, à diuo Augustino libro secundo de doctrina Christiana in duas sectiones dissecta, alteram ueteris, alteram noui testamenti: quarum prior continet quatuor & quadraginta libros ueteres duabus classibus, hoc est Historica, & Prophetica distinctos; posterior continet libros octo noui testamenti.

C LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI
SECTIO PRIMA.

Historici libri XXII.

| | |
|-----|------------------------|
| 1 | Genesis |
| 2 | Exodus |
| 3 | Leuiticus |
| 4 | Numeri |
| 5 | Deuteronomion |
| 6 | Iosue |
| 7 | Iudicum |
| 8 | Ruth |
| D 9 | Regum primus |
| 10 | Regum secundus |
| 11 | Regum tertius |
| 12 | Regum quartus |
| 13 | Paralipomenon primus |
| 14 | Paralipomenon secundus |
| 15 | Iob |
| 16 | Tobias |
| 17 | Esther |
| 18 | Iudith |
| 19 | Esdra primus |
| 20 | Esdra secundus |
| 21 | Maccabæorum primus |
| 22 | Maccabæorum secundus. |

Propheticæ, id est eorum, qui propriè Prophetæ sunt appellati, libri XXI.

| | |
|----|----------------------|
| 23 | Dauid |
| 24 | Prouerbia |
| 25 | Ecclesiastes |
| 26 | Cantica |
| 27 | Sapientia |
| 28 | Ecclesiasticus |
| 29 | Esaïas |
| 30 | Ieremias cum Threnis |
| 31 | Ezechiel |
| 32 | Daniel |
| 33 | Osee |
| 34 | Ioel |
| 35 | Amos |
| 36 | Abdias |
| 37 | Ionas |
| 38 | Michæas |
| 39 | Nahum |
| 40 | Abacuch |
| 41 | Sophonias |
| 42 | Aggæus |
| 43 | Zacharias |
| 44 | Malachias. |

LIBRORVM NOVI TESTAMENTI SECTIO SECVNDA.

E VANGELIORVM Matthæi, Marci, Lucae, & Ioannis, libri quatuor. EPISTOLARVM Pauli quatuordecim, liber unus. APOSTOLICORVM actuum, liber unus. CATHOLICARVM epistolarum, hoc est II. Petri, III. Ioannis, Iacobi I. & Iudæ I. liber unus. APOCALYPSEOS Ioannis Euangelistæ, liber unus.

Quos quidem novi testamenti libros, omisso Apocalypseos uolumine, Gregorius Theologus aliquot annis ante Augustinum eodem, quem supra citauimus, loco non ineleganter his carminibus cecinit:

Ἦδη ἀρίθμη καὶ νῦν μυστήρια. Ματθαῖος μὲν ἐγράψεν ἑβραῖος γράμματα χριστοῦ. Μάρκος δ' ἰταλῖν. Λουκᾶς ἀχαιοῖσι. Πᾶσι δ' Ἰωάννης κήρυξ μέγας, δρακοφόνη. Ἐπιτοὰ κρήνας τῶν σοφῶν ἀποδόλω. Δέκα δὲ Παύλος πέλαγος τ' ἐπιστολῶν. Ἐπίθετο καθολικῶν, ὡς Ἰακώβου μία. Δύο δὲ Πέτρος, τρεῖς δὲ Ἰωάννης παλιν. Ἰσθὰ δ' ἐστὶν ἑβδόμη. πᾶσας ἔχεις. Ἐἴτι δὲ τέτταρ' ἐπιτοὰν. ἢ ἐμ' ἡμισίους.

quæ sic uerti possunt:

Iam uerò percurrere noua mysteria legis. Matthæus dedit Hebraeis miracula Christi, Italiae Marcus. scripsit tibi, Græcia, Lucas: Cæliuagus sparsit cunctis sua scripta Ioannes. Iuncta & apostolica his mox cernes inchoyta facta. Deinceps bis septem Pauli numerato libellos, Catholicas septem: inter quas est prima Iacobi, Et gemina Petri: subeunt tres deinde Ioannis: Septima post istas succedit epistola Iudæ. Legitima hand fuerint, si qua extra hæc scripta ferantur.

Ἰσθὰ δ' ἐστὶν ἑβδόμη. πᾶσας ἔχεις. Ἐἴτι δὲ τέτταρ' ἐπιτοὰν. ἢ ἐμ' ἡμισίους.

PARTITIO SECVNDA

OMNIVM LIBRORVM S. SCRIPTVRAE, tam ad primum, quàm ad secundum ordinem sacri canonis pertinentium, à scholasticis in duas Sectiones, alteram ueteris, alteram noui testamenti distincta: quarum utraque in quatuor uoluminum classes digeritur, hoc est in libros Legales, Historiales, Sapientiales, & Prophetales.

LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI SECTIO PRIMA.

Legales libri quinque.

- 1 Genesis
2 Exodus
3 Leuiticus
4 Numeri
5 Deuteronomion.

Sapientiales libri quinque.

- 23 Prouerbia
24 Ecclesiastes
25 Cantica
26 Sapientia
27 Ecclesiasticus.

Historiales libri XVII.

- 6 Iosue
7 Iudicum
8 Ruth
9 Regum primus
10 Regum secundus
11 Regum tertius
12 Regum quartus
13 Paralipomenon primus
14 Paralipomenon secundus
15 Esdras primus
16 Esdras secundus
17 Tobias
18 Iudith
19 Esther
20 Iob
21 Maccabæorum primus
22 Maccabæorum secundus.

Prophetales libri XVII.

- 28 Dauid
29 Esaias
30 Ieremias cū Threnis, & Baruch
31 Ezechiel
32 Daniel
33 Oseas
34 Ioel
35 Amos
36 Abdias
37 Ionas
38 Michæas
39 Nahum
40 Abacuch
41 Sophonias
42 Aggaus
43 Zacharias
44 Malachias.

SECTIO SECUNDA
OMNIVM LIBRORVM
NOVI TESTAMENTI; IN
EASDEM QVATVOR CLASSES DIGESTA.

LEGALES, LIBRI QVATVOR, id est

Matthæus,
 Marcus,
 Lucas,
 Ioannes.

HISTORIALES, LIBER VNVS, id est

Actus Apostolorum.

SAPIENTIALES, LIBRI DVO, id est

Pauli Apostoli epistolæ quatuordecim,
 Catholicæ epistolæ septem.

PROPHETALES, LIBER VNVS, id est

Apocalypsis Ioannis.

PARTITIO

PARTITIO TERTIA

ΒΙΒΛΙΟΓΡΑΦΩΝ, Η ΟΥ ΕΣΤ
ΒΙΒΛΙΟΓΡΑΦΩΝ, Η ΟΥ ΕΣΤ
 B I B L I C A R V M S C R I P T V R A R V M, I N T R E S
 Sectiones à nobis distributa; quarum prima continet Πρωτοκανονικά, id
 est canonica primi ordinis scripta; secunda Δευτεροκανονικά, id est
 canonicas secundi ordinis scripturas; tertia Αποκρυφα, siue
 omnia incertæ autoritatis scripturarum additamenta.

ΠΡΩΤΟΚΑΝΟΝΙΚΩΝ, ΙΔ ΕΣΤ
 Scripturarum canonicarum primi ordinis,
 SECTIO PRIMA.

B EX VETERI TESTAMENTO. EX NOVO TESTAMENTO.

| | | | |
|----|-----------------------------|----|-----------------------------|
| 1 | Genesis | 1 | Matthæus |
| 2 | Exodus | 2 | Marcus |
| 3 | Leuiticus | 3 | Lucas |
| 4 | Numeri | 4 | Ioannes |
| 5 | Deuteronomion | 5 | Actus Apostolorum |
| 6 | Iosue | 6 | Ad Romanos |
| 7 | Iudicum, & Ruth | 7 | Ad Corinthios prima |
| 8 | Samuelis primus, & secundus | 8 | Ad Corinthios secunda |
| 9 | Melachim primus & secundus | 9 | Ad Galatas |
| 10 | Paralipomenon libri duo | 10 | Ad Ephesios |
| 11 | Esdra duo libri | 11 | Ad Philippenses |
| 12 | Iob | 12 | Ad Coloffenses |
| 13 | Psalterium | 13 | Ad Theſſalonicenses prima |
| 14 | Prouerbia | 14 | Ad Theſſalonicenses secunda |
| 15 | Ecclesiastes | 15 | Ad Timotheum prima |
| 16 | Cantica | 16 | Ad Timotheum secunda |
| 17 | Eſaias | 17 | Ad Titum |
| 18 | Ieremias cum Threnis | 18 | Ad Philémonem |
| 19 | Ezechiel | 19 | Petri epistola prima |
| 20 | Daniel | 20 | Ioannis epistola prima |
| 21 | Prophetæ duodecim. | | |

ΔΕΥΤΕΡΟΚΑΝΟΝΙΚΩΝ, ΙΔ ΕΣΤ
 Canonicarum secundi ordinis scripturarum,
 SECTIO SECUNDA.

D EX VETERI TESTAMENTO. EX NOVO TESTAMENTO.

| | | | |
|----|--------------------------|----|--|
| 1 | Eſther | 1 | Marci caput ultimum |
| 2 | Tobias | 2 | Historia de Christi agonia, & Angeli conſolatione |
| 3 | Iudith | 3 | Ioannis de muliere adulte- ra historia |
| 4 | Baruch | 4 | Epistola ad Hebræos |
| 5 | Ieremiæ epistola | 5 | Epistola Iacobi |
| 6 | Sapientia | 6 | Epistola Petri secunda |
| 7 | Ecclesiasticus | 7 | Epistola Ioannis secunda |
| 8 | Additio Danielis, id est | 8 | Epistola Ioannis tertia |
| 9 | Maccabæorum primus | 9 | Epistola Iudæ |
| 10 | Maccabæorum secundus. | 10 | Apocalypsis. |

Oratio Azaræ
 Hymnus triū puerorū
 Susannæ historia
 Belis historia

I 2 ΑΠΟ-

ΑΠΟΚΡΥΦΩΝ, Η ΟΥ ΕΣΤ ΟΥΚΩΛΤΙ^A
ET INCERTI GENERIS SCRIPTVRARVM,

SECTIO TERTIA.

| | |
|----|--------------------------------------|
| 1 | Libri secundi Paralipomenon appendix |
| 2 | Esdra liber tertius |
| 3 | Esdra liber quartus |
| 4 | Libri Esther appendix |
| 5 | Libri Iob accessio |
| 6 | Psalterij appendix |
| 7 | Lamentationum præfatio |
| 8 | Ecclesiastici appendix |
| 9 | Maccabæorum tertius |
| 10 | Maccabæorum quartus. |



AEC in uniuersum habuimus, quæ de scripturis sanctis, uulgato Bibliorum codice comprehensis, diceremus; deinceps in sequenti libro narrabimus scriptores & scripta, quæ à diuinis sacrorum uoluminum autoribus citantur; de quibus Origenes homilia prima in Canticum canticorum sic scribit: OPEROSVM est, si uelimus inquirere, quàm multorum librorum commemoratio fiat in scripturis diuinis, quorum lectio nulla uobis omnino est tradita, sed neque apud Iudæos quidem usum huiusmodi reperimus lectionum, quæ siue propterea quòd aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit spiritui sancto ferre de medio, siue quòd essent de scripturis his, quæ uocantur Apocryphæ, pro eo quòd multa in eis corrupta, & contra fidem ueram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad autoritatem. supra nos est pronunciare de talibus, illud tamen palàm est, multa uel ab Apostolis, uel ab Euangelistis exempla esse prolata, & nouo testamento inserta, quæ in his scripturis, quas canonicas habemus, nunquam legimus: in Apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Hactenus Origenis uerba, in quibus præsentis libri finem libet imponere.

Primi libri finis.

F. SIXTI

^A F. SIXTI SENENSIS

EX ORDINE PRÆDICATORVM
DE LIBRIS, SCRIPTORIBVS, ET SCRIPTIS,

QVORVM IN S. VOLVMINIBVS FIT MENTIO,

BIBLIOTHECÆ SANCTÆ

LIBER SECVNDVS.



PRÆFATIO.



PRIMO huius operis uolumine omnium diuinæ scripturæ librorum numerum, ordinem, partitionem, autoritatem, autores, & argumenta recensuimus: nunc in secundo hoc libro collecturi sumus uolumina, libres, scriptores, & scripturas omnes extantes, & non extantes, tum indubitatas, tum dubias & incertas; quæ passim ab autoribus in sacrosanctis Bibliis commemorantur. hæ autem triplici inter se discrimine distinguuntur, collectione, intelligentia, autoritate. Ac primùm iuxta diuisionem, quæ ex collectione, hoc est ex uariis colligendi modis, exoritur, omnes, quas huc congesimus, scripturæ diuiduntur in Transcriptas, Abbreuiatas, & Allegatas.

TRANSCRIPTÆ sunt, quæ ex aliis uetustioribus scripturis fideliter sunt descriptæ; & sicut ab autoribus ipsarum olim editæ fuerant in sacris literis de uerbo ad uerbum insertæ, ut sunt epistolæ multæ regum & principum Assyriorum, Medorum, Persarum, Aegyptiorum, Græcorum, Romanorum, Iudæorum, & aliarum gentium; quæ ad complementum sacrosanctæ historiæ diuinis uoluminibus permixtæ sunt.

ABBREVIATÆ scripturæ dicuntur, quæ cùm prius essent ab autoribus suis profusa orationis copia conscriptæ, ac multis uoluminibus extensæ, à diuinis postea scriptoribus in compen-

I 3 dium

dium contractæ sunt, & inter sanctos libros coactæ. tales A esse constat Canticorum Salomonis libros quinque millia, eiusdem Parabolarum libros tria millia, & ipsius quoque Naturalium disputationum opus immensum, Psalmorum Dauidis tria millia; quæ D. Athanasius in Paralipomenon libris citari affirmat; Esdræ libros quatuor & ducentos; Nehemiæ commentaria; Volumina historiarum Samuelis, & Nathan, & Gad prophetarum; Diuinationes Abiæ Silonitis; Vaticinia Iddo prophetæ; Sermones Chozai, & Semeiæ, & Hieu prophetarum; Libros dierum regum Iuda, & Israel; Descriptiones Ieremiæ; Commentaria Iudæ Mac- B cabæi; Ephemeridas sacerdotii Ioannis; Iasonis Cyrenæi historiarum libros quinque, atque alia complura huius generis uolumina; ex quorum præcipuè fontibus maxima pars eorum, quæ nunc in sacrosanctis literis habentur, hausta creditur.

ALLEGATAE scripturæ uocantur, quarum in diuinis libris aut sola autorum nomina, aut inscriptiones tantum librorum commemorantur; aut sola operum argumenta quambreuissimè perstringuntur; aut aliqua duntaxat ex his testimonia citantur, atque allegantur. ceu sunt Liber Henoch, Liber bellorum domini, C Liber Iustorum, Liber uerborum ueterum, Annales regum Persarum, & Medorum, Commentaria Assueri, Commentaria Cyri, Libri sancti Spartanorum, Phenomæna Arati, Callimachi poemata, Epimenidis de oraculis, Menandri comica, atque alia per multa his similia antiquissimæ uetustatis monumenta; quæ omnia simul cum aliis innumerabilibus uariarum gentium scriptis partim temporis absumpsit iniuria; partim barbarorum incursionibus, ac tyrannorum uesania perdiderunt in regnorum euersionibus, & in ipso potissimum sanctæ urbis excidio; in quo tot D millia sacrosanctæ illius Hierosolymitanæ bibliothecæ uolumina ab Assyriis primùm, à Græcis deinde, à Romanis postremo exusta fuere.

CAETERVM SECUNDA scripturarum diuisio, ex earum intelligentia & sensu desumpta, duas continet scripturarum uarietates, nempe Historicæ, & Mysticæ, siue Symbolicæ.

HISTORICÆ nuncupantur, quæ solum rerum gestarum aut scriptarum ordinem significant; uel in quibus præter historicam notitiam nihil propter ipsarum intelligentiam secretioris aut sym-
bolici

A bolici sensus perscrutari necessarium est. Ex harum numero sunt permultæ principum & regum Chaldæorum, Aegyptiorum, Iudæorum, & Romanorum epistolæ, sacris libris insertæ; in quibus exterior tantum literæ sensus spectandus est.


MYSTICÆ & Symbolicæ sunt, quæ sub uisibilibus, aut imaginariis librorum, uoluminum, codicum, & scripturarum quarumcunque symbolicis simulacris, & ostensionibus occulta, sublimiaque mysteria repræsentant; ueluti Liber signatus, Liber inuolutus, Liber uolans, Liber uitæ, Liber uitæ agni, Liber septem B sigillorum, Volumen libri scriptum intus & foris, Liber deuoratus, Liber monumenti, Liber diuini repudii, Liber mortis, Scriptura duorum lignorum, Litera occidens, Chirographum decreti, Scriptura Adamantina, Epistola Christi, Scriptura domus Israel, multaque alia huiusmodi scripta; in quibus nisi mysticos & latentes sensus introspexeris, nihil profus intelliges.

TERTIA scripturarum diuisio in Indubitata, Apocrypha, & Pseudepigrapha scripta distribuitur.

INDUBITATA sunt, quæ certissimè constat eorum esse, C quorum nominibus ac titulis prænotantur, ut Scriptura Ezechie regis, Aguris Prophetia, Lamuelis Instituta, Concilii apostolici Epistola, & pleraque talia, quæ præfixis autorum nominibus sacris uoluminibus immista sunt.

APOCRYPHA, id est obscura & ambigua, sunt, de quorum autoribus & autoritate dubitatur, uel de quibus ambigitur, an scriptoribus, qui in sacris literis memorantur, tribuenda sint; ueluti Hebræorum euangelium, Barptolemæi euangelium, Iacobi apostoli Missa, Hermæ libri tres, hoc est Pastor, Ecclesia, Similitudines; Barnabæ epistola, Heldad & Medad uaticinia, Clementis epistolæ, Ioseph oratio, Apostolorum canones, Testamentum duodecim patriarcharum, Petri prædicatio, Iasonis, & Papisci altercatio, & alia quamplurima huius generis uolumina, uiris illustribus in diuina scriptura celebratis inscripta; quæ etiam Ecclesiastica appellantur ob id scilicet, quod in exordio nascentis ecclesiæ in templis & in communibus Christianorum conuentibus publicè ad plebis ædificationem legebantur, & in scriptis ueterum doctorum ad morum institutionem, & interdum quoque ad fidei confirmationem assumebantur.

PSEUDEPIGRAPHA, hoc est falso inscripta, ea sunt, quæ ^A diuersi hæretici sub nomine uirorum tam illustrium, quam obscurorum, quos passim diuinæ literæ nominant, malitiosè finxerunt, ut ex eorum ementitis titulis fidem autoritatemq; erroribus suis conciliarent: qualia sunt Libri Seth filii Nohe, Scriptura Cham filii Nohe, Abrahæ reuelatio, Moyfis ascensio, Iamnes & Mambres uolumen, Heliæ Apocalypsis, Esaia ascensus, Salomonis incantationes, Iesu Christi de occulta sapientia ad Petrum & Paulum libri, Pauli raptus, Pilati acta, Iudæ Iscariotis euangelium, cæteraq; huiusmodi execrandæ impietatis commenta. Hæc igitur ^B omnia scriptorum, & scripturarum genera præsentis uolumine sub alphabetico literarum ordine (quando nulla commodior aptandi operis ratio occurrit) coaptare institui; & singularum cuiuscunque generis scripturarum autores, argumenta, occasiones, ac tempora indicare; ac loca plurima in his obscura lucidè ac breuiter, quoad fieri poterit, explicare. ^C



A, KAI

A



^A, KAI Ω, Alpha, & Omega est unum ex sacris cognominibus domini nostri Iesu Christi, quo quidem ipsemet se ipsum appellat in principio & in fine Reuelationum Ioannis, dicens: *Εγώ εμι το Α, καὶ το Ω*, id est Ego sum ipsum Alpha, & ipsum Omega. Tertullianus in libro De hæreticorum præscriptionibus refert Marcum & Colarbasium, hæreticos, cepisse ex hoc loco ansam excogitandi nouam hæresim super græcorum alphabeto. hi enim dixerunt nullam ueritatem sine his literis inueniri, immo totam plenitudinem, & perfectionem ueritatis in numeris, quos hæc literæ significant, esse dispositam; & propter ^B hanc etiam causam affirmauerunt pronunciaſſe Christum, Ego sum α & ω, ut nos hoc dicto prouocaret ad perscrutanda mysteria abditissima diuinarum rerum; quæ in singulis alphabeti literis, & literarum numeris concluduntur. Epiphanius in libro Anchorato existimat ex figuris harum literarum significari geminam Christi naturam, nimirum per A, quæ infernè aperitur, naturam humanam; per Ω uerò, quod supernè apertum est, diuinum uerbum. Origenes Tomo primo in Ioannem super utriusque literæ mystica significatione multa scribit, quæ breuitati consulens prætereo. Vera huius nominis interpretatio est, quam ipsemet Christus ibidem affert, inquit: Ego sum α & ω, principium & finis. his enim literis se ipsum comparat, uel exprimit; quia sicut α initium est elementorum omnium, & ω finis ac terminus: ita solus ipse initium est, quem nullas præcedit; & finis sine fine, cui nullus finis succedit; principium quoque uniuersorum, à quo omnia, & finis, propter quem omnia condita sunt; idemque terminus, quò tendunt, & aspirant omnia, & in quem denique uniuersa quiescunt. ^C

^A B A K V K Apocryphum recenset in Synopsi Athanasius, indicans, nisi fallor, prophetiam quandam absconditam, cuius etiam meminit Epiphanius in uita Abakuk, aut fortè historiam, quam Abakuk, non is, qui inter duodecim prophetas ponitur, sed alter ex tribu Leui, filius Iuda, scripsit de Daniele sacerdote, filio Abdæ. Vide suprâ librum 1. in Danielis prophetæ Appendice.

^A B R A H A E Apocalypsin Sethiani hæretici, ut in primo Panarij scribit Epiphanius, inuenerunt. Origenes hom. 35. in Lucam, assumit testimonium de scriptura quadam Abrahæ Apocrypha; in qua inducuntur angeli iniquitatis, & iustitiæ, de salute, & interitu Abrahæ disceptantes. in Synopsi Athanasij liber, qui ASSUMPTIO ABRAHÆ dicitur, inter libros reiectos enumeratur. Fertur apud Hebræos liber sub nomine Abrahæ patriarchæ, cuius est inscriptio *יצירה* Iezira, id est DE CREATIONE; quem non parum literati asignant Rabbi Akiba.

^D A C H I A S S I L O N I T E S, siue *אחיה השילוני* Achia Asceloni, de tribu Iuda, oriundus ex Silo, ubi quondam fuerat tabernaculum & arca domini, ille idem propheta est, qui egredienti Ieroboam, præfecto Salomonis, de Hierusalem occurrit in itinere, & discisso pallio nouo, quo uates ipse indutus incedebat, datisque ex his decem partibus ad Ieroboam, uaticinatus est non multò post euenturum, ut regnum Salomonis, qui, deserto Deo suo, idola meretricû suarum adorauerat, in duodecim tribus scinderetur. è quibus decem, abiecto imperio Roboam filij Salomonis, Ieroboam sibi ascituræ essent in regem; cuius post aliquot annos Deus omnem familiam, uniuersamque progeniem ob ipsius peccata funditus erat euerfurus. Scripsit itaque uates hic de rebus, à rege Salomone gestis, librum unum; cuius mentionem facit secundus liber sacrorum annalium capite nono. Vixit autem in Silo; ibique diem suum obiit; & haud procul ab ingenti quercu, quæ eò in loco erat, sepulcrum obtinuit, anno ab orbe condito bis millesimo nongentesimo nonagesimo. Hunc hebræi maximè longæuum fuisse tradunt, atque unum esse dicunt ex septem uiris totius humanæ uitæ continuatoribus. qua de re uide infrâ in Heliæ.

K A D A E

Gen. 5. a

A D A E Genealogia, siue ספר תולדת אדם Sepher Tholdoth Adam, hoc est Liber A generationum Adam, siue, ut septuaginta interp. uerterunt, Βιβλος γενεσεως ανθρωπων, id est Liber generationis hominum, idem est, quod enumeratio, siue catalogus posteritatis Adæ, à Moysè in quinto Geneleos capitulo posita. in qua duo obseruabis primùm, quòd in ea generationes, quæ sunt ab Adam per Cayn usque ad Nohe, tacentur uti reprobæ & indignæ, quæ sacris uoluminibus inscribantur, & in hominum memoriæ conferuentur. Adam uerò per Seth usque ad Nohe genealogia integrè describitur; quia ex hac sancta prosapia descendunt Abraham, Isaac, & Iacob, Christi Iesu, qui totius scripturæ finis est, progenitores. Secundò notabis, translationem LXX. interpretum, in supputandis annis eorum, qui in hoc catalogo continentur, scripturæ hebraicæ aduersari: in qua cum Moyses ab Adam usque ad diluuium numeret annos duntaxat 1656. septuaginta interpretes superaddunt annos 786. ut sit summa annorum ab Adam usque ad diluuium 2242. Ex qua supputationum diuersitate orta est controuersia de computatione annorum mundi inter hebræos, & Græcos. Hebræi enim ab orbe condito usque ad Christum numerant annos 3954. Græci uerò, & Latini annos 5199. Sed de hoc aliquanto fufius loquemur in quinto huius operis libro, cum ad annotationes quinti capituli libri Geneleos deuenierimus.

A D A E Reuelationem, quam ipse Adam uidit, quando Deus immisit soporem in illum, Gnostici hæretici primi omnium excogitarunt, ut autor est Epiphanius in primo Panarij. Augustinus contra Faustum scribit, Manichæos effinxisse librum de Genealogia, uel filiis, & filiabus Adæ; quem Gelasius dist. quinta decima unà cum alio libro, qui Adæ pœnitentia dicitur, inter damnatas scripturas enumerat.

Ier. 17.

A D A M A N T I N A Scriptura. de hac loquitur Ieremias his uerbis: P E C C A T U M Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super tabulam cordis eorum, & in cornibus altarium. Irremissibile peccatum, de quo hic propheta loquitur, non tantum idololatria est, sed mors Christi, & fugatio apostolorum. quod peccatum neque in hoc, neque in futuro sæculo condonatum est, quantum attinet ad præfractos quosdam pharisæos. Dicitur autem Scriptum esse tripliciter, primo in corde Iudæorum, quia peccatum illud odij aduersus Christum & crucem eius ualde profundè insidet in corde ipsorum tenacissimo, duro, & impœnitente. usque enim in hodiernum diem crux est Iudæis scandalo, & maledicunt ei, approbantes peccatum patrum suorum. Secundo dicitur Scriptum in cornibus altaris, quia peccatum idololatriæ usque adeò infederat cordibus Iudæorum, ut quoties astarent altaribus, exasperarent Deum. adhuc enim infidebat eorum mentibus amor idolorum, & excelsorum, & solo metu ab eis colendis abstinabant; optabantque uanis potius idolis, quam Deo uero seruire. ita & nunc in synagogis suis, & sacris in cornibus altarium est peccatum, eo quòd grata occisi Christi memoria, & natiuum adhuc odium hæret animo, & uelut recens in manu est; & recolendo pristinas patrum abominationes se se oblectant, blasphemantes Christum in orationibus suis, & Christianis diras execrationes, tametsi uanas & sine ullo effectu, imprecantes. Tertio Scriptum est in ungue adamantino, hoc est, in æterna Dei memoria indelebili scripturæ genere exaratum, & ipsius peccati supplicium in immobili diuinæ uoluntatis determinatione perenni sculptura incisum.

A E G Y P T I O R V M Euangelium, uel Secundum Aegyptios, in usu fuit apud Valentinus hæreticos. Clemens Alexandrinus in tertio Stromaton diluit testimonia quædam, quæ ex hoc opere Iulius Casianus, atque alij Valentini sectatores ad confirmationem suorum dogmatum adducebant. Epiphanius libro secundo Panarij testatur Sabellianus ex hoc euangelio conatos astruere eandem esse patris, filij, & spiritus sancti personam.

Act. 7. b

A E G Y P T I O R V M Sapiencia, hebraicè חכמת מצרים Chochemath Mizriim, græcè Σοφία Αιγυπτίων. hanc Stephanus protomartyr in Actibus apostolorum pro magno encomio Moyfi, Iudæorum duci, attribuit, dicens: Et ERVDITVS fuit

A fuit Moyfes in omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in operibus & sermonibus. Aegyptiorum Sapientiam Diodorus, Diogenes Laertius, Iamblicus, Philo Iudæus, & Eusebius Cæsariensis indicant fuisse diuisam in partes quatuor, nempe in Mathematicam, Naturalem, Diuinam, & Moralem. Porro Mathematicam, quæ in Geometriam, Astronomiam, Arithmeticam, & Musicam distincta est, plurimum ueteres Aegyptij exercuerunt. nam Geometriam necessitate excoluerunt; quippe qua in primis egebant, cum, turbatis crescente Nilo agrorum finibus, postquam amnis in suum aluicum redierat, sua cuique essent restituenda; nec alia ratione constare posset agrorum dimensio, nisi adhibita, quæ ex certis coalita principiis fallere peritos mentores nequirent. Geometria igitur est nominata quasi terræ mensio. Astronomiæ uerò sese dederunt commoditate: ut, qui serenas semper haberent noctes, aspicerentque tractum cœli latè patentem, nullis nubibus, nullis nebulis turbatum; facile ortus, occasus, progressus, regressusque siderum animaduertere potuerunt. quæ res & ad cognitionem erat iocundissima, & ad uitam fructuosissima, & humani ingenij exercitatione digna. His duabus Geometriæ & Astronomiæ artibus addita est Arithmetica, numerorum cognitio, ueluti utrisque deseruiens, & cuius ministerio hæc carere non possunt. Musicæ uerò tantum degustarunt, quantum illis satis uideretur ad decantandas deorum, atque regum, & heroum laudes.

A L T E R A Aegyptiaca Sapientia pars, quæ principia, causas, elementa, & opera naturalium rerum pertractat, Physica appellata, non multum à Peripatetica philosophia differt. nam & Materiam ponunt principium esse rerum omnium, & ex ea deinceps discreta quatuor elementa: ex quibus mista omnia & animantia oriuntur; Cœlum esse ad sphaeræ similitudinem rotundum; Stellas omnes calorem quasi igneum habere, cuius temperatis commiffionibus cuncta super terram nascantur; Planetas, siue errantia sidera, suas habere animas; Pluuias ex aeris mutationibus fieri; itemque alia plurima his similia.

T E R T I A huius Sapientia pars, diuina complectens, quæ Theologia dicitur, diuersa habet dogmata, nempe Mundum genitum esse, atque suapte natura mortalem; Homines in prima rerum omnium origine primùm in Aegypto productos, partim propter cœli temperiem, partim propter Nilum; (nam nec hybernis frigoribus, nec æstiu Solis ardoribus regio premitur, & terram irrigatione Nili sic fecunda est, ut alimentorum ad usum hominum nulla terra feracior sit) Humanam animam esse perennem, eamque ex corpore in corpus immigrare; Deum unum esse deorum omnium patrem ac principem, ab hoc uerò deos alios; Solem, & Lunam deos esse, alterumque Osirim, alteram Isim appellatos. Tempa in super & statuas diis diuersis imaginibus fabricandas, quia uera deorum imago ignoratur; Multos ex diis fuisse primùm mortales homines, deinde uerò ob uirtutes suas, & egregia in homines collata beneficia diuinitatem consecutos; & ab hominibus diuinis honoribus honoratos; Imagines animalium ab Aegyptiorum ducebus, & imperatoribus, galeis, & clypeis insculptas, ferri solitas in prælio aduersus hostes: parta deinde uictoria, ea animalia, quorum effigies uictoriosi duces gestarunt, quasi offensionem belli ipsa in hostes repulissent, in deos retulerunt.

H A B V E R V N T etiam Aegyptiorum Theologi peculiare quoddam scripturæ genus, mysticum & arcanum, quo sublimiora Theologiæ ac diuini cultus mysteria, quæ potissimum euulgari nollent, occultabant. qua de re Clemens in quinto libro Stromatum loquens, uniuersam Aegyptiaca scripturæ summam triplici discrimine distinguit, nimirum in Επιστολογραφίην, hoc est Epistolare, ad scribendas communes epistolas aptam; in Ιερογραμματικίην, hoc est Sacerdotalem, qua utuntur qui de rebus sacris scribunt; & in Ιερολογίην, id est Sacram, quæ insculpitur, scripturam: cuius quidem duæ sunt species, una Κυριολογίην, id est Propriè loquens; quæ per literas ipsas, & alphabeticæ elementa, sed mysticis & figuratis uerbis scribitur. ut, exempli gratia, Ibis à Scarabeo Accipitris pulchritudinem participat. id est Luna à Sole Dei pulchritudinem participat, nempe lucem, quæ imago est diuinæ pulchritudinis. Altera uerò Συμβολίην, id est Symbolica, siue per signa significans: quæ triplex est, nempe Imi-

tatiua, Tropica, & Aenigmatica. quarum Imitatiua dicitur, quæ res per characteres rebus ipsis per similes designat: ut qui Solem uolunt scribere, circulum delineant; & Lunam uolentes significare, duorum lunarium cornuum imaginem pingunt. Tropica, siue Translatiua est, quæ uarias diuersarum rerum, præsertim animalium, formas figurâsq; transfert, ad significandum uel deorum, uel hominum dignitates, fortunas, mores, uirtutes, uitia, affectiones, & actiones. secundum quam significationem apud Aegyptios theologos Accipitris imago significat Deum, Scarabei figura Solem, Ibicis pictura Lunam, Hominis forma prudentiam & solertiam, Leo fortitudinem, Equus libertatem, Crocodilus impudentiam, Piscis odium. Aenigmatica est, quæ ex coniunctione & mutua permissione harum imaginum resultat. quo quidem modo Sphinx, ex humano capite, & Leonis corpore composita imago, templis, altaribus, aliisq; sacris rebus insculpitur ad significandum, quod nobis diuina omnia sint ænigmatica & obscura. Sol in Crocodilo, qui in aqua non minus, quam in terra nutritur, impressus, significat Solem ad similitudinem Crocodili, partim ex aqua, partim ex terra alimentum rebus meteoris assumere. Sceptrum regium, cuius uertici oculus & auris superstant, Deum significat moderantem, uidentem, audientem omnia. Ferunt hoc symbolico scripturæ genere Scythas quoque delectatos; quorum rex Idanthuras, ut refert Pherecydes Syrius, cum Darius rex, traiecto Istro fluuio, bellum per literas & regionis uastitatem minitaret, nisi ei Scythæ parerent, symbolum ei pro literas remisit, murem, ranam, auem, iaculum, aratrum. cum autem de his, ut erat consentaneum, exorta esset dubitatio; Orontopagas, tribunus militum, dicebat, eos Dario tradituros imperium, coniectans ex mure quidem habitationes, ex rana aquas, ex aue aerem, ex iaculo arma, ex aratro agros. Xyphodres autem, contra interpretatus, dicebat, Nisi protinus, tanquam aues, euolauerimus; aut, tanquam mures, terram, uel, tanquam ranæ, aquam subierimus: illorum iacula non effugiemus; sed eorum agros aut cæsi impinguabimus, aut capti & subiugum missi aratro scindemus.

QUARTA, ac postrema Aegyptiaca Sapientia pars spectat, ad mores ac politicam uiuendi rationem; cuius leges, & instituta Laertius in Mercurium refert; quem Græci Trismegiston, hoc est Ter maximum, appellarunt, quoniam & philosophus maximus, & sacerdos maximus, & rex maximus fuerit. sub cuius nomine nunc extant Dialogi duo, Pimander, & Asclepius; in quibus tot admiratione digna de Deo, de trinitate, de aduentu Christi; de ultimo iudicio oracula protulit, ut non philosophus tantum, sed propheta futurorum præsciis uideatur. Iamblicus in libro De mysteriis Aegyptiorum refert, hunc Mercurium non solum philosophia, sed & totius Aegyptiaca Sapientia fuisse autorem ac principem; producitq; testimonium Seleuci, & Menati, ueterum autorum, asserentium scripsisse eum de uniuersa Aegyptiorum sapientia libros triginta. sex millia & quingentos uiginti quinque; in quibus particulatim recensentur De dijs æmpyreis libri centum, De dijs coelestibus libri mille. quorum pleriq; ex lingua Aegyptiaca in græcam translatisunt a uiris philosophia non imperitis; & ob id stylo græco uidentur conscripti. ex his Clemens in sexto Stromatum scribit ætate sua apud Aegyptios extitisse infrascriptos libros, hoc est, De uniuersa Aegyptiorum philosophia libros triginta tres, De medicina libros sex, De sacerdotalibus decem, De astrologia libros quatuor.

ATQVE hæc dicta sint de Aegyptiorum Sapientia; in qua Mosem plenissime institutum affirmat Philo in primo de uita Mosis libro, sic scribens: MOSES itaque numeros, & geometriam, uniuersamq; musicam, rythmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam, siue per uoces, instrumentaq; prominentem se modis uariis, accepit ab Aegyptiis doctoribus, maxime uero occultam philosophiam, descriptam literis, ut uocant, hieroglyphicis; hoc est, notis animalium; quæ ipsi uenerantur pro numinibus. ex propinquis autem regionibus euocati Chaldæi docuerunt fideralem scientiam. hanc & ab Aegyptiis didicit. Iustinus, philosophus & martyr, aliquantulum a Philone dissentiens, in libro Quaestionum, a gentibus positarum, asseuerat Mosem, omisso studio omnium Mathematicarum, quæ tum in Aegypto uulgares

erant,

erant, & uiles, adieciisse animum ad solas hieroglyphicas disciplinas; quæ tum apud Aegyptios solæ in honore, & precio erant, & non quibuslibet, sed præcipuis & approbatissimis uiris, & in abditis locis secretò traderentur. has cum didicisset Moses; nihil tamen unquam secundum eas aut dixit, aut egit, quod contrarium esset unius ueri Dei cultui. quod enim Stephanus statim post illa uerba, ERAT MOYSES ERUDITVS IN OMNI SAPIENTIA CHALDÆORVM, addidit, ET ERAT POTENS IN OPERIBVS, ET SERMONIBVS, non ita intelligendum est, ut credamus Mossem ex uia Aegyptiaca sapientia aliqua miracula operatum, sed ex sola ueri Dei uirtute miranda opera peregisse. Clemens in quinto Stromatum scribit, Mossem iuxta hanc hieroglyphicæ doctrinæ consuetudinem multa sub tropicis ac mysticis animalium symbolis uitæ moralis præcepta occultè tradidisse, solis diuinæ legis amatoribus peruia: qualia sunt, NEQVE PORCO, NEQVE AQVILA, NEQVE ACCIPITRE, NEQVE CORVO VESCENDVM. nam Porcus, quia est animal uoluptati deditum & immundum, symbolum est ingluuiei, & libidinis, significans ciborum cupiditatem, & salacem in re uenerea intemperantiam, & inquinatam uitam in cœno uitiorum iacentem, quæ ad cædem & interitum faginatur. Aquilæ uerò, Accipitris, & Corui interdictio ostendit eos non esse imitandos, qui labore & uirtute nec sciunt, nec uolunt sibi parare uictum; sed rapina uiuunt, & iniquitate. Aquila enim rapinam, Accipiter iniustitiam, Coruus auaritiam significant.

AGVR Iudæus, filius Iake, hortatu amicorum suorum Ithiel, & Vchal edidit prophetiam quandam paraneticam De duobus à Deo expetendis, De quatuor generibus hominum pessimorum, De quatuor difficilibus, De quatuor minimis animantibus eximia sapientia præditis, De quatuor animalibus bene incedentibus: quorum summa trigesimo Prouerbiorum capite refertur. Aben Ezra putat hunc Agurem fuisse uirum quandam integræ uitæ, & magnæ sapientia; cuius dicta & sententias Salomon transtulit in librum Prouerbiorum suorum. Kubenaki commentarius hebræorum existimat hunc fuisse Salomonem ipsum. אגור Agur enim sonat Congregatorem. Salomon autem congregauit uerba Sapientia, & deprompsit ea. id quod יקה Iake significat. dixitq; eam prophetiam propter איתאל Ithiel, id est Vxorres, quas plurimas habuit. אכל Vchal autem significat Potero. præsumpsit enim multa Salomon, & potuit. Atque huic sententia fauere uidetur nostra uulgata editio, quæ pro eo, qd in hebræo legitur אגור בן יקה המשא נאם הגבר ל איתאל ואלו דיברי אגור ben Iake amasa neû agheuer le Ithiel le Ithiel ue Vchal, hoc est Verb Agur, filij Iake, prophetia, qua dixit uir ille Ithieli, Ithieli, inquam, & Vchal, sic transtulit: Verba congregantis filij uomentis, uiso, quæ locutus est uir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait. Et hanc sententiam Hieronymus, seu potius Beda in commentarijs Prouerbiorum sequitur. Tyranus addit quosdam esse inter Iudæos, qui putant hanc esse prophetiam Salomonis penitentis, postquam resipuit ab errore, in quem iam senex amore concubinarum suarum prolapsus est. quorum opinioniones idem Tyranus multis confutat argumentis.

ALEXANDER, Macedonum rex, cognominè Magnus, cuius gesta in principio libri Maccabæorum breuissimè perstringuntur, non minus accuratam, quam gratam in scribendis ad amicos epistolis dedit operam. in quibus tamen, ut Plutarchus in Phocione scribit, post deuictum à se Darium, & susceptum Magni cognomen, nulli mortalium Salutem dixit, præterquam Phocioni Atheniensi, & Antipatro Macedoni: quos duos honoris causa initio literarum saluere iubebat. Plutarchus in Alexandro infrascriptas Alexandri Epistolas recenset. AD ANTIPATRVM, Macedonem de rebus à se in Asia & India gestis epistolas plurimas; quibus, ueluti commentarijs, usi sunt Alexandria historia scriptores. AD DARIVM, Persarum regem, quem ad se blandè inuitabat, epistolas duas. AD PHOCIONEM, donâ suâ recusantem, lamentatoriam epistolam. AD PHILOXENVM, classis suæ præfectum, præpostera libidinis studiosum, obiurgatoriam epistolam. AD LEONIDAM, pædagogum suum, epistolam.

K 3 A D

Aenigma
Scythicum.

Mercurij
Trismegisti
libri de sa-
pientia Aegy-
ptiorum.

Leuit. II. a

Animalia q;
d. m. cur Iu
à Mose pr
bita.

Prouerb. 3

Prouerb. 30.

Macc. I. a

AD OLIMPIADEM, matrem suam, de occultis Hammonis oraculis & uaticinijs epistolam.

AD ATHENIENSES epistolam unam.

AD PEUCESTEM epistolam unam.

AD EPHESTIONEM epistolam unam.

AD MEGABYZVM, ne cui ad sacras ædes confugienti uim afferret, epistolam.

AD ATTALVM, & Alcetam de coniuratione Hermolai epistolam.

AD ALEXIPPVM medicum eucharisticam epistolam.

AD PAVSANIAM medicum epistolam unam.

AD ARISTOTELEM, præceptorem suum, de libris Metaphysices, ab ipso euulgatis, epistolam; cuius hoc extat exemplum.

ALEXANDER ARISTOTELI FELICITATEM.

HAUD abs te rectè factum est, quòd speculatiuas edidisti disciplinas. qua enim in re cæteris iam nos præcellemus; si ea, quibus erudiri sumus, studia omnibus cœperint esse communia? mallet enim singulari disciplina, quàm potestate, præstare. Vale.

HANC gloriæ cupiditatem ita consolatus est Aristoteles, ut libros excusaret perinde editos, ac si non essent editi. Cyprianus in tractatu de idolorum uanitate refert Alexandrum ad matrem suam scripsisse insigne uolumen; quo significabat sibi à sacerdote quopiam reuelatum, quemadmodum dii gentium homines fuerint. Augustinus libro 8. & 12. de ciuitate Dei meminit epistolæ Alexandri ad Olympiadem: in qua narratio recitatur cuiusdam Aegyptiorum sacrorum antistitis; qui inter cætera, quæ de occultis deorum mysterijs protulit ex arcanis Aegyptiorum literis, illud quoque de regnorum temporibus patefecit, uidelicet Assyriorum regnum præcedere Persarum regnum quinque millibus annis; Persarum uerò & Macedonum imperium usque ad Alexandrum, cui sacerdos loquebatur, constituisse per annos plusquam octo millia. Quam narrationem esse fabulosam & falsam non ex sacris literis tantum, sed ex gentium quoque historijs ibidem ostendit Augustinus. Moritur Alexander anno ætatis suæ trigésimo primo ante Christi autem ortum 323, die 28. mensis Iunij circa Solis occasum.

ALEXANDER Rex, Antiochi regis Syriæ filius, scripsit pro inuendo fœdere cum Iudæis ad Ionathan, Hierosolymitanum pontificem, epistolam unam; cuius exemplum habes 1. Maccab. 10.

ANDREAE Apostoli Acta, à Gelasio in dist. quintadecima reprobata, ut Innocentius in epistola decretali ad Exuperium scribit, Nexocharidas & Leonidas philosophi ementiti sunt. Philastrius in catalogo hæreseon cap. 48. HABENT, inquit, Manichæi apocrypha B. Andreae apostoli, id est actus, quos fecit ueniens de Ponto in Græciam; quos conscripserunt tunc discipuli, sequentes apostolum. Augustinus in libro de fide contra Manichæos narrat Leucium Manichæum Actiones quasdam Andreae literis mandasse, in quibus de Andrea apostolo, & Maximilla, uxore Egeæ, multa risu digna legerentur. quæ ibi, si ociosus sis, uidere poteris capite 38. Eusebius in 3. historiæ eccl. cap. 25. ANDREAE, inquit, & aliorum apostolorum Actus nusquam profus in scriptis ueterum, qui apostolis successerunt, aliqua mentio habetur: in quibus & ipse stylus multum ab ecclesiastica consuetudine deprehenditur esse diuersus: sensus quoque ipse, & omnia, quæ his inseruntur, longè ab apostolica dissonant fide. ex quo figmenta esse prauitatis hæreticæ comprobantur. unde nec inter illa quidem scripta, de quibus dubitari diximus, collocanda sunt; sed, ut aliena penitus, & à pietatis regula discrepantia, propellenda. Hæc Eusebius.

ANTIOCHVS, cognomento Epiphanes, id est illustris, uel nobilis, Syriæ & Asiæ rex octauus, postquam uiolato fœdere, quod cum Iudæis inierat, urbem sanctam diuitijs, & templum donarijs, & ornamentis omnibus expoliavit, libros in Iudæam misit, à se editos, De cultu Iudaico in græcam religionem transferendo; coegitq;

A coegitq; omnes Iudæos uiuere secundum præscriptas in eis leges: quarum præcipua capita, ex libris Maccabæorum, & Iosephi à nobis collecta, hæc erant.

I. IVDÆI OMNES, abiurato Dei sui cultu, Græcorum deinceps numina colant; &, abiectis patrum suorum legibus; institutisq; ad leges, ritus, moresq; Græcorum sese transferant. qui secus fecerint, ultimis maximisq; supplicijs afficiuntor.

Antiochi præcepta Iudæis tradita.

II. VOLVMINA Iudaicæ legis ubicunque reperta fuerint, unà cum his, apud quos ea inueniri contigerit, flammis exurantur.

III. TEMPLVM, quod in Hierosolymis est, Ioui Olympio dedicetur, & ipsius nomine appelletur. quod uerò in Garizitano Samariæ monte situm est templum, Iouis hospitalis dedicationem, & appellationem suscipiat.

2 Macc. 6.

IIII. HOLOCAVSTA, placationes, cæteraq; Iudæorum sacrificia, Sabbata quoque, & alia ipsorum siue menstrua, siue annua festa penitus abrogentur.

V. ARA in medio Hierosolymitani templi ponatur; &, Iouis Olympij simulacro super ipsam erecto, sacrificia porcina, à superstitione Iudaica alienissima, quotidie in ea offerantur.

VI. EXTRVCTIS oppidatim per omnem Iudæam templis, atque altaribus, Græcorum numinum statuas sustinentibus, suillæ in his uictimæ singulis diebus mactentur.

VII. SI QVI SEV uiri, seu fœminæ infantes suos circumcidere post hæc fuerint ausi, durissimis excruciatu tormentis, uiui adhuc, & spirantes crucibus suffigantur; liberiq; ipsorum strangulati, à parentum cernicibus suspendantur.

IDEM ANTIQCHVS cum ob iniuste afflictam Iudæorum gentem intolerabili morbo diuinitus cruciaretur, scripsit paulò ante mortem ad Iudæos supplicem epistolam; qua cum omni uerborum submissione eos deprecabatur, ut memores beneficiorum, quæ olim ab Asiæ regibus acceperant, Antiocho regi filio, ac successori suo inuoluntam fidem, & obedientiam seruarent. qua scripta, inter horribiles cruciatus, manantibus toto corpore uermibus, miserè perijt, anno ante Christum natum 162.

ANTIOCHVS Eupator, Antiochi Epiphanis filius, Syriæ & Asiæ rex nonus, scripsit epistolas duas, unam ad Lysiam, procuratorem ac præpositum negotiorum suorum; alteram ad senatum Iudæorum: quibus Dei cultum, templi usum, ac patriæ legis obseruantiam, à patre suo sublata, Iudæorum genti magnificè restituit, anno ante Christum natum 161. Vtriusque exemplum legitur libro secundo Maccabæorum, capite undecimo.

ANTIOCHVS Sedetes, tertius decimus Syriæ & Asiæ rex, qui à Demetrio fratre adoptatus in filium, ei successit in regnum, scripsit ad Simonem sacerdotem magnum, & ad senatum Iudæorum epistolam unam, petens in ea, ut liceret sibi exercitum aduersus hostes suos per regiones Iudæorum sine ullo maleficio deducere; anno ante Christum natum 137.

APOSTOLORVM duodecim scripta uaria tam recepta, quàm reiecta citantur apud ueteres autores; ex quibus, quæ nunc memoriæ nostræ occurrunt, hæc sunt,

APOSTOLORVM epistola, ex concilio Hierosolymitano tertio scripta ad fratres Antiochiæ Syriæ & Ciliæ, habetur apud Lucam actuum cap. 15. Vide infra literam C. sub dictione Concilium.

APOSTOLORVM Canones quinquaginta, à Clemente conscriptos, quorum primus est, EPISCOPVS à duobus, aut tribus episcopis ordinetur, Leo Papa nonus contra epistolam Nicetæ Abbatis recipit inter scripta orthodoxæ fidei; Iudorus uerò in præfatione Conciliorum inter apocrypha reiecit. Vide infra in Clemente.

APOSTOLORVM Canones sexaginta approbat Zepherinus Papa in prima sua epistola his uerbis: SEXAGINTA sententias apostoli præscripserunt cum aliis quamplurimis episcopis, quas seruandas esse censuerunt.

APOSTOLORVM Canones octoginta quinque confirmat & ratos esse uult concilium tertium Constantinopolitanum, quod Sexta synodus appellatur, capite secundo.

APOSTOLORVM Constitutiones & traditiones scripto proditas crebrò allegat Epiphanius,

nius, præsertim in tertio libro Panarij; ubi particulatim ipse tres canones recitat, A
 primum de Paschate non celebrando in quartadecima Luna; secundum, quo sub
 anathematis pœna interdicitur Ieiunium diei Dominicæ; tertium, quo uerantur
 Sacerdotes refecare barbam. Vide in Audianis & Masilianis.

APOSTOLORVM SYMBOLVM, quod Erasmus in præfatione Paraphrasis
 in Matthæum apertissimè dicit se ignorare, num ab apostolis proditum sit, omnes
 orthodoxi patres affirmant ab ipsis apostolis conditum. inter ceteros autem Rufi-
 nus, Aquileia presbyter, in præfatione expositionis in Symbolum apostolorum, à se
 editæ, hac de re ira scribit: TRADUNT maiores nostri, quòd post ascensionem do-
 mini, cum per aduentum spiritus sancti supra singulos quosque apostolos ignea lin-
 guæ sedissent, ut loquelis diuersis loquerentur, præceptum eis hoc à domino datum,
 ad prædicandum Dei uerbum, ad singulas quenque proficisci nationes. Discessuri
 itaque ab inuicem normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, B
 ne fortè alii aliò adducti diuersum aliquid his, qui ad fidem Christi inuitabantur,
 exponerent. omnes igitur in uno positi, & spiritu sancto repleti breue istud futuræ
 sibi, ut diximus, prædicationis iudicium, in unum conferendo, quod sentiebat unuf-
 quisque, componunt: atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Sym-
 bolum autem hoc multis & iustissimis ex causis appellari uoluerunt. Hæc Rufinus.
 Sanctus uerò Augustinus in sermone secundo dominicæ Palmæ explicans, quam
 singuli quique apostoli partem Symboli contulerint, hunc in modum loquitur: QVOD
 græcè Symbolum dicitur, latinè Collatio nominatur. Collatio itaque dicitur, quia
 collata in unum totius catholicæ legis fides Symboli colligitur breuitate. cuius tex-
 tum uobis modò, Deo annuente, dicemus.

PETRVS dixit, Credo in Deum patrem omnipotentem.

IOANNES dixit, Creatorem cœli & terræ.

IACOBVS dixit, Credo & in Iesum Christum, filium eius, unicum dominum
 nostrum. C

ANDREAS dixit, Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine.

PHILIPPVS ait, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

THOMAS ait, Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis.

BARPTOLEMAEVVS, Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipo-
 tentis.

MATTHÆVS dixit, Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos.

IACOBVS Alphæi, Credo & in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catho-
 licam.

SIMON Zelotes dixit, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.

IUDAS Iacobi dixit, Carnis resurrectionem.

MATTHIAS compleuit, Vitam æternam, Amen.

APOSTOLICARVM Constitutionum libros octo, græcè scriptos, nuper inuenit in
 Creta Carolus Capellius Venetus, & ipsorum græcam epitomen latinè uertit; quæ D
 primo tomo conciliorum inserta est. totos autem ac integros libros transtulit Ioan-
 nes, Ostuniensis episcopus, uir pietate atque eruditione insignis.

APOSTOLORVM Canones quosdam ab hæreticis editos reprobat Gelasius in De-
 cretis distinct, quintadecima, & Isidorus in decr. dist. sextadecima.

APOSTOLORVM Actiones quasdam scripsisse Clementem testatur canon octo-
 gesimus quartus, qui sub nomine Clementis in principio primi tomi conciliorum
 habetur.

APOSTOLORVM Actus iuxta Ebionem errore & impietate refertos recenset Epi-
 phanius inter scripta Ebionitarum lib. 1. aduersus hæreses.

APOSTOLORVM Actus, à Leucio Manichæo excogitatos, refellit Augustinus in
 libro de fide contra Manichæos.

APOSTOLORVM Actus sub nomine Lucæ confixit fabulis plenos presbyter qui-
 dam Asianus, Pauli studiosus; quem de fraude conuictum Hieronymus in libro de
 uiris illustribus refert. Vide infra in Paulo.

APOSTO-

A APOSTOLORVM Doctrina reiicitur ab Athanasio in Synopsi, & ab Eusebio in 3. hi-
 storia eccles. cap. 25.

APOSTOLORVM Euangelium, siue euangelium, quod inscribitur iuxta duodecim
 apostolos, Origenes hom. 1. in Lucam enumerat inter Apocrypha. Hieronymus li-
 bro. 3. aduersus Pelagianos indicat euangelium secundum apostolos idem esse, quod
 Nazaræorum, siue Hebræorum euangelium.

APOSTOLORVM Itinerarium repudiatur in quinta Actione secundi concilij Nicæni.

APOSTOLORVM Memoria opus fuit Priscillianistis hæreticis admodum familiare;
 cuius meminit Orosius in epistola ad Augustinum de erroribus Priscillianistarum.

APOSTOLORVM Sortes reprobantur in Decretis distin. quintadecima, & causa ui-
 gesima sexta, quæst. septima, capite, NON OBSERVETIS.

APOSTOLORVM Scripta à Diocinnio hæretico eumentia, damnantur in concilio Bra-
 carensi, canone decimo septimo.

B APOSTOLORVM duodecim Vita. has, ut referunt Iacobus, archiepiscopus Genuen-
 sis in libro annuarum solemnitarum, & Petrus episcopus Equilinus libro nono catalo-
 gi Sanctorum, hebraicè scripsit Abdias primus Babylonis episcopus, ab ipsis aposto-
 lis ordinatus; quas Eutropius, Abdias discipulus, transtulit ex hebræo in græcum, &
 Iulius Africanus in Latinum: uerum, ut opinor, Iulius non latinè, sed græcè scrip-
 psit. Nuper ex Germania sub titulo huius Abdias prodire libri decem de historia
 certaminis apostolici, Oporini typis excusi; quos, ut fide indignos, Paulus papa quar-
 tus inter scripta à se damnata reiecit.

APOSTOLI Magni Reuelationes. de hoc opere Gaius, Origenis discipulus, in dia-
 logo disputationum suarum ita scribit: CERINTHVS per reuelationes quasdam,
 quas uelut ab Apostolo Magno conscriptas, & per angelos ei reuelatas putaret, talia
 quedam portenta nobis inducit; Post resurrectionem terrenum futurum esse regnum
 Christi in Hierusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis & uitis subiectam
 conuersationem habituros. contra fidem quoque scripturarum quosdam mille annos
 designat; in quibus multa quidem & alia corruptionis opera, & nuptiarum festiui-
 tates dicit futuras, ad eos, qui libidini sunt dediti, decipiendos.

C APOSTOLICVS Liber uolumen est à Marcione hæretico ex testimoniis epistolarum
 Pauli adulteratis mutilatisque collectum. cuius exemplar ab Epiphano inferitur in
 libro primo aduersus hæreses in confutatione Marcionis. Epiphanius & Theodoretus
 memoriæ prodiderunt Manem, siue Manichæum Persen, qui se paracletum esse di-
 xit, duodecim sibi assumpsisse discipulos, quos apostolos nuncupauit, singulis unum
 ex apostolorum Christi nominibus imponens: hi cum multa doctrinæ suæ uolumina
 præfixis ipsorum nominibus inuulgassent; facile obtinuerunt, ut ipsorum scripta san-
 ctorum apostolorum esse crederentur.

D ARAE Atheniensis inscriptio. fuit olim Athenis Ara quædam cum inscriptio-
 ne, ut Oecumenius refert, huiusmodi, Θεῶν Ἀσίας, καὶ Ἐυρώπης, καὶ Λιβύης, καὶ
 ἀγνώστου, καὶ ξένου. id est, *Dijs Asia, & Europa, & Libya, Deo ignoto, & peregrino.*
 Ex hac Paulus apostolus cum ad Athenienses in Martis curia pro concione locuturus
 esset, argumentum orationis suæ artificiosissimè deduxit, his uerbis, ut Lucas. in
 actis apostolicis scribit, exorsus: VIRI Athenienses per omnia quasi supersticiosos
 uos uideo. præteriens enim, & uidens simulacra uestra, inueni & aram, in qua scri-
 ptum erat, IGNOTO DEO. quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio uobis.
 Deus, qui fecit mundū, & omnia, quæ in eo sunt, &c. Quibus uerbis Paulus co-
 lore & astu quodam maximè rhetorico ostendit se nihil aliud eis suadere, quàm ut
 facerent quod iam sponte faciebant: hoc est, ut colerent Deum, quem iam colebant,
 & in ara sub ignoti nomine prænotauerant. Duae autè causas refert Oecumenius, cur
 ea inscriptio haberet, ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕῶ, IGNOTO DEO: alteram, quod cum
 Athenienses nuncios misissent ad Lacedæmonios oratum, ut uenirent ipsis auxilio ad-
 uersus exercitum Persarum, Græciam inuadentem, spectrum Panis iuxta Parthe-
 nium nunciis apparuit, accusans Athenienses, quòd, se neglecto, alios deos cole-
 rent; & se pro sua erga eos beneuolentiâ auxilio futurum promisit. Cum itaque
 L uictoria

Act. 17. e

uictoria potiri essent Athenienses, templum illi erexerunt, aramque ædificauerunt: & A tanquam obseruantes, ne idem sanè, uel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum præfermitterent, aram illam erexerunt, inscribentes, IGNOTO DEO. ac si dicerent, si quis adhuc alius Deus est nobis ignotus, in eius honorem hanc aram erigimus, ut nobis propitius sit, licet, cum ignoretur, non colatur. Alteram uerò causam affert talem. Laborabant quondam grauisima peste Athenienses: & cum deorum omnium, quos ipsi colerent, opem multis uotis, precibus, ac sacrificiis implorassent; nihil adiuuenti senserunt. intelligentes igitur quendam fortassis esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui iratus pestem immitteret, nouam extruxerunt aram, eamque inscripserunt, IGNOTO DEO. quo facto, statim pestis cessauit. Hanc igitur inscriptionem Paulus, fortuito à se conspectam, torsit in argumentum euangelicæ prædicationis, usus artificio eius loci, quem rhetores locum à Fortuitis uocant; cum scilicet fortuitos quosdam euentus conuertunt in argumentum eorum, de quibus dicturi sunt, sicut de Leone Byzantio sophista scribit Philostratus in Sophistis: qui cum obeso ac præpingui, ut erat, corpore prodississet ad populum Atheniensem, suaturus concordiam, statimque populus, enormi crassitudine hominis inspecta, ridere cœpisset; ille nihil commotus, Ridetis? inquit: est mihi uxor me crassior. & cum ad hæc populus maiorem risum substulisset; protinus addidit, Et tamen unus lectulus nostales capit concordēs, discordes ne tota quidem domus. atque ita fortuitum risum uertit in argumentum suadendæ concordie.

facetum, & acutum dicitur. Leo- nis Byz.

A R A T V S, poeta eruditissimus, & Antigoni Macedonum regis medicus, ex Solis, urbe Ciliciæ, (quæ à Solone, Lindij filio, nomen accepit, & postea Pompeiopolis appellata est) ex Athenodoro, uel, ut quibusdam placet, Mnaseo patre, & Leonodora matre natus est; ac sub Dionysio Heracleote, Aristotero mathematico, & Persio poeta in urbe Athenarum liberalibus studiis indulgit. Fratres quoque habuit tres, Mirin, Calondam, & Athenodorū; qui primus Zoilo, qui contra Homeri C poësim scripsit, contradixisse dicitur. Ipse uerò inter uaria studiorum suorum opera librum edidit astronomicum *Φαινόμενα*, hoc est APPARENTIA prænotatum. in quo constitutionem totius sphaeræ cœlestis, imagines, figuras, ortus, & occasus omnium stellarum inerrantium heroicis uersibus elegantissimè cecinit. hunc in latinum sermone & hexametro carmine transtulerunt M. T. Cicero, Germanicus Cæsar, Octauii Augusti filius, Sex. Auienus Rufus, D. Hieronymo synchronos, ac plerique alii, quos enumerare longum esset. Ex hoc Paulus apostolus quemadmodum in 17. capite Actuum apostolicorum legitur, cum in Areopago, quæ est Atheniensium curia, concionaretur ad populum, testimonium sumpsit, quod omnes ex Deo sumus, inquit: IN IP SO uiuimus, mouemur, & sumus, sicut & quidam poetarum uetustorum dixerunt.

Τὸ γὰρ ἡ γένος ἐσμέν. id est, Ipsius & genus sumus.

QVOD quidem hemistichium in præfatione Phænomenon poeta de Ioue protulit, nam cum opus inchoasset ab eo uersu *Ἐνδρὸς ἀρχαίμεθα*, paulò post intulit, Ipsius & genus sumus. quod Paulus animaduertens Ioui peruersè, & omnino iniuste attribui, ipse Deo uero iustissimè restituit. Claruit Aratus tempore Ptolemæi Philadelphii, uixitque illustris in regia Antigoni, Demetrii filii; qui imperium Macedonum suscepit olympiade centesima quinta.

A R I S T O B V L V S, sacerdos & philosophus, genere Iudæus, ad quem extat epistola senatus Hierosolymitani, quæ in principio secundi libri Macchæorum legitur, scripsit ad Ptolemæum Philomatrem, discipulum suum, commentarios in Mosen eruditissimos, (quorum recordatur Eusebius in Chronicis) & librum ad eundem de membris Dei; ex quo testimonium profert Eusebius libro 8. præparationis euangelicæ. Vide hoc ipsum latius libro quarto in dictione, Aristobulus Iunior.

ASSVE-

- A** S S V E R V S, quem græci Artaxerxên; Iosephus Cyrum; Xerxis filium, tradit, uaria scripsit; de quibus in sacris uoluminibus citantur DIVINARVM ACTIONVM commentarij. Esther 12. AD PRÆFECTOS centum uiginti septem prouinciarum imperij sui de extinguenda penitus Iudæorum gente epistola una. Esther 8. & 13. Iosephus libro 11. Antiq. capite sexto. AD EOSDEM pro salute, & securitate totius Iudaicæ nationis epistola altera, prioris reuocatoria. primo Esdræ 8. & 16. Iosephus ibidem.

B



- B** A L A A M, filius Beor, ex regione Ammonitide, professione diuinator & hariolus, cuius uaticinia Moses in libro Numerorum conscripsit, libros diuinationum suarum creditur posteris suis reliquisse. de quibus Origenes homilia decima tertia in Numeros ita scribit: SI A MOYSE prophetiæ Balaam sacris insertæ sunt uoluminibus; quanto magis descriptæ sunt ab his, qui habitabant tunc Mesopotamiam; apud quos magnificus habebatur Balaam, quosque artis eius constat fuisse discipulos? Ex illo denique fertur Magorum genus, & institutio in partibus Orientis uigere: qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Hæc scripta habebant magi apud semet ipsos: & ideo, quando natus est Iesus, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipsi, quam populus Israel; qui sanctorum prophetarum audire uerba contempsit. illi ergo ex his tantum, quæ Balaam scripta reliquerant, agnoscentes adesse tempus, uenerunt; & requirentes eum statim adorauerunt. Autor operis imperfecti in Matthæum, cap. 2. Origeni subscribens, LEGI, inquit, apud aliquem Magos istos ex libris Balaam diuinatoris apparituræ huius stellæ scientiam accepisse; cuius diuinitio posita est in ueteri testamento, ORIETUR STELLA EX IACOB, ET EXURGET HOMO EX ISRAEL, ET DOMINABITUR OMNIUM GENTIUM.
- B** A L A A M Doctrina citatur in secundo capite Apocalypsis: hæc, ut quidam falso existimant, non est scriptura quædam occulta, sed consilium improbum, quo ipse admonuit regem Balac; ut, si uellet Iudæorum gentem perdere, pertraheret filios Israel ad scortationem, & idolorum cultum, mittens ad eos formosissimas mulieres, quæ eos ad libidinem inescarent, & accenderent; atque hoc pacto inescatos ad ritus gentiles inducerent. Vide hæc historiam Numeri cap. 24. *Num. 22.*
- B** A R N A B A S Cyprius (qui & Ioseph Leuites de septuaginta duobus discipulis domini, cum Paulo gentium apostolus ordinatus, & postea propter Ioannem discipulum, qui & Marcus uocabatur, à Paulo separatus) euangelicæ prædicationis iniunctum sibi opus usque ad septimum Neronis annum exercuit; in quo à Cyprii suis martyrio coronatus occubuit. Clemens, Romanus pontifex, in primo Recognitionum libro scribit, eum in Italiam uenisse, & Dorotheus, Tyri episcopus, in Synopsi testatur eam Mediolanensis urbis primum fuisse episcopum. Hic unam ad ædificationem ecclesiæ pertinentem scripsit epistolam; ex qua in Stromatibus Clementis Alexandrini hæc fragmenta, siue testimonia passim dispersa reperi.

Epistola, quæ Barnabæ tribuitur, fragmenta.

SIMPLICIUS uobis scribo, ut intelligatis. Deus, qui est uniuersi mundi dominus, det etiam nobis sapientiam, & intelligentiam, scientiam, cognitionem iustificationum eius, & tolerantiam. Antè, quam nos Deo crederemus, erat nostri cordis habitaculum, interitui obnoxium & imbecillum, uerè templum manu ædifi-

L 2 catum,

catū, quia erat quidem plenum cultu idolorum, & erat domus dæmonū, quod faceret, quæcunq; Deo sunt contraria. attendite, ut templum domini gloriosè ædificetur: discite uos accepisse remissionem peccatorum, & sperasse in nomen. quare in nostro habitaculo Deus inhabitat, in nobis est uerbum fidei, uocatio eius promissionis, sapientia iustificationum, & mandata doctrinæ. Cum fide ergo uestra perfectam etiam habeatis cognitionem. fidei coadiutores sint timor, & tolerantia. quæ autem opem ferunt his, sunt longanimitas, continentia; quibus castè manentibus unà cum eis latatur sapientia, scientia, intelligentia, cognitio.

HAEC EX CLEMENTE; cuius discipulus Origenes in tertio periarchon libro sic scribit: BARNABAS in epistola sua declarat duas esse uias, unam lucis, alteram tenebrarum; quibus & præesse dicit certos quosque angelos; uia quidem lucis angelos Dei, tenebrarum autem uia angelos Sathanæ. Hæc de Barnabæ epistola, præterquam Tertullianus etiam eam, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos inscribitur, existimat ab ipso fuisse compositam. Translulit quoque ex Hebræo in græcum Matthæi euangelium; de quo Theodorus lector collectaneorum libro secundo in hunc modum meminit: RELIQUIAE Barnabæ apostoli inuenta sunt in Cypro sub arbore ceratea, habentes sub pectore euangelium Matthæi, manu ipsius Barnabæ scriptum. qua occasione Cyprij uictores euaserunt, ut metropolis ipsorum liberum habeat episcopatum, nec Antiocheni episcopi iurisdictioni subdatur. euangelium autem illud Zenon Augustus in palatio suo reseruauit. Est & aliud sub nomine Barnabæ euangelium, quod à Gelasio distinct. quintadecima inter Apocrypha computatur.

BARPTOLEMAEVS Apostolus, qui Matthæi euangelium, hebraicis scriptū literis, Indis, qui Fortunati dicuntur, tradidit, putatur scripsisse euangelium; & ex eo Dionysium Areopagitam in principio mysticæ theologiæ testimonium protulisse his uerbis: SI IGITUR diuinus Barptolemaeus ait & multam theologiam esse, & minimam, & euangelium latum, & magnum, & iterum angustum: mihi quidem uidetur supernaturaliter intelligens: quia & multiloqua est optima omnium causa, & breuiloqua simul, & sine uerbo. Gelasius distinct. quintadecima unà cum cæteris apocryphis scriptis hoc euangelium cauendum decernit.

BELLORVM domini liber, hebraicè ספר מלחמת יהוה Sepher Milchamoth Ieoua appellatus, citatur in libro Numer. cap. 21. profertq; ex eo Moyses testimonium ad demonstrandum, quæ gerenda fuerant in torrentibus Arnon in finibus Moabitarū, his uerbis: VNDE dicitur in libro Bellorum domini, Sicut fecit in mari rubro, sic fecit in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum. Hunc librum Rabbi Menachem dicit fuisse narrationem Dei, quæ reuelata erat Moyse, cui manifestauerat se eadem facturum in torrentibus, quæ olim fecerat ad mare rubrum. Auen Ezra putat esse librum Iudicum, quia in eo multa bella aduersus Amorrhæos confecta legantur. Sunt etiam qui inter Iudæos existimant hunc esse id ipsum librum Numerorum, quia ספר sepher, quod noster interpretes translulit librum, etiam Numerationem significat, sicut Lyranus ait appellatum; quia in eo narrentur bella, à domino per manus Hebræorum gesta. Augustinus, Chisamensis episcopus, censet librum Bellorum domini non esse uolumen aliquod, in quo bella conscripta sint, sed narrationem quandam, quæ tum apud hebræos communi omnium ore, ac uoce narrabatur. quia quod Hieronymus uertit librum, hebraicè ספר sepher dicitur. quod non tam librum significat, quam narrationem, & connumerationem, à uerbo ספר siper, id est narrauit, numerauit. & uerbum illud, Dicitur, quod apud nos ponitur in præsentem, apud hebræos ponitur in futuro יאמר ieamar, id est Dicitur, indicat Moysem loqui non de re iam conscripta, sed de re in posterum narranda. ita ut sensus uerborum eius sit, Vnde dicitur in libro Bellorum domini, hoc est, cum bella Dei recensentur à posteris, hoc quoque dicitur, quod sicut fecit Deus in mari rubro, ita fecit in torrentibus Arnon. Verum diuus Augustinus in libro decimo octauo de ciuitate Dei dicit non esse negandum hunc librum cum plerisque alijs etiam ante tempora Moysis fuisse conscriptum.

BVXEVVS

BUXEVVS LIBER, siue Scriptura in buxea tabula exarata commemoratur ab ipsomet Deo; qui apud Esaïam capite trigesimo, prophetæ sic precipit: SCRIBE eis super buxum, & in libro diligenter exara illud; & erit in die nouissimo in testimonium usq; in æternum. In quibus uerbis pro eo, quod in hebræo est על לוח אבן al luth itam; septuaginta interp. translulerunt ἐπι πύξιδος, id est In buxo; Symmachus ἐπι πύξιδος, hoc est Super latissima tabula; Pagninus In tabula cum eis; quidam uerò In tabulis eorum. & hi existimant his uerbis neque tabulas buxneas, neque alterius ligni significari, sed per periphrasim & idiotismum hebraicæ linguæ hunc sacrum prophetiarum Esaïæ librum circumscribi. Hieronymus tamen credit Deum præcepisse prophetæ, ut scriberet in tabulis, & his potissimum buxeis, quod buxus arbor sit perpetua coma uirens: cuius lignum ob firmissimam soliditatem penè sit impitribile, multisq; sæculis permanens: ut in his sempiterno tempore extarent diuinæ prædictiones, quibus Deus perpetuum & irreparabile excidium comminabatur ingratis & incredulis Iudæis, qui bene monentes prophetas audire nolebant, & ipsorum uaticinia contemnebant. noluit enim Deus eas æterno tempore scriptas permanere, ut postquam expletæ essent, Iudæi suo magno malo sentirent tandem ea uera fuisse oracula, quæ ipse in tabulis, seu codicibus prophetarum suorum scribi mandauerat. Nec te lateat hoc præceptum de tabulis conscribendis à diuersis expositoribus diuersis modis exponi. alij hoc existimant Esaïæ prophetæ, ingredienti ad populum suum, à Deo fuisse mandatum. alij, & hebræi potissimum, arbitrantur hoc esse Dei præceptum ad Ieremiam, ut cum ingressus fuerit Aegyptum cum cæteris concaptiuis, hæc scribat. & ne cui absurdum uideatur Deum loqui ad Ieremiam, qui nondum natus erat, aiunt ante Deum, qui uocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, & ante quem omnia iuncta sunt tempora, etiam Ieremiam, cum nondum esset, fuisse præsentem. Sed, ut cunque id sit, non magni refert, cum unus idemque sit mandati spiritus ac sensus, ad utrumuis horum prophetarum accommodatus.

C



CALCVLVS, siue Lapillus candidus, nouo nomine inscriptus: de hoc Iesus Christus, Dei filius, in secundo capite Apocalypsis, VINCENTI, inquit, dabo calculum candidum; & in calculo nomen nouum scriptū; quod nemo scit, nisi qui accipit. quæ uerba exponens Arethas, Casariensis episcopus, in commentarijs Apocalypsis sic scribit: VINCENTI autem diabolum pollicetur Deus calculum candidum; hoc est, mercedem, honore & fama fulgentem. Posuit autem hoc lapillum calculum candidum, quod is notus esset his, qui in theatris, ac stadiis certabant, & uincens tradebatur. Nomen uerò nouum æternæ beatitudinis præmium est; quod in præsentem uitam ignoratur. siquidem ea bona, quæ præparauit Deus diligentibus se, oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. noua autem sunt nobis, cum ad eorum possessionem post hanc uitam ingredimur. Hæc Arethas. Constat etiam apud ueteres Ethnicos uictoriarum dies, publicis fastorum tabulis insculptos, consueuisse candido lapillo prænotari, quod clarius à cæteris diebus discernerentur. ad quem morem alludens Zoenzonius, poeta Christianus, triumphalem seruatoris nostri diem hoc hendecasyllabo cecinit:

O diem festum populis, diemq;
Candidum, qui nos rediens beatos
Reddis, hunc signa niueo quotannis
Musa lapillo.

CALLIMACHVS Cyrenæus, inter græcos poetas nobilis, qui apud Ptolemæum Philadelphum usque ad Euergeten uixit, omne poematis genus attigit. in aduersarium poema acerbissimum scripsit; quem ficto nomine IBIN appellauit.

L 3 unde

unde Ouidius poeta nomen, & argumentum operis in Ibin mutuatus est. edidit elegias, epigrammata, & hymnos in deos. laudes Iouis decantans, Cretenses accusat, & tanquam uanos & mendaces, redarguit, quod Iouis, qui Deus immortalis est, sepulcrum apud se esse iactent. Horum uersuum sententiam, ut testis est Origenes, Paulus aduersus Cretenses in epistola ad Titum detorsit. Vide infra in Epimenide.

C A M B Y S E S, quem Esdras Assuerum & Artaxerxem nominat, Cyri Persarum regis filius, scripsit ad Rheum Beeltheem, & ceteros Samariae praefectos epistolam, qua iubebat ædificationem Iudaici templi omnino impediri. Vide librum primum Esdrae capite quarto.

C H A L D A E O R V M Sapiencia, hebraicè חכמת כשדים Chochemath Chasceddim, quæ & Aramæa, & Assyria, & Syriaca, & Babylonica dicitur, in hac Daniel propheta se unâ cū tribus pueris sodalibus suis fuisse apud Babylonios eruditū scribit his uerbis: **ET** PRAECEPIT rex ipsi Asphanez, ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & crudibiles in omni sapientia, & dociles in omni disciplina, ut doceret eos literas, & linguam Chaldaeorum. & post pauca addit, PVERIS autem his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia: & omne uerbum sapientiae, & intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplum super cunctos hariolos & magos, qui erant in uniuerso regno suo. Hæc Daniel; qui in eodem uolumine testatur fuisse tunc apud Babylonios plures sapientum diuersitates, easq; omnes à regibus Nabuchodonosore, & Balthassare ad interpretationem somniorum difficultium accipere refert, dicens: PRAECEPIT ergo rex Nabuchodonosor, ut conuocarentur harioli, magi, malefici, & Chaldaei, ut indicarent regi somnia sua. & infra, Tunc ingrediebantur ad regē Nabuchodonosor harioli, magi, Chaldaei, & haruspices: & capite quinto, EXCLAMAVIT itaque rex Balthassar fortiter, ut introducerent magos, Chaldaeos, & haruspices. Ex quibus uerbis apparet sapientiam Assyriorū, siue Chaldaeorum eo tempore fuisse distinctam in quinque ordines sapientum; quorum nomina in libro Danielis Chaldaicè conscripta hæc sunt, כשדים Chasceddim, id est Chaldaei; אשפים Asaphim, id est Magi; חרטמים Chartummim, hoc est Harioli; מכשפים Mecasphim, hoc est Malefici; גזרים Gazarim, id est Augures, siue Haruspices. De quibus ea, quæ apud uarios scriptores legi, hic annectenda putauimus.

CHASCEDDIM, id est Chaldaeorū nomen, (sub cuius interdum appellatione uel omnes, uel singulae Babyloniorum sapientum sectæ designantur) propriè & apud Danielelem particulariter, ut inquit Hieronymus, significat genus hominum, quos uulgus Mathematicos & Genethliacos appellat. hos Plinius ait initium habuisse à Belo Ioue, Nini Assyriorum regis patre, primo fideralis scientiæ inuentore. hi cælorum motus diligentissimè spectarunt; & circa astronomiæ rationes, & prædictiones, quæ ex astrorum obseruatione fiunt, occupabantur. horum Philo in libro de Abraham meminit in hunc modum: **CHALDAEI**, cum primis exercitati fiderali scientia, omnia tribuebant stellarum motibus; à quibus credebant dispensari mundi potentias, quæ constant ex numeris, earumq; proportionibus. Venerabantur isti res uisibiles, non percipientes inuisibilia & intelligibilia, scrutantes illatum tantum ordinem: atque ita è Solis, Lunæ, stellarum erraticarum, fixarumq; circuitibus, & anni in quatuor tempora distincti uicibus, consensuq; rerum cælestium, ac terrestrium mundum ipsum existimabant esse Deum, profana opinione creaturam facientes creatori similem. Hæc Philo de Chaldaeis; quos Hieronymus in epistola ad Hebræos ait asseruisse materiam uisibilis huius mundi sempiternam esse, & à nullo productam.

ASAPHIM, qui à uetusto latinæ editionis interprete Philosophi, à LXX. interpretibus Μαγιστῶν, & à Hieronymo similiter Magi appellantur, de omnium tam diuinarum, quam humanarum rerum causis philosophati sunt. Horum autorem Origenes fuisse putat Balaamum, filium Beor, quem Balac, rex Moab, accersit, ut diris & imprecationibus suis hebræorum populum execraretur, cuius etiam uaticiniorum scripturis post multa sæcula admoniti Magi, ex oriente in Iudæam profecti sunt Christum adoraturi. Diogenes Laertius in primo De philosophis libro scribit Zo-

roastrem

A roastrem Persen fuisse Magorum principem; Magos uero utpote sacerdotes deorum uacasse cultui; & preces illis, uotaque, & sacrificia, quasi foli ab iis exaudirentur, offerre solitos. Erat his uestis candida, lectus humus, esca olus, caseus, & panis. arundine pro baculo utebantur; cuius in summitate præfixum caseum ori applicantes edebant. Dogmata uero, & ipsorum placita hæc erant; in primis Vnum esse Deum primum omnium & sempiternum. hoc autem docuisse Zoroastrem Eusebius libro primo euangelicæ præparationis assererat his uerbis: **ZOROASTRES** Magus in libro sacro, in quo res Persicas collegit, hæc ad uerbum scribit; **DEVS** incorruptibilium primus est, sempiternus, ingenitus, expertus partium, sibi ipsi similis, honorum omnium auriga, munera non expectans, optimus, prudentissimus, pater iuris, sine doctrina iustitiam perdoctus, natura perfectus, sapiens, sacra natura unicus inuentor. Hæc Eusebius. Posuerunt quoque & alios deos secundos, siue genios; quorum substantiam uel igneam, uel aqueam, uel terream dixerunt. Signa & statuas deorum reprehendebant; atque eorum errorem, qui mares ac feminas dicunt esse deos, improbabant. Animas esse post hanc uitam immortales, & omnia, quæ hinc sunt, illorum precationibus durare dicebant; & homines iterum resurrecturos; atque iniquum & impium defunctorum hominum corpora flammis exurere. De iustitia etiam, cæterisque uirtutibus multa disseruerunt. Auri, & argenti usum interdixerunt. Philo in libro De specialibus legibus sic de Magorum sapientia loquitur: **VERAM** quidem illam Magiam, hoc est speculatiuam scientiam, per quam naturæ opera cernuntur clarius, ut honestam expetendamque non plebei solum sectantur, sed etiam reges regum maximi, præsertim Persici, tam curiosi harum artium, ut regnare non liceat, nisi cum magis uersato familiariter. Cui subscribens Hieronymus in interpretatione huius loci inquit: **MAGI** sunt, qui de singulis philosophantur. Consuetudo autem communis Magos pro maleficis accipit; qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldaeorum: & ad artis huius scientiam reges quoque & principes eiusdem gentis omnia faciunt. unde & ipsi primum in natiuitate domini saluatoris primi ortum intellexerunt, & uenientes in Bethlehem adorauerunt.

CHARTUMMIM, qui à LXX. interpretibus ἑπαιδοί, hoc est Incantatores, & à Hieronymo Harioli nuncupantur, dæmonum excantationibus dediti, originem duxerunt, ut Plinius, Iustinus, & Augustinus tradunt, à Zoroastre, altero Bactrianorum rege, & Mago, primo ueræ Magiæ corruptore; qui solus inter omnes mortales eadem, qua natus est, die risit; eique cerebrum ita palpauit, ut impositam repelleret manum, præfagio uidelicet futuræ insanæ, qua admirabilem illam Magorum sapientiam, à maioribus suis acceptam, primus ad incantationum deliramenta deduxit. unde & iusto Dei iudicio à Nino, Assyriorum rege, bello uictus est, & regno expulsus. Qui igitur illum secuti sunt, duo, ut refert Laertius, posuerunt principia, unum bonum, alterum malum. numen bonum Deum esse cæli, à quo omnia bona proficiscerentur; malum uero inferorum deum, unde omnia mala arbitrati sunt. quod postea dogma primi inter Christianos Manichæi inuulgarunt. Aëra dixerunt plenum esse dæmonibus, qui tenuiter, & ueluti euaporationes quædam ipsis apparent: diuinationes, & prædictiones ex dæmonum colloquiis profitebantur: iustum, matri ac filia misceri, putabant.

MECASPHIM, qui à LXX. interpretibus Φαρμακοί, hoc est Venefici appellantur, Maleficos uocat Hieronymus: putatque eos esse, qui sanguine utuntur & uictimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum, & ex his diuinant.

GAZARIM, quod LXX. interpretes uerterunt Γαζαρῖνός, id est Gazarenos, Hieronymus Haruspices, sunt qui intestinis hostiarum inspectis diuinant. Alij per Gazarim Augures intelligunt, nimirum eos, qui aut ex uolatu & ex cantu, aut ex pastu auium futura prædicunt.

HÆ IGITUR erant sub rege Nabuchodonosore Babylonice Sapientiae partes, ac species: in quibus & si propheta Daniel à Babylonicis præceptoribus fuit plenissimè instructus, sicut & olim Moses in omni Aegyptiorum sapientia fuerat eruditus; tamen,

ramen, ut Iustinus Martyr in libro questionum à gentibus obiectarum rectè admo-
net, neque his unquam usus est, neque approbavit unquam; sed quatuor potissi-
mum huius sapientiæ partes exhorruit, ut contrarias legibus Dei sui; pro quo non
dubitavit leonibus semel atque iterum obiici. Fuit & aliud apud Chaldaeos diui-
nitas infusa sapientia, cuius munere Sibylla Cumæa, Berosi sacerdotis Babylonij
filia, multa prophetica oracula de futuris temporum euentibus, & de Christo ser-
uatore nostro potissimum edidit. de qua habes infra in dictione Sibylla.

CHAM, filij Nohe, Scriptura est opus impietatis prodigiosæ atque maleficæ,
continens elementa ac praxim artis necromanticæ. Meminit huius uoluminis
Ciccus Afculanus in commentarijs, quos edidit in Sphæram. quod sine ullo dubio
ab iniquissimis hominibus confictum est, & ab iisdem inscriptum & euulgatum sub ti-
tulo Scripturæ Cham, sumpta occasione ex his, quæ Serenus Abbas de magicis arti-
bus, à Cham inuentis & scriptis, refert apud Ioannem Casianum in octaua Collatione
cap. uigesimo primo his uerbis: **SCIENTIAM** omnium naturarum per successiones
generationum semen Seth ex paterna usque ab ipso Adam traditione suscipiens, do-
nec diuisum à sacrilega propagine Cham perdurauit, quemadmodum sanctè perce-
perat, ita etiam uel ad Dei cultum, uel ad utilitatem uitæ communis exercuit. cum
uerò fuisset impiæ generationi permittum, ad res prophanas ac noxias, quæ piè di-
dicerat, instinctu quidem dæmonum deriuauit; curiosasque ex ea maleficiorum ar-
tes, atque præstigias, ac magicas superstitiones audacter instituit, docens posteros
suos, ut, sacra illa cultura diuini nominis derelicta, uel elementa hæc, uel ignem,
uel aereos dæmones uenerarentur, & colerent. Hæc igitur curiosarum rerum noti-
tia, quomodo diluuiio non perierit, ac superuenientibus sæculis innotuerit, per-
stringendum breuiter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferunt, Cham,
filius Nohe, qui superstitionibus istis, & sacrilegis fuit artibus infectus, sciens nullum
se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in qua erat unà cum
patre iusto, ac sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes, ac prophana comenta
diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum non corrumperebatur iniuria,
& durissimis lapidibus insculpsit. quæ, diluuiio peracto, eadem, qua ille celauerat,
curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitie seminarium transmisit
in posteros. Hac itaque ratione illa opinio uulgi, qua credunt angelos maleficia ho-
minibus tradidisse, in ueritate completa est. Hactenus Casiani uerba. Petrus Co-
mestor in historia scholastica scribit Cham, filium Nohe, quem ab antiquis Zo-
roastrum putat fuisse nuncupatum, cum regnaret in Thracia, inuenisse artem magi-
cam, & septem liberales artes, quas in quatuordecim columnis scripsit, septem æneis
aduersus aquarum alluiones, septem uerò latericiis contra ignis incendia. Fuit olim
& aliud opus, prænotatum **PROPHETIA CHAM**, ex quo Isidorus, Basilidis disci-
pulum, accepisse testimonia Clemens in sexto Stromatum autor est. Vide infra in di-
ctione Seth.

CHARACTER Bestiæ habetur in Apocalypsis cap. tertiodécimo sub his
uerbis: **ET FACIT** omnes paruos, & magnos, & diuites, & pauperes, & li-
beros, & seruos, ut habeant caractères in dextra manu sua, aut super frontem
suam, ut nemo possit emere, aut uendere, nisi habeat caractèrem bestie. &
capite quarto decimo, **NON** habent requiem die ac nocte, qui adorant bestiam, &
imaginem eius, & quicumque accipit caractèrem nominis eius. & capite sex-
todecimo, **FACTVM** est ulcus malum in homines, qui habebant caractèrem be-
stie. & Apoc. uigesimo, **QVI** non acceperunt caractèrem bestie in fronte, &
in manu sua, uixerunt, & regnauerunt cum Christo. Arethas, Cæsariensis epi-
scopus, hæc exponens, inquit: **BESTIA** diabolus est; Imago bestie est Antichristus;
Character bestie est nota signum, & demonstratio imitationis diaboli, & Antichristi
in reprobis hominibus; qualem non habent hi, qui habent signum Dei uiui in fron-
tibus suis; quique facies habent signatas lumine diuini uultus. Quod autem impij
characterem bestie, manibus & frontibus impressum, gerunt: significat manus eo-
rum plenas esse malis operibus; frontem uerò, quæ oculis imminet, caligine tene-
brisque

Abrisque circumfusam; ut nihil, quod rectum & honestum sit, uideant. Vel Chara-
cter bestie in manibus, actiones eorum diabolicas designat; in fronte uerò impro-
bam ipsorum impudentiam, dum sine ulla occultatione & pudore palam ostentant,
qualesnam ipsi sint, peccata sua prædicantes, & iniquitatem gloriam & laudem
existimantes.

CHIROGRAPHVM Decreti, siue, ut in græcis exemplaribus legitur,
Χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, id est, Chirographum dogmatum placitorum, siue
decretorum, recensetur à Paulo in epistola ad Colossenses his uerbis: Et vos, cum
essetis mortui in delictis, & præputio carnis uestre, conuiuificauit cum illo; condonans
uobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat, chirographum decreti,
quod erat contrarium nobis. & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expo-
lians principatus, & potestates traduxit confidenter palam, triumphans illos in se-
met ipso. Est autem huiusmodi Chirographum, quo ad Iudæos attinet, pollicita-
tio illa celebris, qua Iudaicus populus olim se obstrinxerat Deo in perpetuæ fer-
nitutis cultum, cum enim Deus in monte Sinai proponeret populo legem, pollice-
returque se suscepturum hebræorum gentem in proprium peculium præ ceteris gen-
tibus terræ, si eam legem & accipere, & seruare uellet; acclamauit uniuersa mul-
tudo filiorum Israel, **OMNIA**, quæ præcepit nobis Deus, faciemus. quæ
quidem acclamatio communi omnium consensu emissa ueluti ex syngrapha Iudæos
reddidit debitores totius legis seruandæ, quam syngrapham ne quando in poste-
rum Iudæorum gens suam esse negaret, annotata est ea non semel in decretis diui-
næ legis, præsertim uerò in libro Exodi cap. 19. & cap. 24. Rursus & aliud Chirogra-
phum longè antiquius est, & omne mortalium genus obstringens, uidelicet uetus
illud decretum, quod Deus fecerat ad Adam, & in corde eius scripserat, **DE LI-
GNO SCIENTIÆ BONI ET MALI NE COMEDAS. IN QVACVNQVE ENIM DIE
COMEDERIS, MORTE MORIERIS.** Hoc decretum cum Adam inobedientia sua
uiolasset; se ipsum, omnemque posteritatem suam peccato, & morti obnoxium fe-
cit. Diabolus autem ex hoc chirographo uniuersum genus mortalium urgebat, &
reos ostendebat sempiterni supplicij, proferens aduersus nos diuini decreti chirogra-
phum, manu Dei in corde primi nostri parentis conscriptum. Christus ergo, mise-
ratus calamitatem nostram, quicquid ex hoc chirographo poterat à nobis exigi, id
ipse dependit in cruce; in qua ipse pro nobis supplicio affectus discidit, ac dilacera-
uit, quod aduersus nos erat, chirographum; & ne ullam in nos deinceps potesta-
tem haberet, penitus de medio substulit; & Sathanam, qui nos per hoc chirographum
legis reos agebat, mortemque intentabat, ne quid ultra accusationes minasque eius
timeremus, destruxit in cruce moriens; & omnes satellites eius principatus, ac po-
testates tartaræas fudit, fregitque, palam de illis triumphans, & opima spolia refe-
rens; ex quibus magnificum trophæum perpetuum uictoriæ suæ monumentum su-
spendit in cruce, quò magis esset omnibus è sublimi conspicuum. Chrysostronus,
hunc locum Pauli aliquanto diuersius exponens, sic legit, *Ἐξάλειψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρό-
γραφον*, hoc est, *Obliterato, quod aduersus nos erat, chirographo*; & deinde, apposita
uirgula, addit, *τοῖς δόγμασιν*, id est *Decretis*, innuens hac distinctione, quòd Chri-
stus chirographum illud uetus disciderit, nouis promulgatis decretis, uidelicet euan-
gelicis pactis ac promissis, quæ nobis remissionem peccatorum, & cœlestis regni hæ-
reditatem conferrent. Obseruabis etiam illud, quod græcè legitur in datiuo casu,
Χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν; hoc est *Chirographum decretis*, transferendum esse *Chirogra-
phum decretorum* in genitiuo casu. est enim idiotismus hebræis consuetus, ut fre-
quenter datiuo pro genitiuo utantur: sicut in inscriptionibus psalmodum, in quibus
ponunt *דוד ליהודה*, hoc est *PSALMVS IESI DAUIDI*, pro, *PSALMVS DAUI-
DIS*; & sicut in secunda ad Corinthios cap. 2. ubi Paulus dixit, *Ἐδύθη μοι σκόλοξ τῆ
σαρκὸς*, id est *Datus est mihi stimulus carni*, pro, *Carnis*. Hanc phrasin etiam à Carone
usurpatam inuenio: qui in libris De re rustica sæpe scripsit *Ornamenta bobus*,
pro, *Ornamenta bouum*; & *Instrumenta rusticis*, pro, *Instrumenta rusticorum*.

CENSUS, siue Liber Censuum filiorum Israel, catalogus est, quem Nehemias **A** in Hierusalem inuenit, continentem in se nomina, cognomina, & numerum eorum, qui primi de captiuitate Babylonis dimissi à Cyro rege, reuerſi sunt duce Zorobabele in Iudæam; quos constat fuisse potissimum ex duabus tribubus Iuda, & Benjamin, præter sacerdotes & leuitas, qui his erant admitti. Obseruabis autem nomina duodécim primatum, qui in hoc catalogo populum reduxisse narrantur, paulò diuersius recenseri in catalogo, qui habetur primo Esdræ cap. secundo: sed eadem tamen sunt. nam qui hic nominantur Azarias, Raamias, Belsar, Mespharath, Beggoni, & Naum; in catalogo Esdræ appellantur Saraia, Rahelia, Belsan, Mesphar, Begnai, Reum. Naamin uerò, qui hic inter duodecim numeratur, ab Esdra, qui undecim duntaxat recensuit, excluditur. Cæterum in ea, quæ sequitur, familiarum enumeratione, & capitum censu tanta est & nominum, & calculi diuersitas, ut fatendum sit uel Nehemiæ catalogum esse ab Esdræ catalogo diuersum; uel, si idem sit, uehementer fuisse corruptum incuria & imperitia librariorum. quod & in aliis **B** diuinæ scripturæ catalogis euenisse crebrò conqueritur Origenes. Vide catalogum Nehemiæ capite septimo.

CEPHAS, qui & Martialis episcopus Lemouicensis, & Galliarum apostolus. hunc Clemens Alexandrinus in quarto dispositionum libro dicit fuisse unum de septuaginta discipulis, cognomen habentem idem cum Petro apostolo: asseritque hunc illum esse Cepham, de quo Paulus ad Galatas scribens, inquit: *CVM* autem uenisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: Hic fertur esse autor duarum epistolarum, quæ nuper, domino reuelante, repertæ sunt in sacrario basilicæ sancti Petri in urbe Lemouica, ubi hætenus latuerant, defossæ in arca faxea sub terra, quæ præ nimia uetustate uix legi potuerunt. harum una est ad Burdegalenses; altera ad Tolosanos, utraque uenerandæ antiquitatis pietatem redolens. Cæterum an hic Cephas ille sit à Paulo reprehensus; uide infra libro sexto in annotationibus capituli secundi, epistolæ ad Galatas.

CHUZAI חזאי, Hebraicarum antiquitatum scriptor fidelissimus, scripsit de sceleribus, resipiscentia, & liberatione Manassis, Hierosolymitani regis, librum unum. recordatur huius operis autor sacrorum annalium libro secundo cap. 33. sic scribens: *RELIQVA* autem gestorum Manasse, oratio quoque eius, & exauditio, & cuncta peccata, atque contemptus, loca etiam, in quibus ædificauit excelsa, & fecit lucos, & statuas antè, quam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Chozai. Superest adhuc ex monumentis huius prophætæ exiguum fragmentum, orationem Manasse regis continens; quod in quibusdam bibliis statim post duos libros Paralipomenon apponi consuevit. Autor annotationum in Paralipomenon, quæ Hieronymo tribuuntur, refert, à quibusdam memoriæ pròditum esse, hunc prophetam Chozai fuisse Esaiam ipsum; qui, immutato nomine, Chozai, hoc est Visio mea, fuerit appellatus.

CLAUDIUS Cæsar, sub cuius imperio Lucas in actibus refert magnam illam **D** famem fuisse ab Agabo propheta prædictam, & paucis post annis omnes Iudæos ipsius iussu Roma pulsos, scripsit græco sermone **HISTORIARVM** libros uiginti octo, hoc est Tyrreniacon libros uiginti, Carchedoniacon libros octo: quorum causa ueteri Alexandria Musæonouum additum est ex ipsius nomine; institutumque, ut quotannis in altero Tyrreniacon libri, in altero Carchedoniacon diebus statutis, uelut in auditorio publico recitarentur toti à singulis per uices.

SCRIPSIT etiam latino eloquio libros quadraginta tres, hoc est de rebus à cæde Cæsaris usque ad pacem ciuilem uolumina duo, à pace ciuili usque ad sua tempora libros unum & quadraginta.

COMPOSUIT etiam de uita sua uolumina octo magis ineptè, quam ineleganter.

ITEM CICERONIS defensionem aduersus Asinij Galli libros satis eruditam.

DE TRIBVS literis, latino alphabeto à se additis, librum unum.

DE ARTE Aleatoria librum unum, Suetonius in Claudio.

CLAUDIUS

CLAUDIUS LYSIAS, Romanæ militiæ in Hierusalem tribunus, scripsit ad Felicem, Iudææ præsidem, apologeticam pro apostolo Paulo epistolam. Vide Acta Apost. capite uigesimo tertio.

CLEMENS (de quo Apostolus, ad Philipenses scribens, ait: *CVM* Clemente, & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro Phil. 4. 4. Vita) patria fuit Romanus, Faustini filius; ex regione Cœlij montis. Hic cum primùm Sardiæ factus esset episcopus, & postea cathedram apostolicam secundus, uel, ut quibusdam placet, quartus post Petrum annis nouem tenuisset; tandem post exilij relegationem martyrio coronatus occubuit Traiani imperatoris anno tertio, hoc est anno ab aduentu Christi, seruatoris nostri, centesimo tertio. eius autem scripta hæc esse dicuntur:

EPISTOLA canonica ad Corinthios, prima.

EPISTOLA canonica secunda.

AD IACOBVM, fratrem domini, epistola prima.

AD IACOBVM, fratrem domini, epistola secunda.

AD OMNES coepiscopos epistola una.

AD IULIUM, & Iulianum epistola una.

AD FRATRES Hierosolymæ, cum Iacobo habitantes, epistola una.

EPISTOLAE Pauli ad Hebræos ex hebræo in græcum translatio.

APOSTOLICAE liturgiæ liber unus.

APOSTOLICORVM canonum liber unus.

RECOGNITIONVM priorum ad Iacobum, fratrem domini, libri decem.

RECOGNITIONVM posteriorum ad Iacobum, fratrem domini, libri decem.

ITINERARIJ Clementis libri decem.

PRAECEPTIONVM episcopaliū libri octo.

DISPUTATIONVM Petri cum Apione liber unus.

RESPONSIONVM Petri ad interrogationes Tripolitanorum libri plures.

HISTORIARVM libri sex.

PRÆDIICATIONVM, & Actuum Petri liber unus.

ACTIONVM apostolicarum liber unus.

VITAE CLEMENTIS liber unus.

HAEC apud diuersos autores, CLEMENTIS nomine inscripta, reperi; de quibus quid nos sentiamus, quam breuissimè poterimus, indicabimus.

CLEMENTIS Epistolam canonicam primam ad Corinthios, quanquam ea temporibus nostris lateat, haud dubium, tamen est Clementis esse, qui eam ex persona Romanæ ecclesiæ scripserit, attestantibus id Hieronymo, Damaso, ac præsertim Irenæo; qui in tertio aduersus hæreses libro occasionem & argumentum epistolæ explicat his uerbis: *IGITUR* sub Clemente dissensione non modica inter eos; qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit, quæ est Romæ ecclesia, potentissimas literas Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab apostolis receperat traditionem, annunciantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli, & terræ, plasmatorem hominis; qui induxit cataclysmum, & aduocauerit Abraham; qui eduxit populum de terra Aegypti; qui collocutus sit Moyſi; qui legem disposuerit, & prophetas miserit; qui ignem præparauerit diabolo, & angelis eius; & hunc esse patrem domini nostri Iesu Christi, &c. Eusebius libro 4. historiæ eccles. cap. 38. refert Clementem in hac epistola mentionem fecisse epistolæ Pauli ad Hebræos, & eius quoque testimonijs usum: Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum stylum indicans huius epistolæ hæc addit: *SCRIPSIT* Clemens ex persona Romanæ ecclesiæ ad ecclesiam Corinthiorum ualde utilem epistolam; quæ mihi uidetur charactèri epistolæ, quæ sub nomine Pauli ad Hebræos fertur, conuenire. sed & multis de eadem epistola sensibus etiam iuxta uerborum ordinem abutitur. omnino grandis in utraque similitudo est. Idem quoque in commentarijs quarti capituli epistolæ ad Ephesios citans ex hac epistola testimonium, ait: *MELIUS* est, si uinctum domini, uinctum in Christi charitate dicamus. cuius rei & Clemens ad

Corinthios testis est, scribens, VINCVLM charitatis Dei quis poterit enarrare? **A** Clemens Alexandrinus in primo, quarto, & sexto uolumine Stromatum multa recitat huius epistolæ fragmenta.

CLEMENTIS Canonica secunda. hanc post primam canonicam epistolam fuisse à Clemente scriptam, testatur Damasus Papa in libro Pontificali. Hic, inquit, fecit epistolas duas, quæ Canonicæ appellantur. Epiphanius quoque, aduersus Ebionæos scribens, in primo Panarij uolumine tradit non unam tantum, sed plures scripsisse epistolas encyclicas, hoc est orbiculares, siue uniuersales, quæ in sanctis ecclesiis suo tempore legebantur, tametsi Eusebius in libro, quem paulò antè citauimus, referat secundam Clementis epistolam sibi fuisse ignotam; & Hieronymus id ipsam affirmet à ueteribus reprobam. Suspicio Hieronymum aut ex hac, aut ex superiori epistola protulisse illam de pluralitate mundorum Clementis sententiam, cum in secundo libro commentariorum epistolæ ad Ephesios ita scripserit: **Q**UÆRIMVS, quid sit, quod ait Paulus, **S**ECVNDVM SÆCVLVM MVNDI HVIVS. utrum nam & aliud sæculum sit, quod non pertineat ad mundum istum, sed ad mundos alios; de quibus & Clemens in epistola sua sic scribit, **O**CEANVS & mundi, qui trans ipsum sunt, &c. Quam quidem sententiam Origenes longè ante Hieronymum non minus piè, quam eruditè explicauit, in secundo Periarchon libro his uerbis: **M**EMINIT sanè Clemens, apostolorum discipulus, eorum, quos ἀντιχριστοὺς græci nominant, atque illius partis orbis terræ, ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis, qui ibi sunt, quisquam transire ad nos. quos & ipsos mundos appellauit, cum ait, **O**CEANVS intransibilis est hominibus, & hi, qui trans ipsum sunt, mundi, qui his eisdem dominatoris Dei dispensationibus gubernantur. De hac item, atque superiore epistola arbitror sensisse Hieronymum, cum in primo aduersus Iouinianum libro dixit: **C**LEMENS, successor apostoli Petri, cuius Paulus apostolus meminit, scribit epistolas, omnemq; penè sermonem de uirginitatis puritate contexuit.

CLEMENTIS Epistolam primam ad Iacobum, fratrem domini, commemorat Damasus in libro Pontificali in uita Clementis, non indicato tamen eius autoris nomine. Anacletus Papa, allegans ex ea testimonium, autorem eius esse dicit Clementem antecessorem suum. De ipsa tamen dubitatum est à multis, quia absurdum uideretur, quod in ea scriptum est de Clemente, nimirum suscepisse illum à Petro Romani episcopatus sedem, ante quem constat Linum, & Cletum Romanæ urbis fuisse episcopos. quam inconsonantiam tollere uolens Rufinus, huius epistolæ interpres, in præfatione Recognitionum Clementis ad Gaudentium ita scripsit: **Q**UIDAM requirunt, quomodo cum Linus, & Cletus in urbe Roma ante Clementem fuerint episcopi, ipse Clemens, ad Iacobum scribens, sibi dicat à Petro docendi cathedram traditam. cuius rei hanc accepimus esse rationem; quòd Linus, & Cletus fuerunt quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro; uidelicet ut illi episcopatus curam gererent, ipse uerò apostolatus impleter officium, sicut inuenitur etiam apud **D** Cæsaream fecisse: ubi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen à se ordinatum habebat episcopum, & hoc modo utrunque uerum uidebitur, ut & illi ante Clementem numerentur episcopi, & Clemens tamen post obitum Petri docendi suscepit sedem. Hæc Rufinus. Ioannes patriarcha Antiochenus, in libro De potestate generalis concilij supra Papam conatur ostendere, quòd Romanus pontifex etiam extra causam schismatis, & hæresis ab uniuersali ecclesia possit deponi, allegans uerba Clementis: qui in hac epistola inducit Petrum ad se ita loquentem: **S**I ENIM mundanis curis fueris occupatus; & te ipsum decipies, & eos, qui te audiunt. non enim poteris ea, quæ ad salutem pertinent, plenius quibuscunque distinguere, & ex eo fit, ut tu, tanquam qui non docueris, quæ ad salutem hominū pertinent, deponaris. His uerbis occurrens Ioannes Turre cremensis, præbyter Cardinalis, in secundo ecclesiasticæ summæ uolumine capite cx. rejicit omnem prorsus epistolæ huius auctoritatem, ut obscuram & dubiam, negans omnino fieri posse, ut Clemens epistolam hanc, post mortem Petri editam, scripserit ad Iacobum, fratrem domini; quem Eusebius in chroni-

A cis testatur decem ferè annis ante obitum Petri occubuisse à Iudæis lapidatum. addit quoque perperam haberi in hac epistola uerbum illud, Deponaris; pro quo legendum sit Puniaris; ita tamen ut intelligas pontificem non ab hominibus, sed à solo Deo puniendum.

CLEMENTIS Epistolæ quatuor. de his nihil est, quod hinc lectorem admoneam, nisi quòd ex ea, quæ est ad Iacobum secunda, & ea, quæ ad coepiscopos directæ est, & ex ultima, quæ ad Hierosolymæ habitatores inscribitur, multa de uerbo ad uerbum in decretis pontificum excerpta sunt; præcipuè in distinctionibus secunda, quinta, uigesima tertia, & trigesima octaua; & in causis secunda, quæstione prima & septima; & in undecima, quæstione tertia; & in duodecima, quæstione prima; & in sextadecima, quæstione septima. quod sanè antiquitatis harum epistolarum non paruum indicium est.

B CLEMENTIS Translationem epistolæ ad Hebræos recenset Eusebius libro 4. historiarum eccles. cap. 38. his uerbis: **C**ONSTAT, quòd apostolus epistolam ad Hebræos, tanquam Hebræis mittendam, patri sermone conscripserit; & ut quidam tradunt, Lucam euangelistam, alij autem hunc ipsum Clementem interpretatum esse. quod & magis uerum est: quia & stylus ipse epistolæ Clementis cum hoc concordat, & sensus nimirum utriusque scripturæ plurimam similitudinem ferunt. Hæc Eusebius. Clemens Alexandrinus libro quarto Stromatum fragmentum ex epistola Clementis ad Corinthios recitat non dissimile ab his, quæ in undecimo capite epistolæ ad hebræos habentur.

C CLEMENTIS Apostolica Liturgia. de hac Proclus, archiepiscopus Constantinopolitanus, in libello De traditione diuinæ missæ hæc uerba exarauit: **M**ULTI quidem, & alij diuini pastores, qui apostolis successerunt, ac ecclesiæ doctores, sacrorum illius diuinæ missæ mysteriorum rationem explicantes, scriptis mandatam ecclesiæ tradiderunt. in quibus primus & clarissimus est beatus Clemens, summi illius apostolorum discipulus ac successor: qui sacrosancta illa mysteria, à sanctis apostolis sibi reuelata, in lucem edidit. Nicolaus, Methonensis episcopus, in libro De ueritate corporis Christi in sacramento altaris, profert ex hac liturgia precepcionem quandam, qua græci utuntur ad consecrationem sacramenti eucharistiæ; in qua post illa uerba dominica, **H**OC EST CORPVS MEVM, ET HIC EST CALIX, ET C. quibus Latina ecclesia credit panem & uinum transmutari in corpus & sanguinem Christi, adduntur hæc uerba deprecatoria, **T**V, **Q**VI NVLLIVS INDIGES, **D**EVVS MITTERE DIGNERIS SANCTVM SPIRITVM TVVM SVPER HOC SACRIFICIUM, VT EFFICIAT PANEM HVNC CORPVS CHRISTI TVI, ET CALICEM HVNC SANGVINEM CHRISTI TVI. **A**MEN. Quæ uerba Marcus, episcopus Ephesinus, in libro De sanctificatione diuinorum donorum, & Nicolaus Cabasilas in libro De interpretatione missæ ita uoluerunt esse ad formam consecrationis necessaria, ut sine eis uerba Christi, à sacerdote prolata, nihil ad sacramenti consecrationem proficerent. quibus occurrens Bessarion, patriarcha Constantinopolitanus, in libro De sacramento eucharistiæ inquit, quòd uerborum Clementis auctoritas facillè posset eludi, ut ex apocrypha scriptura deducta; non esse tamen spernendam, quia eisdem uerbis usi sunt in suis Liturgiis Iacobus, frater domini, Basilus, & præsertim Chrysostomus, qui post dominica transmutationis uerba, à sacerdote recitata, addit, **F**AC PANEM ISTVM PRECIOSVM CORPVS CHRISTI TVI, ET, **Q**UOD EST IN CALICE ISTO, PRECIOSVM SANGVINEM CHRISTI TVI, PERMVTANS SANCTO SPIRITV TVO. **A**MEN. Quæ sanè uerba formam ac uim continere uidentur transmutandi panem & uinum in corpus & sanguinem Christi. Ob id igitur, ut talis tollatur hæsitatio; Sciendum est, inquit, corpus dominicum duplex esse, uerum scilicet, atque mysticum; & illud quidem ipsius domini uerbis, cuius corpus est, confici; hoc uerò, quòd ipsi sumus, superadditis uel Clementis, uel Basilij, uel Chrysostomi uerbis, precibusque compleri: quibus post consecrationem mysterij sacerdotes supplices orant, ut per dignam eucharistiæ sumptionem idem cum Christo corpus efficiamur. Quod facile est intelligere, si quis missas, à prædictis patribus editas, diligenter animad-

uertat. Hæc Bessarion. cuius sententiam confirmans Chrysostomus in homilia de Iuda proditore manifestè fatetur panem uerti in corpus dominicum uirtute huius sermonis Christi, *HOC EST CORPVS MEVM*, à sacerdote prolati.

CLEMENTIS Canones apostolici. ex his quidem alij sunt sub falso Clementis titulo ab hæreticis incerto autore conficti; quos Gelasius Papa in decretis dist. 15. prorsus reiicit: alij uerò sunt numero 84. quos Clemens ab apostolis acceptos græcè scripsit, in hæc uerba incipientes, *Επίσκοπος χειροτονείτω*, id est *Episcopus ordinetur*. Hos Dionysius quidam uetustus interpres, precibus Laurentij fratris adductus, ad Stephanum Papam Latinos fecit. De his quaritur apud iuris pontificij peritos, utrum ne canonici sint, uel apocryphi. Gratianus dist. 16. uarias proferens super hac re sententias, nihil certi statuit. ait enim Adriani secundi sententia approbata in epistola ad Tharasium Constantinopolitanum: cuius tamen rei in ea epistola non meminit Adrianus. nam in quarta Actione septimæ synodi illa uerba, quibus commendatur sexta synodus, & eius canones, sunt Tharassii, & non Adriani. in fine tamen prædictæ quartæ actionis confirmatur à concilio, & legatis Adriani Papæ ipsa quarta actio, per quam approbantur canones sextæ synodi; in quorum secundo recipiuntur 85. canones apostolorum. Quæstio igitur hic bipartita est: altera pars auctoritatem horum Canonum, altera numerum concernit. Prioris autem assertionis pars est certissima, uidelicet Canonum apostolorum auctoritatem receptam esse, & indubitata. Athanasius enim inter agiographa eos enumerat. & Ioannes Damascenus libro quarto orthodoxæ fidei illos in Canone diuinarum scripturarum ponit. Epiphanius libro tertio aduersus hæreses, Audianos confutans, institutionem apostolorum citat, dum agit de Paschæ celebratione: tamen hic canon non inuenitur inter illos, quos habemus. Tertullianus aduersus Praxeam dicit hos Canones apostolorum esse per manus traditos. sed & imperator Iustinianus sapissime in Nouellis mentionem horum introducit, & secundum illos profitetur se leges condere, & expressis uerbis *CANONES APOSTOLORVM* uocat. Hactenus de eorum auctoritate, nunc de numero est dicendum.

ISIDORVS tantum quinquaginta recenset; sexta synodus canone secundo probat 85. tamen si non sint nisi 84. sed duodecimus latinus est in codice græco in duos diuisus. Zepherinus, quingentis annis quinta synodo prior, sexaginta tantum Canones admittit. Leo nonus, trecentis & quinquaginta ferè annis posterior sexta synodo, in epistola ad Michaelem patriarcham totidem enumerat. In ultimo apostolorum Canone recipitur Ioannis Euangelium, quod scriptum fuit sub Nerua. Canones uerò, uiuente Petro, qui longè antea sub Nerone occisus est, dicuntur editi, sicut ex uigesimo octauo Canone elicitur; in quo scriptum est, *A ME PETRO*. Hoc autem ualde uidetur absurdum, nisi dicamus particulam illam de approbatione Euangelij Ioannis ex libri margine, cui ab aliquo sciolo addita fuerat, inrepsisse in textum. Sunt etiam in his sanctionibus quædam, quæ cum præsentibus ecclesiæ dogmatibus non conueniant, ueluti canone 62. quo iubetur, comedentes carnes cum sanguine deponi. & canone 56. quo ieiunium tam dominicæ, quàm sabbati prohibetur. Sunt qui arbitrentur hos canones à Nicolaitis hæreticis contaminatos, & alijs multis apocryphis respersos.

CLEMENTIS Recognitiones, quæ græcè inscribuntur *Αναγνωσις*, siue *Αναγνωρισμος*, id est *Recognitio*, uel *Αναζευρισμος*, quod est *Reuisio*, quidam duplici partitione distinguunt, nempe in decem Priores libros, & decem Posteriores libros. in prioribus, qui nunc à nobis desiderantur, Clemens ex præcepto Petri collegit, quæcunque Petrus apud Cæsaream Palæstinæ tribus continuis mensibus disseruit, & ad Iacobum, fratrem domini, transmisit. Horum argumenta singula in tertio posteriorum recognitionum, quæ nunc habentur, uolumine his planè uerbis scripta leguntur:

PRIMVS Recognitionum liber agit de uero propheta, & de proprietate intelligentiæ legis secundum id, quod Moysis traditio docet.

SECUNDVS de principio, utrum unum sit, an multa? & quod non ignoret hebræorum lex, quid sit immensitas.

TERTIVS de Deo, & de his, quæ ab eo instituta sunt.

QUARTVS

A. QUARTVS, quod cum multi dicantur dii, unus tantum sit uerus Deus secundum testimonia scripturarum.

QUINTVS, quod duo sunt cæli: quorum unum sit hoc uisibile firmamentum; quod & transibit; aliud uerò æternum, & inuisibile.

SEXTVS de bono & malo, & quod bono cuncta subiciantur à Patre: malum autem qua re, quo modo, & unde sit; & quod cooperetur quidem bono, sed non proposito bono; & quæ signa boni, quæ uerò mali; & quæ sit differentia dualitatis, & coniugationis.

SEPTIMVS, quæ profecuti sunt duodecim apostoli apud populum in templo.

OCTAUVS de uerbis domini, quæ sibi uidentur esse contraria, & non sunt; & quæ sit horum absolutio.

NONVS, quia lex à Deo posita est iusta, & perfecta, & quæ sola possit facere pacem.

B. DECIMVS de uarietate hominum carnalium, & de generatione, quæ est per baptismum; & quæ sit in homine carnalis seminis successio; & quæ animæ eius ratio; & quomodo in ipsa est libertas arbitrij: quæ quoniam non est ingenita; sed facta est, immobilitas à bono esse non poterat.

HÆC igitur sunt argumenta Recognitionum, quæ Clemens refert se in urbe Cæsarea scripsisse de his, quæ à Petro in eadem urbe disserta sunt. Hos libros magna ex parte fuisse ab hæreticis contaminatos, testis est Rufinus; qui in Apologia Origenis hæc scripta reliquit: CLEMENS, apostolorum discipulus, libros edidit, qui græcè appellantur *Αναγνωρισμος*, id est *Recognitio*; in quibus cum ex persona Petri apostoli doctrina quasi uerè apostolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eusebii dogma scribitur, ut nihil aliud, quàm ipse Eusebius disputare credatur; Filium Dei creatum ex nullis extantibus asseuerans. tum etiam illud adulterij inseritur genus; ut naturam diaboli, cæterorumque dæmonum non propositi uoluntatisque malitia; sed

C. excepta ac separata creatura produxerit qualitas: sunt & alia nonnulla libri eius inserta, quæ ecclesiastica regula omnino non recipit: quæ peruersi homines ad assertionem dogmatum suorum sub uirorum sanctorum nomine tanquam facilius credenda inseruerunt; quæ ille nec sensisse, nec scripsisse credendus est. Hæc Rufinus ait.

CLEMENTIS Recognitionum libri decem Posteriores, quos nunc habemus sub titulo, *RECOGNITIONVM CLEMENTIS AD IACOBVM, FRATREM DOMINI*, & quorum initium est, *EGO CLEMENS IN URBE ROMA NATVS*, creduntur esse illi, quos Gennadius testatur translatos à Rufino; cuius etiam præfatio habetur in principio totius operis; in qua sit Rufinus; siue alius quispiam sub nomine Rufini in præfatione translationis suæ ad Gaudentium episcopum scribit: *ΑΝΘΥΜΩ* est sane tibi, qui hæc etiam græcè legeris, ne forte in aliquibus minus à nobis seruatum translationis ordinem putes, interpretationis nostræ indicare consilium. Puto, quod non tateat, & Clementis huius in græco eiusdem operis *Αναγνωρισμος*, hoc est *Recognitio*

D. num, duas editiones haberi, & duo corpora esse librorum in aliquantibus quidem diuersa, in multis tamen eiusdem narrationis: denique pars ultima huius operis; in qua de transformatione Simonis refertur, in uno corpore habetur; in alio penitus non habetur. sunt autem & quædam in utroque corpore de ingenito Deo, genitoque disserta, & de alijs nonnullis; quæ, ut nihil amplius dicam, excesserunt intelligentiam nostram. Hæc ergo, tanquam quæ supra uires meas essent, alijs reseruare malui; quàm minus plena proferre. in cæteris autem, quantum potuimus, operam dedimus, non solum à sententijs, sed ne à sermonibus quidem satis; elocutionibusque discedere. quæ res quamuis minus ornatum; magis tamen fidele narrationis reddidit eloquium. Hæc Rufinus de editione horum uoluminum; quorum argumenta hic libet subscribere, ut ex collatione ipsorum cum superioribus Priorum Recognitionum argumentis appareat, quantum sit utriusque operis discrimen.

PRIMVS itaque liber continet educationem Clementis in urbe Roma; ac ueritatis studium; Barnabæ aduentum ex Iudæa in urbem; Clementis cum Barnabæ initam societatem; utriusque navigationem in Palæstinam, & utriusque ingressum in Cæsaream

ream ad Petrum apostolum; Petri item cum Clemente colloquium: in quo pauca quædam de uero propheta testatur Clemens se ex Petro audiuisse, eaque literis unico uolumine mandasse. additur in fine breuis decursus historiarum ueteris testamenti.

SECUNDVS, referente Niceta, narrat Simonis Magi sapientiã, eloquentiam, miracula, genus, parentes, item aliqua de potestate dæmonum in homines, tum etiam primam Petri disputationem cum Simone in eadem urbe habitam; in qua paucis admodum uerbis ostenditur unum esse Deum mundi autorem, & non plures.

TERTIVS refert secundum Petri cum Simone eadem in urbe congressum; in quo nonnulla de libero arbitrio differuntur. quæritur quoque, cur Deus non fecerit hominem impeccabilem; cur cælum factum sit; quod igne resoluendum sit; utrùm mundi corde Deum uidebunt; & utrùm anima immortalis sit. denique Simonis à suis desertionem, fugamque ipsius ex Cæsarea in Syriam describit.

QUARTVS profectionem Petri, & Clementis ex Cæsarea in Doram, Ptolemaidam, Tyrum, Sidonem, Berythum, eorumque ingressum in Tripolim: qua in urbe Petrus hyemauit. recitat etiam Petri concionem in eadem urbe habitam; in qua breuis est decursus ætatum mundi ab eius creatione usque ad Christum.

QUINTVS habet concionem aliam Petri in eadem urbe.

SEXTVS similiter aliam in eadem urbe Petri concionem.

SEPTIMVS egressum Petri ex Tripoli, & profectionem eius primùm in Hortosiadam, deinde Antaradum, deinde ad insulam Aradum ad uidendas columnas uitreas immensæ magnitudinis. refert quoque matrem Clementis in eadem insula à Petro repertam, & tum primùm à filio Clemente agnitam. enauigat iterum Petrus ex insula Aradum in Antaradum: inde pedestri itinere Balaneas se confert: deinde Pathon, & Gabalam pertransit: denique Laodiceam deuenit, ubi primùm Clemens Faustum, & Faustinianum, fratres suos, recognoscit.

IN OCTAVO libro Petrus in loco secretiori portus Laodiceæ disputat aduersus senem quendam mathematicum, asserentem omnia fato regi.

NONVS eandem prosequitur disputationem aduersus mathematicos; qui dicunt, omnia stellarum impulsibus euenire.

DECIMVS narrat transmutationem Simonis Magi in Faustinianum, fratrem Clementis. deinde nonnulla addit de genealogia deorum gentilium. postremò digerit discessum Petri ex Laodicea, & aduentum eius in Antiochiam: qua in urbe populus ei cathedram tradidit docendi.

NOTI GITVR sunt Posteriorum Recognitionum uolumina. de quibus, ut liberè pronunciam, quid sentiam, suspicor non esse Clementis. nam præterquam quòd multa in ipsis sub persona Petri apostoli ex intima Platonis & Aristotelis philosophia referuntur, duo quoque integra folia recitantur ex persona Petri in nono libro huius operis, ad uerbum transcripta ex libro De fato aduersus Abydam astronomum Bardefanis Syri; qui, teste Epiphanio, claruit sub Marco imperatore annis septuaginta post mortem Clementis. quam etiam Bardefanis scripturam Eusebius in sexto libro De euangelica præparatione iisdem planè uerbis recitat, nec una quidem immutata dictione. Sunt quoque in his libris pleraque incerta, multa fabulosa, nonnulla insuper catholicis dogmatibus aduersantia: ex quibus Iacobus, archiepiscopus Genuensis, nonnulla annotauit in uita Clementis, à se in libro annuarum festiuitatum inserta.

CLEMENTIS Odeporicon, siue Itinerarium Athanasius in Synopsi, & Leo Papa in epistola contra Niceten scriptis apocryphis annumerant; & Gelasius distin. xv. inter libros recenset ab ecclesia reprobatis, inquit: ITINERARIUM Petri apostoli sub nomine Clementis Libri Octo apocryphum est. hoc Tritemius partitur in libros decem, quorum initium est, CVM IN VRBE ROMA ET C. Suspicor hoc opus illud idem esse, quod apud aliquos autores Peregrinationes, siue Circuitiones, uel Circuitus Petri inscribitur. de quibus Epiphanius libro primo Panarij hæresin Ebionis confutans, hæc ait: VTINTVR Ebionci & aliis libris, nimirum CIRCVITIONIBVS PETRI appel-

appellatis, per Clementem scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca uera relinquentes; uelut ipse Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis, quas scripsit, encyclicis, quæ in sanctis ecclesiis leguntur; quia alium habet charactèrem fides ipsius, & sermo ab his, quæ ab illis sub nomine ipsius in Circuituionibus corrupta sunt. Hæc epiphanius de Circuituionibus, siue Itinerario. quod quidem, nisi me mea fallit opinio, id ipsum est supra memoratum RECOGNITIONIS POSTERIORIS opus, tali titulo à librariis exornatum, & Rufini Præfatione aut conficta, aut aliunde petita transformatum; ut hoc fuco uolumen, sub Itinerarij nomine damnatum, commendabile redderent apud emptores tam ex RECOGNITIONVM gratiori inscriptione, quam ex interpretis Rufini autoritate. Facit autem, ut id. facile credam, ipse numerus, & contextus librorum; in quibus à capite usque ad calcem nihil ferè aliud enarratur, quam Petri & Clementis peregrinatio ex Italia in Palæstinam, & ex Palæstina usque in Antiochiam per singulas urbes, & loca, quæ inter Cæsaream Palæstinæ, & Antiochiam sunt: huc accedit, quòd Iacobus, archiepiscopus Genuensis, qui hanc ipsam peregrinationem in uita Clementis conscripsit, testatur se eam summatim collegisse ex Itinerario Clementis apocrypho. quod sanè indicat libros Recognitionum, & Itinerarium Clementis idem esse opus. Hoc proximis annis S. Romanæ Inquisitionis Senatus in Indice damnatorum ab ecclesia uoluminū ascribi iussit.

CLEMENTIS De Petri aduersus Apionem disputatione librum citat Hieronymus in catalogo, inquit; FERTVR & disputatio Petri, & Apionis longo sermone conscripta; quam Eusebius in tertio historiæ eccles. uolumine coarguit. Habetur autem hic locus ab Hieronymo citatus apud Eusebium cap. 38. libri 3. his uerbis: SED & alia opuscula Clementis non minima à nonnullis haberi perhibentur; uelut Petri, & Apionis Disputatio; quæ in usu à ueteribus habita minimè reperitur; quia nec pura in eis, & incorrupta apostolicæ fidei regula mansisse deprehenditur.

CLEMENTIS Historiarum libri sex. de his Beda presbyter in libro De temporum ratione testimonium citat in hæc uerba: SANCTVS Clemens, Apostolorum discipulus; & Romanæ ecclesiæ tertius post Petrum episcopus in sexto historiarum suarum libro ita scribit: IN principio fecit Deus cælum & terram. Spiritus autem iussu Dei, quasi ipsa conditoris manu, lucem separauit à tenebris, & post inuisibile cælum, istud uisibile produxit; ut superiora quidem habitacula faceret angelis, inferiora uerò hominibus.

CLEMENTIS Præceptiones episcopales. de his ita in fine canonum Clementis, ubi & liber ACTVS APOSTOLORVM, ab eodem autore editus, commemoratur, scriptum reperit: Διατάξεις ἡμῶν τοῖς Ἐπισκόποις δι' ἐμὲ κλημέντος ἐν οὐτίσι βιβλοῖς προσπεφωτισμέναι, ἃς ἡ δὲ δημοσίαν ἐπὶ πάντων; διατάξαι ἐν αὐταῖς μὲν οὐκ ἔστι. hoc est; Præceptiones uobis episcopis, per me Clementem in octo libris nuncupata; has non oportet omnibus euulgare. obiecta quæ in ipsis arcana continentur. Hos octo Apostolicarum Præceptionum, siue Constitutionum libros nuper latinè uertit, & scholiis illustrauit Ioannes, Ostunienis episcopus, omni doctrinarum genere præditus.

CLEMENTIS opus De responsionibus Petri ad interrogata Tripolitanorum. de hoc nihil habeo, quod certi referam, nisi quòd in quinto Posteriorum Recognitionum uolumine scriptum est, Clementem pluribus libris huiusmodi interrogationes unà cum Petri responsionibus collegisse.

CLEMENTIS Epitome Κηρυγμάτων τῶ Πέτρος, hoc est Prædicationum Petri apostoli. huius operis recordantur Clemens Alexandrinus in sexto libro Stromatum, & Origenes eius discipulus tomo 13. in euangelium Ioannis, proferentes ex ipso fragmenta aliquot, quæ infra uidere poteris in Petro.

CLEMENTIS Vita. de hac nihil habeo perspectum, præter id, quod Iacobus, archiepiscopus Genuensis, in uita Clementis à se edita affirmat; Clementis uitam in ITINERARIO, quod sub eius nomine fertur, contineri.

COELI & terræ generatio, siue Liber generationis cœli & terræ. quamquam de hoc libro nulla sit in sacris hebræorum codicibus mentio: tamen ubi in secundo Geneseos capitulo hebraica ueritas habet, וְהָאָרֶץ וְהַשָּׁמַיִם וְהַיָּם וְכָל הַחַיּוֹת אֲשֶׁר בָּהֶן יַעֲרָךְ. Elle

tholdoth hasciamaim ue haarez, hoc est, *Istæ sunt generationes cæli & terræ*; LXX. **A** interpretes uerterunt, *Αὐτῆ ἢ βιβλος Γενέσεως ὄρανθ, ἢ γῆς*, uidelicet *Hic est liber generationis cæli & terræ*. Quam quidem uersionem omnes græci expositores hoc loco sequuntur, & exponunt. Philo Iudæus ait Moysen his uerbis indicasse, qualem uellet esse inscriptionem primi uoluminis totius Pentateuchi. quod approbans Chrysostomus, inquit non esse mirandum, si Moyses ita librum inscripserit, quamuis præter generationem cæli & terræ tam multa in eo contineantur de uitis uirorum illustrium, deque aliis plurimis rebus; quia sub hac generali appellatione generationis cæli & terræ omnes creaturas tam cælestes, quam terrestres unâ cum ipsarum operationibus, & euentibus comprehendere uoluit. Rabbini hebræorum inquirentes causam, cur hoc loco uocabulum תולדות tholdoth, id est Generationes, perfectè scribatur, hoc est per sex literas, cum ubique in diuinis uoluminibus imperfectè, hoc est per quinque tantum literas תולת scribatur, præterquam in genealogia Dauidis, in fine libri Ruth; respondent, quod per hoc mysticè significatur, mundum à principio perfectè productum fuisse à domino, sed Adæ peccato corruptum multipliciter, restaurandum autem per Messiam filium Dauid: in cuius genealogia, ut iam dictum est, hæc dictio; Tholdoth, in pristinum literarum numerum redintegratur. Alij Iudæorum credunt Moysen per sex literas huius dictionis exprimere uoluisse numerum sex dierum mundanæ generationis.

Ruth. 4. d

Act. 15. d

CONCILLII Hierosolymitani tertij epistola. cum Christiani ex Iudæis & gentibus nuper ad fidem conuersi grauius super legalium obseruatione contenderent, afferentibus Iudæis unâ cum euangelio Mosaicam legem necessariò seruandam, gentibus contra ipsam profus reiciendam; apostoli ac seniores, in concilio Hierosolymis tertio congregati, scripserunt ad fratres Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ ex gentibus ad fidem conuersos epistolam: qua eos ab omni legalium obseruatione liberos pronunciabant, his tamen quatuor exceptis, hoc est idolothytis, sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus eos abstinere decreuerunt. Hoc apostolorum decretum dupliciter exponunt interpretes. Chrysostomus, & Oecumenius, quia in noua lege nusquam legalium obseruatio præcipi inuenitur, putant per Suffocatum & Sanguinem humani sanguinis effusionem, & qualescunque homicidium prohiberi. Augustinus uerò in libro 32. contra Faustum utraque intelligit iuxta ritum Iudaicum, hoc est de sanguine, quem Moses Leuitici septimo capite edicit, inquit: *SANGVINEM NULLIUS ANIMALIS COMEDETIS, ET DE ESU CARNIUM, EX QUIBUS SANGVIS NON ESSET EFFVSUS*. Hæc enim etsi post Christi resurrectionem non à gentibus solum, sed à Iudæis quoque licet poterant edici; interdicta tamen sunt ab apostolis, ne hac occasione tolleretur in illa primitiua ecclesia pax & conuictus gentium cum Iudæis, qui ex inueterata legis consuetudine harum rerum esum abhorrebant. crescente deinde euangelicæ prædicationis splendore abrogata est huiusmodi legalium obseruatio, quam ad breue tempus pro mutua utriusque populi concordia apostoli præceperant. Prohibitio uerò fornicationis, quam gentes peccatum non existimabant, inconcussa permansit; quia ex Dei iussu longè antea in decalogo fuerat interdicta. Neque hinc prætereundum est, quod Ambrosius in commentarijs epistolæ ad Galatas arbitratur hunc locum esse corruptum, inquit, ab apostolis tria duntaxat præcepta fuisse, hoc est abstinentiam ab idolothytis, scortationem, & sanguinem; quartum uerò de suffocato additum à quibusdam temeratoribus græcis. Vide librum sextum. Scripta est hæc epistola anno quartodecimo conuersionis Pauli, hoc est Claudij Cæsaris anno quarto, ab ascensione uerò Christi decimo octauo.

CORINTHIORVM Ecclesia, intestinis agitata seditionibus, propter nonnullos diuites ac potentes, qui plebem à doctrina Pauli auocabant ad philosophorum doctrinam, tanquam ad eos, qui præstantiora docerent, quam apostolus, scripsit ad Paulum per Fortunatum, & Stephanum, & Achaicum epistolam unam de periculo & causa propriæ seditionis, simul & ipsum consulens de nuptiis & de ciborum: hoc est, utrum oporteret matrimonio abstinere, & num. deuitandus

esset

A esset usus ciborum, qui idolis fuissent immolati. Ad hæc Paulus abundè respondit in prima ad Corinthios epistola: in cuius septimo capite meminit huius à Corinthijs epistolæ.

CURIOSARVM Artium libri, siue *Βιβλοι Περιεργη*, hoc est *Libri Curiosorum*. de his in Actibus apostolorum legitur, quod Paulo apud Ephesum dæmonia ex obsessis corporibus eiicient, multi ex his, qui curiosas artes exercuerant, compositos libros exusserunt coram omnibus; & supputatis precijs eorum, inuenerunt argenti quinquaginta millia. Chrysostomus, Augustinus, Oecumenius, & Beda per libros Curiosarum artium intelligunt scripta pertinentia ad artes magicas, non qualescunque, sed ad eas duntaxat, quæ tam diuinis, quam humanis legibus prohibentur. est enim duplex Magiæ genus, uerum, & falsum. Vera magia est, quæ ex cognitione, & mutua applicatione naturalium uirtutū, inuicem agentium & patientium, docet res admirabiles, quæ naturæ miracula appellantur, operari. de hac Philo in libro De specialibus legibus, *VERAM*, inquit, Magiam, hoc est Perspectiuam scientiam, per quam naturæ opera cernuntur clarius, ut honestam expetendamque non plebeij solum sectantur, sed etiam reges regum maximi, præsertim Persici, tam curiosi harum artium, ut regnare non liceat nisi cum Magis uersato familiariter. Hieronymus in caput Danielis secundum, *MAGI*, ait, sunt, qui de singulis philosophantur, nec malefici sunt, sed philosophi Chaldæorum. & ad artis huius scientiam reges quoque, & principes eiusdem gentis omnia faciunt. unde & Magi in saluatoris natiuitate primi ortum eius intellexerunt; & uenientes in Bethlehem adorauerunt eum. Iustinus Martyr in libro Quæstionum à gentibus positarum quæst. 24. & 26. asseuerat Apollonium Tyanæum magum ex peritia ueræ magiæ multa admiranda operatum, sic scribens: *APOLLONIUS* quidem, uir scientia naturalium facultatum præditus, consensuumque, & contrariarum affectionum, quæ in eis in sunt, ex ea arte operationes edebat, propter quod in omnibus operationibus ei necessaria erat materiæ accommodata assumptio; qua adiutrice id, quod absoluebatur, explebat. Hæc de uera Magia. Magia autem falsa & omnium artium fraudulentissima est, quæ ex dæmonum commercio aut uerè, aut apparetur operatur. huius autorem Augustinus refert fuisse Zoroastrem, Bactrianorum regem. Plinius Zoroastrem Persem, qui uicies centum millia uersuum de tota hac arte diligentissimè scripsit. Philo eius originem deducit ex uera magia, à maleficis hominibus adulterata, ac deprauata. Plinius censet eam, ex tribus artibus, quas etiam in se ipsam redegit, enatam, hoc est ex medicina, ex mathesi, siue astrologia diuinatoria, & religione enumerat quoque ex Hosthane, qui temporibus Alexandri Magni scripsit, magiæ species plures, nempe eam, quæ umbrarum, inferorumque colloquia promittit; & eam, quæ ex aqua, ex sphaeris, ex aere, stellis, pelui, lucernis, securibus, multisque aliis modis diuinare docet. Augustinus libro decimo de ciuitate Dei cap. nono magiam hanc ex sententia Porphyrij distinguit in Theurgiam, & Goetiam.

DTheurgia est inuocatio dæmonum beneficorum ad aliquod bonum conficiendum; quæ per quasdam consecrationes, & sacrificia fit. Goetia uerò, quæ & Necromantia, fit per coactionem mortuorum etiam inuocatione. hæc enim dicta sic est à plantæ, qui fit circa sepulcrum. Philo in libro superius citato addit his & tertiam speciem, quæ Pharmacia appellatur. hæc autem fit, cum aliquid alicui porrigitur sumendum ore, quod certis incantamentis amorem, uel odium, uel insaniam, uel mortem sit allaturum. Hæc omnia non solum diuinis edictis damnata sunt, sed legibus quoque antiquissimis Romanorum; apud quos multi sunt de Magia postulari; ut Apollonius Tyanæus apud Domitianum Cæsarem, & Apuleius apud Claudium Maximum, Africæ præfectum. Sunt qui per hos libros Curiosarum artium non solum magicos intelligant libros, sed omnia iudiciariæ astrologiæ uolumina, quæ in primitiua ecclesia non minus uerita fuere, quam magica; inducuntque huius rei testes Epiphanium, & Augustinum. quorum ille in libro De ponderibus & mensuris scribit, Aquilam, primum diuinæ scripturæ interpretem, non alia de causa fuisse à patribus ex ecclesia pulsum, nisi ob eam, quod geniturarum inspectionibus & natiuita-

Quid sit
Magia, &
à quo inuen-
ta.

tum diuinationibus uacaret: hic uerò, ut in calce enarrationis eius super psalmo 61. A
apparet, Mathematicum in ecclesia non recipit, nisi publica & solenni poenitentia
præmissa. Monemur demum hoc exemplo, uetustum esse morem apud Christianos
exurendi libros nefariæ doctrinæ, nec recens inuentum esse, sicut iniquè nostrorum
temporum hæretici conqueruntur. nam & hoc idem cæteris gentibus fuisse in usu,
testes sunt græcorum & latinorum historia: in quibus inuenitur, ut de cæteris fileam,
libros Diagoræ, & Protagoræ, qui nullos deos esse docerent, publicè ab Atheniensibus
combustos; itidemq; factum à Romanis de libris Numæ, in agro Petilij repertis,
quòd Romanorum numinum cultus dissoluere uiderentur. Vide infra in dictione Sen-
nacherib huius libri, & libro quarto in Iuliano, episcopo Celanensi, & in libri sexti
Annotationibus: ubi plurà habes de non legendis hæreticorum libris.

3 Esd. 3.

CVSTODVM Darij regis Schedulæ. Esdras in 3. libro refert has scripturas, B
uerba, & uerborum occasionem habuisse huiusmodi. Cùm Darius, Hystaspis
filius, post breuem in lecto quietem excitatus, non posset somnum reuocare, propo-
fuit tribus corporis sui custodibus quæstionem, Quid nam inter omnes humanas res
maximè uigeret? quam qui prudentius solueret, præmium obtineret secundam à re-
ge dignitatem. Tum illi cùm inter se aliquantulum taciti deliberassent, solutiones
suas regi obtulerunt, tribus separatim schedulis breuiter annotatas.

PRIMA FUIT, ΥΠΕΡΙΣΧΥΕΙ Ο ΟΙΝΟΣ, hoc est PRAEPOLLET VINVM.
SECUNDA, ΥΠΕΡΙΣΧΥΕΙ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ, id est PRAEPOLLET REX.

TERTIA, ΥΠΕΡΙΣΧΥΟΥΣΙΝ ΟΙ ΓΥΝΑΙΚΕΣ, ὑπὲρ δὲ πάντων νικᾷ ἡ Αληθεια, hoc est
PRAEVALENT OMNIBVS MULIERES; SUPER OMNIA VERO VINCIT VERITAS.
quam Zorobabel, regio inter Iudæos generè ortus, scripserat.

HAS CVM REX coram sapientibus suis in sequenti luce legisset, acclamatum est ab
omnibus præstare cæteris Zorobabelis sententiam; quæ Veritatem præferret solam in-
ter omnes mortales res immortalem atque perpetuam, nullisq; aut temporum iniu-
rijs, aut fortunæ mutationibus obnoxiam: Zorobabeli uerò tradita est potestas re-
giæ proxima, simul etiam facultas reducendi reliquias Iudaicæ captiuitatis in Iu-
dæam, & reædificandi sanctam urbem, & templum. Lege Esdras lib. 3. cap. 3. & Io-
sephum lib. 5. antiq. cap. 3.

CYRVS, Perfarum rex primus, hæc scripsisse dicitur, Diurnarum actionum
commentarios; (in quibus Esdras testatur inuentum esse à Dario rege edictum
de reducendis Iudæis in Palæstinam) Ad omnes Asiæ urbes pro liberatione gentis Iu-
daicæ, & sanctæ urbis instauratione edictum; Ad Sisehem, & Sarabasanam, Syriæ sa-
trapas, eiusdem argumenti epistolam unam, cuius exemplum affert Iosephus libro
undecimo Antiquitatum capite primo.

D



DANIELIS Propheta Somnialia, hoc est Scripta, in quibus D
traditur superstitiosa somniorum interpretatio, qualis ea est,
quam Artemidorus, Græcus autor, scripsit, Christianis in-
terdicuntur in decretis pontificiis causa uigesima sexta, quæ-
stione septima, capite NE OBSERuet IS. Diuus Athanasius
in Synopsi Danielis propheta apocryphum librum sine nomine
reprobat: quem alij hanc ipsam somniorum interpretan-
di artem esse putant; alij uerò Danielis supplementum, hoc
est Hymnum trium puerorum, Susannæ historiam, & dra-
conis Belei narrationem, reclamante tamen ipso Athanasio; qui auctarium illud in-
ter canonicas scripturas collocat, ac nominatim recenset.

DARIUS, Hystaspis filius, Perfarum & Medorum rex, scripsit ad Tatanain,
& Strabuzanam de instaurando Iudæorum templo epistolam unam, quæ habe-
tur 1. Esd. 6. Ad Tangaram, & Sambabam, magistrum equitum apud Samariam, epi-
stolam unam, eiusdem argumenti Iosephus libro undecimo.

DARIUS

ADARIUS, siue, ut Iosephus legit, Arius, Lacedæmoniorum rex, ad Oniarè, Si-
monis Magni filium, sacerdotem Hierosolymitanum, epistolas scripsit pro ineun-
da cum Iudæis societate; de quibus in epistola Ionathæ ad SPARTANOS, quæ habetur
1 Macc. 12.
primo Maccab. cap. 12. sic legitur: IAM PRIMVM missæ erant epistolæ ad Oniam,
summum sacerdotem, ab Ario, qui regnabat apud uos, quoniam estis fratres no-
stri, sicut scriptum continent, quod subiectum est, &c. Quale autem fuerit scri-
ptum hoc, siue epistolæ exemplar, ex historia Maccabæorum non habetur. sed extat
apud Iosephum libro 12. Antiq. capite 5. in hæc uerba.

Rex Lacedæmoniorum Arius Oniæ salutem.

INCIDIMVS in quandam scripturam antiquam, in qua inuenimus cognationem inter-
cessisse inter nostras origines; & nostrum quoque genus non esse alienum à posteris
B Abrahæ. æquum igitur est, ut, cùm fratres nostri sitis, petatis à nobis quæcunque
libuerit. idem nos quoq; faciemus; & res uestras, tanquam nostras, existimabimus,
nostras item uobiscum communes habituri. Demoteles est, qui has uobis reddit, li-
teras, in pagina quadrangula scriptas, & obsignatas aquilæ sigillo, draconem tenentis
unguibus. Valete. Olympiade 144.

DAUID, Isai Bethlehemitæ filius, rex Hierusalem, psalmodiarum autor, alia
quoque scripta emisit, de quibus in diuinis literis infra scripta habentur.

DESCRIPtio TEMPLI, hebraicè תבנית הַמִּזְבֵּחַ Thauith hecal, græcè uerò iuxta
LXX. interpretum editionem τὸ παράδειγμα τῆς οἰκῆς, hoc est Exemplar templi. hoc
quidem opere Dauid, spiritus sancti illustratione instructus, omnem structuram tem-
pli Hierosolymitani, quod Deo Maximo uouerat, Salomoni filio suo miro ordine, &
diuino profusartificio descripsit. testis est huius uoluminis autor sacrorum anna-
lium, hæc in 28. capite prioris libri scribens: DEDIT autem Dauid Salomoni filio
C suo descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum
in aditis, & domus propitiationis, nec non & omnium, quæ cogitauerat atriorum, & c.
& paulò post, OMNIA hæc uenerunt scripta manu domini ad me, ut intelligerem
uniuersa opera exemplaris. Huius descriptionis summa refertur tertio Regum sex-
to & secundo Paralipomenon tertio & quarto capite.

LAMENTATIO Dauidis, siue Lugubre carmen fuit super Saul, primū regem He-
bræorum, & Ionathan, filium eius; qui, in bello aduersus Palæstinos acriter decertan-
tes, infelicissimè ceciderunt. Initium carminis est, CONSIDERATO ISRAEL PRO-
HIS, QUI MORTVI SVNT, ET C. habetur etiam in 2. Samuelis capite primo.

EPISTOLA Dauid regis ad Ioab de necè Vriæ Ethei, uiri fortissimi, ac bello incli-
ti, cuius cùm rex uxorem Bersabeam furtiuo concubitu gravidam reddidisset, ueni-
tus, ne maritus crimen resciret, misit eum cum epistola diligenter obsignata ad Ioab,
totius militiæ præfectum, qui tum in Palæstinos regias copias eduxerat. summa ne-
rò epistolæ erat, ut instructo quamprimū aduersus hostes exercitu, Vriam ea in

D parte agminis collocaret, qua nosset acriorem pugnam instare, & fortissimum quen-
que hostium ex aduerso dimicare: ibique eum, reuocatis ac statim reductis militibus,
Palæstinatorum agminibus obruncandum desererent. Quod & Ioab, perlectis literis,
subito executus est, non sine sanguine cladeq; suorum; qui unā cum Vriā strenuè pu-
gnantes occubuerunt. sicq; Dauid, uir alioqui integerrimus, unius epistolæ dolo
prodicionem, cademq; uiri innocentissimi, ac de se potissimum benemeriti turpi
adulterio superaddidit; stragem militibus suis, fidissimis & nihil unquam tale com-
meritis, intulit; primogenitum suum ex Bersabee perdidit; omnemq; exactæ uitæ
gloriæ prodicionis, cædis, & adulterij labe deturpauit.

DESCRIPtio totius populi hebræorum, iussu Dauidis habita à Duce Ioab. hæc
est illa memorabilis descriptio Israelitici populi clade nobilitata. cùm enim Deus ul-
cisci uellet rebelles Israelitas, (qui, reiecto Dauide rege optimo, descenderant ad Se-
bam, filium Boeri, perditissimum hominem, qui seditionem & arma aduersus re-
gem commouerat) permisit Sathanæ, ut Dauidis animum superbia stimulis incitaret

N 3 ad re-

ad recensendam multitudinem populi sibi subditam. Misit igitur David ad id muneris obeundum Ioab, principem militiae; qui post decimum ferè mensem reuersus attulit librum descriptionis uniuersarum tribuum à Dan usque Bersabee. in quo descripta erant mille millia & quingenta septuaginta millia capita uirorum fortium, bello aptissima: hoc est, ex tribubus Israel mille millia & centum millia, & de tribu Iuda quadringenta & septuaginta millia. quanquam secundus liber Samuelis multo minorem summam annotauerit, quam hæc sit in primo annalium uolumine collecta, referens supputationem huius census fuisse mille millia & tercenta millia capita pugnatorum, uidelicet octingenta millia ex Israel, & quingenta millia ex Iuda. Censent Rabbinus hebræorum Ioab ducem, quod inuitus ad hunc censum, ut secundus liber Regum testatur, missus fuerit à Rege, maiorem summam, nimirum illam, quæ in libris annalium scribitur, uerissime collegisse, & alteram minorem summam, quam liber Samuelis commemorat, de industria regi obtulisse; ut ipsi, iam in superbiam elato, minorem præberet intumescendi occasionem. Post hanc igitur descriptionem Deus, graui ira commotus, sustulit peste subita ex his, qui descripti fuerant, septuaginta millia uirorum, omnes una die ab ex oriente Sole usque in uesperum: ultusque est huiusmodi uindictæ genere tam seditiosi populi iniustam defectionem, quam superbam regis arrogantiam; qui in ostentationem amplitudinis regni sui, ac multitudinis gentium, quas consilio suo, & uirtute bellica sibi subegerat, stulta quadam uanitate adductus præcepit censi capita omnium, qui suo imperio parerent. Hoc in loco nescio, quid in mentem uenerit Lyrano, uiro in sacris literis exercitatissimo, ut assereret Deum succensuisse Dauidi non tam ob animi elationem, quam quod iusserit haberi censum ritu & ordine planè diuerso ab eo, quem diuina lex sanxerat, iubens recensionem hanc fieri non per capitum & nomina enumerationem, & singulorum uirorum descriptionem, sicut fecit Ioab, sed per oblationem publicam pecuniæ deputandæ in usum tabernaculi; in qua quidem oblatione offerrent Deo singuli tam diuites, quam pauperes singulos dimidios siclos; quos cum leuitæ in unam fedactos numerassent, deprehendebant numerum uirorum esse duplum ad numerum siclorum, qui oblati fuerant. Videtur Lyranus hanc suam sententiam colligere, ex lege Moysis de recensendo populo conscripta in trigesimo capite Exodi: cuius quidem uerba, ut arbitror, sensum habent sententiæ Lyrani ex diametro pugnantem. hæc enim sunt: **QUANDO** tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli precium pro animabus suis domino; & non erit plaga in eis. hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen suum dandum. Quibus uerbis liquidum est Moysen non præcipere, ut ex oblationum collecta numerus filiorum Israel colligatur, prætermisissis eorum nominibus, ac particularibus descriptionibus, quæ per capita uirum, & nominatim fieri solent. immo iubet, ut prius, quam sicli exigantur, censores colligant nomina singulorum tam propria, quam familiaria, ac patriæ; eaque particulariter annotent, sicut in principio numerorum idem Moyses mandat his uerbis: **TOLITE** summam uniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum uirorum fortium à uigesimo anno, & supra, & paulo post, **RECENSERVNT** eos per cognationes, & domos, & familias, & capita, & nomina singulorum, sicut præceperat Moyses.

AD HÆC Athanasius in Synopsi affirmat, Dauidem scripsisse psalmorum tria millia; ex quibus amici regis Ezechiae solos quinquaginta & centum collegere, cæteris absconditis, ne ad uulgi notitiam peruenirent.

D E M E T R I V S Sother, Seleuci filius, rex Syriæ & Asiæ undecimus, scripsit epistolas quinque sacris insertas uoluminibus, uidelicet

AD NICANOREM, exercitus sui in Palæstina præfectum, epistolam unam, 2. Maccab. 14.

AD IONATHAN, Iudæorum pontificem, epistolam unam. 1. Maccab. 10.

AD VNIVERSAM Iudæorum reipub. epistolam unam. 1. Maccab. 10.

AD IONATHAN Iudæorum pontificem, & Iudæorum senatum epistolam unam, primo Maccab. undecimo.

AD

A AD LASTHENEM, cognatum suum, epistolam unam. 1. Maccab. xi.

CLARUIT anno ante Christum natum centesimo quadragesimo quarto.

D E V O R A T V S Liber, siue Τὸ Βιβλαρίδιον ἠνεωχμένον, id est Libellus apertus, quem græci quidam enarratores Τὸν βιβλον Κατεφαγόμενον, hoc est Librum deuoratum uocant, Ioannes in decimo Apocalypseos cap. describit his uerbis: **ET** uidi alium angelum fortem, descendentem de cælo, amictum nube; & Iris in capite eius, & facies eius, sicut Sol: & habebat in manu sua librum. & clamauit uoce magna, & locuta sunt septem tonitrua. & uox, quam audiui de cælo, dixit mihi, **ABI**, & accipe libellum apertum de manu angeli. & abij ad angelum: dixique illi, ut daret mihi libellum. & ait mihi, **ACCIPERE**, & deuora illum, & faciet amaricari uentrem tuum: sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel. & accepi libellum de manu angeli, & deuorauit illum: eratque in ore meo, tanquam mel, dulcis. & cum deuorassẽm illum, amaricatus est uenter meus, &c. Quæ quidem iuxta Arethæ sententiam sic

B exponuntur: Angelus fortis est Christus, magni consilij angelus, nube carnis nostræ indutus; Irim habens in capite, perpetuum diuinæ placationis testimonium; & faciem instar Solis, quia splendore gratiæ, & fulgore euangelicæ lucis totius orbis tenebras discussit, & omnium mortalium mentes lumine gloriæ suæ illustrauerit. Liber est infallibilis & exactissima omnium impiorum in mente Dei notitia, singula iniquorum nomina, actiones, scelera, supplicia, & statuta supplicij tempora conspiciens. hunc iubetur Ioannes petere, & accipere de manu angeli, ut cognitionem & ipse accipiat ærumnarum, & dolorum impij ecclesiæ Christi persecutoribus imminentium. nec iubetur simpliciter accipere, sed deuorare, hoc est, plenam rei cognitionem sumere, & in uisceribus cordis inscribere. Est autem dulcis in ore eius propter adeptionem cognitionis futurarum rerum: quæ sicut ab omnibus magno studio affectatur, & queritur; ita, dum primum acquiritur, magnam affert in principio delectationem. sed amarescit postea, cum in ventre digeritur: quia dum animo recogitat

C retributionem scelerum, quæ improbis, præsertim suæ gentis, hominibus referuntur misericordia erga eos, qui sua sunt perituri culpa, afficitur. sic Paulus, Apostolus flebilem Iudæorem lapsus mente reuoluens, dicebat: **TRISTITIA** mihi est magna, & continuus dolor cordi meo. optabam enim ego ipse anathema fieri pro fratribus meis tantum ne illi interirent, & à diuina gratia exciderent. Aliter iuxta Bedam Liber apertus reuelationem prophetiæ, quam Ioannes accepit, significat: hæc fuit in ore eius dulcis: quia dum eam perciperet, diuini colloquij dulcedinem gustauit, sed in amaritudinem uersa est, dum prædicare, quæ audierat, & ob prædicationem tribulationes pati cœpit. quamuis enim prædicatio illi fuerit ex amore dulcis, fuit tamen ex tolerantia persecutionis amara. Aliter secundum Ambrosium Liber apertus est diuinæ scripturæ uolumen: quod cū prius esset septē sigillis obsignatū, nunc per gratiam Christi doctoribus ecclesiæ apertū est. Hic igitur liber dum deuoratur, ut mel dulce, describitur: quia diuina scriptura dum auditur, legitur, & attenta meditatione tractatur, melle dulcior in cogitatione efficitur; sed tunc primum amaritudo eius sentitur, cum opere explere incipimus, quod didicimus. quanto enim amplius meditationi diuinæ scripturæ dediti sumus, quantoque eius meditatio nostræ menti dulcior est; tanto maiorem amaritudinem carni nostræ exhibere debemus, affligentes eam ieiunijs, uigilijs, & abstinentia uitiorum.

D E V S Opt. Maximus, pater D. N. Iesu Christi, & uniuersi conditor, postquam eduxit populum Hebræorum de Aegypto in solitudinem Arabiæ, accersit ad se Moysen in uertice montis Sina: quo in loco dedit ei per angelos compendium, & summarium legum omnium, tam ad diuinum cultum, quam ad humanam conuersationem pertinentium, decem capitibus distinctum, & in duabus lapideis tabulis manu sua extructis, digito suo uiuo ex utracque parte hinc & inde, in fronte & à tergo conscriptum. has cum Moyses accepisset, de monte Sina descendit: & cum iam castris hebræorum appropinquans, uidisset populum sacrificantem uitulo aureo, execratus rei indignitatem, tabulas, quas in manu habebat, præ nimia indignatione solo illisit, ac confregit. deinde iussu Dei alias duas tabulas lapideas, prioribus perfimiles,

Isa. 32. *

per similes; aptavit: quas cum iterum conscenso monte Sina ad Deum attulisset, **A**
Exod. 34. a Deus rescripsit in eis eadem legis capita, quae in prioribus tabulis fuerant, praecipiens
 Moyse, ut eas in arca foederis reponeret. quod & Moyses fecit, collocans, ut ait Pau-
Hebr. 9. a lus, una cum ipsis in eadem arca urnam auream manna repletam, & uirgam Aaronis,
 quae olim fronderat; ut his tribus potissima iudaica ingratiitudinis monumen-
 ta conseruaret, nimirum, ut per manna transmitteret ad posteros insatiabilem Iu-
 daeorum ingluuiem: qui cum olim Manna in deserto alerentur, aduersus Deum mur-
 murarunt, eumque exacerbarunt. per Aaronis autem Virgam innotesceret futuris
 saeculis, qua animi insolentia, & contumacia summo pontifici diuinitus electo ob-
 stitissent. per Tabulas uero legis, Iudaeos in perpetuum coargueret infidelitatis, & in-
 constantiae; ob quorum execrabilem uituli adorationem priores tabulae, illis poste-
 rioribus tabulis confimiles, fuerant a Moyse irato attritae. Caterum post mortem
 Moysis, amotis ex arca Aaronis uirga & mannae urna, eisdemque in tabernaculum una
 cum uolumine legis Mosaicae reconditis, solae in ea tabulae remanserunt. nam, cum **B**
3 Reg. 8. a arca a Salomone induceretur in templum, solas tabulas in ea fuisse tertius liber Re-
 gum testatur his uerbis: IN ARCA autem non erant nisi duae tabulae lapideae, quas
 posuit in ea Moyses in Oreb, quando pepigit foedus cum filiis Israel. Has ta-
 bulas mille fere & quadringentis annis, postquam conditae fuerant, Ieremias pro-
2 Mac. 2. pheta, quemadmodum in secundo uolumine Maccabaeorum refertur, in deusta-
 tione Hierosolymitanae urbis diuinitus admonitus de templo apprehendit, & una cum
 ipsa arca asportari iussit in montem Nebo, e regione urbis Hierico; in quo Moyses
 moriturus ascendit, ibique eam in profunda spelunca, nulli hominum cognita, ab-
 didit; praedicens tabulas illas iterum sub finem saeculi reducendas in lucem, cum
 uniuersus populus Iudaeorum conuerteretur ad Christum. Tradunt quidam has ta-
 bulas tempore ultimi Hierosolymitani excidij sub Romanis imperatoribus in templo
 Dei fuisse, indeque a Tito Augusto inter caetera captae urbis spolia in triumphum
 allatas. quibus astipulatur simulacrum Iudaici triumphij, Romae in arcu marmo- **C**
 reo Titi imperatoris exculptum: ubi inter alia gestantium fercula geminae legis
 tabulae una cum arca foederis, & aureo candelabro spectantur. At Iosephus, qui
 pompam illius triumphij luculenter descripsit, tantum meminit candelabri aurei,
 mensae aureae, & uoluminis Mosaicae legis; tabularum uero nihil prorsus. Philo,
 & Iosephus tradunt in utraq; harum tabularum quina legum capita fuisse inscripta.
 IN PRIMA erant praecipua quinque potiora, & nobiliora.
 QVORVM PRIMVM fuit, De monarchia unius Dei, siue de uno tantum Deo
 colendo; quod incipit, EGO SVM DEVS TVVS.
 SECYNDVM De statu, simulacris, & id genus manufactis operibus omnino
 reiiciendis.
 TERTIVM De non assumendo in uanum Dei nomine.
 QVARTVM De religiosa obseruatione diei septimae.
 QVINTVM De parentibus honorandis. **D**
 SECYNDVM uero tabula, alterum quinarium rerum interdictarum con-
 tinebat.
 QVARTVM PRIMA iuxta Philonem erat, NON MOECHANDEM; sed iuxta
 Iosephum, & hebraicam ueritatem prima erat, NON OCCIDENDVM.
 SECYNDVM iuxta hebraicam ueritatem erat, NON MOECHANDEM; iuxta Phi-
 lonem, NON OCCIDENDVM.
 TERTIA fures cohibet.
 QVARTA falsos testes uetat.
 QVINTA reprimit concupiscentiam, malorum omnium fontem.
 CHRISTIANI uero harum tabularum praecipua alio ordine diuidunt,
 nam Origenes homilia octaua in Exodum, & Athanasius in Synopsi putant in prima
 tabula fuisse quatuor tantum praecipua, ad diuinum cultum spectantia: hoc est,
 primum De adoratione unius Dei, secundum De imaginibus non habendis, ter-
 tium De nomine Dei non abutendo, quartum De Sabbato. in secunda uero ta-
 bula

A bula reliqua sex praecipua ad dilectionem proximi necessaria. Rursum Augustinus,
 & aliqui ex latinis patribus haec utriusque tabulae praecipua partiuntur in trinarium,
 & septenarium numerum: affirmantque in prima quidem tabula fuisse ante omnia
 praecipua praepositum breue totius legis praecipuum, nempe illud, EGO SVM DEVS TVVS: quod Hebraei primum esse legis praecipuum putant. cui praecipuo haec tria
 praecipua subnectunt, ad cultum Dei pertinentia:
 QVORVM PRIMVM est, Non habebis deos alienos.
 SECYNDVM, Non assumes nomen Dei in uanum.
 TERTIVM, De Sabbato.
IN SECYNDVM uero tabula digerunt haec septem praecipua:
 QVORVM PRIMVM est De honore parentum.
 SECYNDVM De homicidio uitando.
 TERTIVM uetat adulterium.
B QVARTVM prohibet furtum.
 QVINTVM testes falsos.
 SEXTVM, quod omnem concupiscentiam prohibet, quodque apud hebraeos
 unum tantum est, & decimum locum in decalogo continet, Augustinus in duo di-
 stinguit, hoc est, in Interdictum prohibens concupiscentiam diuitiarum, quod qui-
 dem est sextum praecipuum, & in Interdictum concupiscentiae carnis, quod septimo
 & ultimo loco numeratur.
 APPELLAVIT autem Moyses has tabulas לוחות הברית Luchoth hahedoth, hoc est
 Tabulas testimonij; & Paulus similiter τὰς πλάκας τῆς διαθήκης, id est Tabulas te-
 stamenti, uel pacti, quia scripsisset eas Deus in testimonium sempiternum pacti il-
 lius celeberrimi, quod secum inerat Hebraeorum gens in monte Sinai, quando co-
 ram uniuersa multitudine Iudaeorum pollicenti Deo, quod ex omnibus gentibus
 terrae habiturus esset populum Israel in proprium peculium, & in regnum sacerdotale,
 & in gentem sanctam sibi uni maxime commendatam, si uocem eius audirent,
 & propositae legis pacta seruarent, respondit omnis populus unanimi clamore: **C**
 CYNCTA, QVAE LOCVTVS EST DOMINVS, FACIEMVS. Tunc, praestito utrinque
 consensu, & pactis ex utraque parte confirmatis, conditiones initi foederis lapideis
 tabulis ad perpetuam facti memoriam Deus Opt. Max. digito suo uiuo insculpsit
 anno ab orbe condito bis millesimo quadringentesimo & quinquagesimo quarto,
 ante Christi uero aduentum millesimo quingentesimo septimo.
D EUTERONOMION Altari insculptum, cuius mentio est in octauo ca-
 pite libri Iosue, hac occasione scriptum fuit. Cum populus Iudaeorum adhuc
 esset in caespitibus Moab trans Iordanem, primum praecipit ei Moyses, ut, cum
 ingressus esset in terram promissam, edificaret in monte Ebal altare ex saxis ma-
 gnis, integris, informibus, & impolitis, quae ferrum non attigisset, calce inuicem
 coniunctis: deinde pulchre & diligenter in ipsis sculperet omnia uerba decalogi,
 adiectis undecim maledictionibus, quae uigesimo septimo capite Deuteronomij le-
 guntur. quibus conscriptis, mandauit idem, ut Leuitae alta uoce maledictiones illas
 intonarent, & uniuersus populus, ad singulas respondens, acclamaret, AMEN.
 Cum igitur Iosue, transgressus Iordanem, terram Chananzorum occupasset anno
 quinto post mortem Moyse, extruxit altare domino in monte Ebal: scripsitque in la-
 pidibus altaris, מִשְׁנֵה תּוֹרָה Miscnae Thora, hoc est Summarium illud legis; quod
 IXX. interpretes uerterunt Δευτερονόμιον, id est Secundam legem, seu repetitio-
 nem legis: atque una cum hoc summario maledictiones illas, ut Iosephus testatur,
 conscriptas reliquit, anno ab orbe condito bis millesimo quadringentesimo nona-
 gesimo septimo.
D IARIVS regum Mediae, & Persiae, seu ספר דברי הימים למלכי מדי ופרס Se-
 pher diurehaiamim lemalche Madai u. Phares, id est Liber uerborum die-
 rum regum Medorum, & Persarum, significat annales, in quibus acta diurna regum,
 seruata temporum ratione, breuiter annotabantur, & apud Babylonios in publica
 urbis Ecbathanae bibliotheca seruabantur. in his testatur Esdras studio Darij, Per-
 sarum

farum regis, inuentum esse decretum quoddam Cyri, regis Persarum, de reducendo populo Iudaico in Iudæam, & reedificando templo Hierosolymitano sumptibus & expensis ex regia Persarum regum paratis. In his etiam refert autor libri Esther fuisse descripta Assueri, siue Artaxerxis regis Persarum gesta, præcipue uero eius erga Iudaicam gentem immortale beneficium; quo uniuersum hebræorum genus, per omnes urbes regni sui una die trucidandum magnificè liberauit, sumpta ultione de inimicis ipsius.

DIONYSIUS, cognomento Areopagita, (quem Lucas Actuum 17. capite scribit Paulo in Areopago Athenarum concionanti unâ cum muliere Damari, ac plerisque aliis credidisse) ecclesiæ Atheniensis, ut Eusebius libro 3. historiæ scribit, summum sacerdotium obtinuit; ut autem Beda in commentariis apostolicorum actuum refert, Corinthi episcopus fuit. Hic diuinæ & in mysteriis absconditæ sapientiæ admiranda uolumina græco & sublimi eloquio doctissimè conscripsit. de quibus quæ græcè & latinè extant, hæc sunt:

DE Cœlesti, siue angelica hierarchia ad compresbyterum Timotheum, liber unus.

DE Ecclesiastica, siue sacerdotali hierarchia ad compresbyterum Timotheum liber unus.

DE Diuinis nominibus ad compresbyterum Timotheum, liber unus.

DE Mystica theologia ad Timotheum compresbyterum, liber unus.

AD Caium Monachum, epistolæ quatuor.

AD Dorotheum ministrum, epistola una.

AD Sosipatrum sacerdotem, epistola una.

AD Polycarpum summum sacerdotem, epistola una.

AD Demophilum Monachum, epistola una.

AD Titum summum sacerdotem, epistola una; quam Tritemius recenset sub titulo libri **D**E SYMBOLICA THEOLOGIA.

AD Ioannem apostolum & euangelistam, epistola una.

AD Apollophanem philosophum, epistola una.

QUAE uero nunc desiderantur, ab ipso Dionysio in supradictis lucubrationibus commemorata, opera hæc sunt:

LIBER Diuinorum hymnorum, allegatus cap. 7. cœlestis hierarchiæ.

LIBER Symbolicæ theologiæ, citatus cap. 15. cœlestis hier. & cap. 1. & 13. diuinorum nominum, & cap. 3. mysticæ theologiæ, & 9. epistola ad Titum.

LIBER de intelligibilibus & sensibilibus, citatus capite primo & secundo ecclesiasticæ hierarchiæ.

LIBER de legali, siue sacerdotali hierarchia, citatus cap. 3. eccles. hier.

LIBER Theologicarum hypotiposeon, citatus cap. 1. & 2. diuinorum nominum, & cap. 3. Mysticæ theolog.

LIBER de angelicis proprietatibus, citatus cap. 4. diuinorum nominum.

LIBER de anima, citatus capite quarto diuinorum nominum.

LIBER de diuino iustoque iudicio, citatus cap. 4. diuin. nominum.

HIS addit Tritemius De obitu Pauli ad Timotheum epistolam unam; cuius exemplar à Iacobo, archiepiscopo Genuensi, in uita Pauli recitatur.

THOMAS, presbyter cardinalis S. Xysti, in commentariis Actuum apostolorum, & tertii libri Regum opinatur Dionysium Areopagitam nihil omnino ex supra memoratis scriptis reliquisse, inductus aliquot, ut ipse iudicat, non leuibus coniecturis: quibus cum longè ante ipsum per alios adductis plenissimè satisfecerint Anastasius Bibliothecarius, Ioannes Scotus, Ioannes Saracenus, Dionysius Charthusianus; Ambrosius Camaldulensis, Marfilus Ficinus, ac plerique alij eruditissimi uiri; superfluum esset eandem rursus telam retexere. Agnouit; ac uenerata est prædicta opera, tanquam ueros ac proprios Dionysij fetus, concilium tertium Constantinopolitanum annis abhinc supra nongentis; in cuius actis horum testimonia sub nomine sanctissimi Dionysij Areopagitæ pluries ad confutandos hæreticos inducuntur.

DOMINI

A DOMINI Liber, hebraicè ספר יהוה Sepher Iehoua, citatur ab Esaia cap. 34. his uerbis: REQUIRITE diligenter in Libro domini, & legite: unum ex eis non desuit; alter ad alterum non quæsiuit. quia quod ex ore ipsius procedit, ille mandauit; & spiritus eius ipse congregabit ea. Per hunc librum quidam intelligunt librum Moyfi, quidam librum naturæ: sed sanior sensus est, quod Esaia per Librum domini prophetiarum suarum librum intelligit, quasi dicat: Commendatus sit uobis liber hic; & cum euenerint uobis, quæ uentura pronuncio, quærite, & occurrent uobis omnia in hoc libro iussu domini, ex spiritu oris eius excepta. Colligunt quidam ex uerbis illis mysterium trinitatis. Filius enim significatur per os; pater uero, cum additur ipsius, quod hebraicè scribitur אלהים, & apud Rabbinos nomen Dei excellentissimum reputatur: at spiritus sanctus exprimitur per ipsam spiritus dictionem.

B DOMVS Israel Scriptura catalogum, & canonem sanctarum scripturarum designat, in quo uaticinia & scripturæ falsorum prophetarum non habent locum, sicut aperte Deus per Ezechielem testatur cap. 13. iniquiens: ET ERIT manus mea super prophetas, qui uident uana, & diuinant mendacium. in concilio populi mei non erunt; & in scriptura domus Israel non scribentur. uel alio modo, Scriptura domus Israel est catalogus electorum apud Deum in libro sempiternæ prædestinationis digestus, in quo nullus scribitur impius, ac reprobus.

E



EPIMENIDES Cretensis, patria Gnosius, philosophus & poeta uetustissimus, templi Mithræ, siue Solis in Creta sacerdos, scripsit librum περι των χρησμων, hoc est ORACULORVM titulo prænotatum; in quo de oraculis & responsis, futura prænunciantibus, disseruit. ex hoc apostolus Paulus contra falsos Cretensium doctores sumpsit testimonium, ut eos proprii doctoris autoritate conuinceret, sic ad Titum, Cretæ episcopum, scribens: HVIVS REI gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas. . . . Sunt enim multi inobedientes, uaniloqui, & seductores, maximè qui de circuncisione sunt; quos oportet redargui, qui uniuersas domos subuertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta,

ΚΡΗΤΗΣ ἀνὴρ ψεύσατο, κακὰ ἐλάλει, γοῖς ἐπέεσσι ἀργαῖς. hoc est,

CRETENSES semper mendaces, mala bestia, uentre pigri.

Testimonium hoc uerum est. ob quam causam increpa illos acriter. Hæc Paulus.

D loquitur: SVNT QUI putent hunc uersum de Callimacho Cyrenensi poeta sumptum; & aliqua ex parte non errant: siquidem & ipse, in laudibus Iouis aduersus Cretenses scriptitans, qui sepulcrum eius se ostendere gloriabantur, ait, CRETENSES semper mendaces, qui & sepulcrum eius sacrilega mente fabricati sunt. Verum, ut supra diximus, integer uersus de Epimenide poeta ab Apostolo sumptus est: & eius Callimachus in suo poemate usus est exordio. Hæc Hieronymus. cui Augustinus in libro 2. contra aduers. leg. & proph. subscribit, eundem uersum Epimenidi attribuens.

Chrysostomus uero, fusius explicans huius carminis occasionem, in sermone 37. epistolæ ad Titum hæc scribit: QVIS ILLE, & unde fuerit, qui hoc dixerit, necessario ad uos dicendum est. Epimenides hic est, qui hoc protulit, Cretensis & ipse. ea est autem huius dicti occasio. Cretenses sepulcrum habent Iouis ita inscriptum:

Ἐρῆδε Κεῖται ὁ Διὸν ἐπικαλοῦσι. hoc est,

Hic iacet, quem Iouem appellant.

Propter hanc igitur inscriptionem poeta, eos mendacij perstringens, ait:

ΚΡΗΤΗΣ ἀνὴρ ψεύσατο, κακὰ ἐλάλει, γοῖς ἐπέεσσι ἀργαῖς.

Τὸ πρῶτον εἶπε Κρήτες ἐρετυήσαντο :

Σὺ δὲ ὁ βέλεις, ἕσσι γὰρ ἄ. 1. hoc est,

Cretenses semper mendaces, malæ bestia, uentres pigri.

Etenim sepulcrum, ὁ rex, Cretenses fabricati sunt tuum :

Tu autem minime obiisti : semper enim uiuis.

CELSUS Epicureus in libris ueridici sermonis, quos edidit, contra Christianos dixit ea, quæ Cretenses de Iouis apud ipsos sepulcro narrant, mysteriū continere, & iuxta allegoriam oportere intelligi. cui contradicens Origenes in 3. aduersus eum uolumine simul & hos uersus Callimacho, aliquibus super additis, attribuens, hæc scribit: **CALLIMACHVS** Cyrenæus cum infinita poemata perlegisset, percurrissetq; græcam ferè omnem historiam, nihilq; prorsus de Ioue, & eius sepulcro mysticè dictum intellexisset; Cretenses disticho quodam, quod in Iouis laudem scripsit, inculcat, sic inquit:

O Iuppiter, te quidem in Idæis montibus natum homines ferunt;

Te, inquam, & in Arcadia ortum dixere pleriq; :

Vtr'nam istorum, ὁ pater, mentiuntur?

Cretenses, semper mendaces, sepulcrum tibi, ὁ rex, condiderunt:

Tu uerò mortem nondum obiisti : es enim æternè permansurus.

EPIPHANIUS libro 1. Panarij asserit omnes hos uersus esse Epimenidis, sed ex his Callimachum sibi postremos duos usurpasse, ueluti approbatum aduersus Cretenses testimonium. Hieronymus occurrens quibusdā, qui huius testimonij gratia Paulum calumniabantur, in loco iam citato hæc addit: **PIVANT** quidam Apostolum reprehendendum, quòd imprudenter lapsus sit; & dum falsos doctores arguit, illum uersiculum comprobabit; quòd propterea Cretenses dicunt esse fallaces, quòd Iouis sepulcrum inane construxerint. Si enim, inquit, Epimenides, siue Callimachus propterea Cretenses fallaces, & malas bestias arguunt; & uentres pigros, quòd diuina non sentiant; & Iouem, qui regnet in cælo, in sua insula fingant sepultum; & hoc, quod illi dixerunt, esse uerum, Apostoli sententiā comprobatur: sequitur Iouem non mortuum esse, sed uiuum. Imperitè igitur Paulus, idololatriæ destructor, dum aduersus peruersos doctores agit, deos, quos impugnabat, asseruit. Quibus breuiter respondendum est, Sicut in eo, quod ait, **CORRUMPUNT MORES BONOS, COLLOQUIA PRAUA, & in illo, IPSIUS ENIM, ET GENVS SVMVS**, non statim totam Menandri comædiam, & Arati librum probauit: sed opportunitate uersiculi abusus est: ita & in præsentī loco non totum opus Callimachi, siue Epimenidis (quorum alter laudes Iouis canit, alter de oraculis scriptitat) per unum uersiculum confirmauit; sed Cretenses tantum mendaces uitio gentis increpauit; non ob illam opinionem, qua sunt arguti à poetis, sed ob ingenitam mentiendi facilitatem de proprio eos gentis autore confutauit; & ut sciamus Apostolum, non fortuito & transitorio, sed consideratè & circumspectè, & ex omni parte se protegentem aduersus Cretenses locutum: **TESTIMONIUM**, inquit, **HOC VERVM EST**, non totum carmen, de quo testimonium sumptum est, non uniuersum opus, sed hoc tantum testimoniū, hic tantum uersiculus, quo mendaces uocantur. Hæc Hieronymus.

CELEBRIS factus est hic uersus in scholis dialecticorum ex syllogismo, qui uocatur, **Ψευδόμενος**, id est Mentiens. in cuius exemplum hic uersus à sophistis adducitur hoc modo: Aut Epimenidis carmen uerum est, aut falsum: si uerum; Cretenses ergo non sunt mendaces, quia Epimenides, autor carminis, Cretensis fuit: si falsum; igitur Cretenses mendaces non sunt.

DIODEGENES Laertius scribit Epimenidem hunc, cum adhuc iuuenis esset, missum aliquando à patre, ut ouem è rure deferret; & cum meridiano tempore ex itinere in speluncam diuertisset, quinquaginta & septem annos ibi perpetuo somno quieuit. deinde excitatus, cum parum se dormiisse putaret, ouem iterum quæsiuit: quam cum non inuenisset, in agrum rediit. ubi cum rerum omnium faciem immutatam cerneret, stupore attonitus & cunctabundus reuersus est in oppidum. Ibi enim domum suam uellet ingredi, quis nam esset interrogatus, uixq; agnitus à iuniore fra-

tre,

A tre, iam fene, omnem ex illo didicit rei ueritatem. Porro illius fama, per Græciam uolante, dijs charissimus existimatus est, summoq; semper apud Athenienses in honore uixit usque ad annum ætatis suæ centesimum quinquagesimum septimum; mirrauitque è uita olimpiade quinquagesima, hoc est anno ante Christi ortum 750.

ESAIAS, filius Amoz, propheta, scripsit librum de gestis ab Ozia rege Hierosolymitano; cuius habetur mentio in uigésimo sexto capite posterioris libri Paralipomenon. in cuius etiam 32. capite commemoratur Visio quædam Esaiæ, continens sermones & misericordias Ezechia, regis Iuda: quam quidem haud dubium est eam esse, quæ in libro Esaiæ à trigésimo sexto usque ad quadragesimum caput longo sermone describitur.

IDEM **QVOQVE** Esaias, ut Rabbi Moses Kimchi ex sententiâ Iudæorum annotauit in libro Viarum linguæ sanctæ, scripsisse fertur librum Prouerbiorum, Ecclesiasten, & Cantica canticorum, quæ sub nomine Salomonis in diuinis scripturis habentur.

B **HAERETICI** sub nomine Esaiæ librum commenti sunt, qui inscribitur **ANAVASIS**; id est Ascensus; cuius mentionem facit Epiphanius in secundo Panarij his uerbis: **HERAX**, multa nugans de Melchisedech, quem dicit esse spiritum sanctum, nititur id confirmare ex ascensione Esaiæ, nimirum uelut in **ASCENSORIO** appellato uolumine ille dixit, nempe, **OSTENDIT** mihi angelus obambulans coram me, & mihi dixit, Quis est ille ad dexteram Dei? & dixi, Tu nosti domine. & ait, Hic est unigenitus ille dilectus. & Quis est alter similis ei à sinistris? & dixit, Tu cognoscis: hic est sanctus spiritus, qui loquitur in te, & in prophetis. & erat similis unigenito. Et ex hoc testimonio confirmat Melchisedech esse spiritum sanctum, quia, ut ait Paulus, assimilatus filio Dei manet sacerdos in æternum. Hæc eadem scriptura apud Archonticos hæreticos fuisse in usu idem testatur Epiphanius libro primo Panarij. Hieronymus in caput Esaiæ 64. edisserens illud Esaiæ, **A SAECVLO NON AVDIERVNT, NEQVE ACCEPERVNT, ET C.** ait: **ASCENSIO** Esaiæ, & Apocalypsis Helia hoc habent testimonium, & per hanc occasionem Lusitanæ deceptæ sunt mulierculæ, oneratae peccatis. Origenes in Matthæi caput 13. citat Esaiæ Apocryphum, in quo narratur Esaiam à populo suo in partes crudeliter dissectum interiisse.

C **EXTAT** Visio quædam, titulo Esaiæ, Venetijs impressa, cuius hæc est inscriptio, **VISIO** admirabilis Esaiæ prophetae in raptu mentis, quæ diuinæ trinitatis arcana, & lapsi generis humani redemptionem continet.

ESDRAS, qui in primo sacrorum annalium uolumine Iosedech sacerdos ap- ^{4 Esd. 14.} pellatur, & ab Hebræis Malachias, ultimus prophetarum esse putatur. hic cum esset de captiuitate Babylonis reuersus, afflante spiritu Dei, dictauit de his, quæ in sacrosanctis scripturis in excidio Hierosolymitano incensis continebantur, libros quatuor & ducentos; quos ab ore eius quinque uelocissimi scribae, per continuos quadraginta dies excipientes, in tabellis buxeis descripserunt. ex his Esdras centum & uiginti sex passim euulgauit; reliquos uerò, secretiore sapientia, & sublimiore scientia elaboratos, solis sapientibus, ac doctioribus legis peritis maiori cura; & solertiori studio occultè legendos seruauit. Meminit horum librorum ipsemet Esdras in quarto suarum uisionum uolumine, capite quartodecimo his uerbis: **QVONIAM, O DOMINE**, lex tua incensa est, & propter hoc nemo scit, quæ à te facta sunt: si inueni in te gratiam, immitte in me spiritum sanctum, ut scribam omne, quod factum est in sæculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta. Et respondit ad me, & dixit, **VADE**, & congrega populum, & dices ad eos, ut non quærant te diebus quadraginta. Tu autem prepara tibi buxos multos, & accipe tecum Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Asiel, quinque hos, qui parati sunt ad scribendum uelociter; & uenias huc; & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non extinguetur quoad usque finiantur, quæ incipias scribere: & tunc perfectis, quædam palam facies, quædam sapientibus absconsè trades. Et accepi quinque uiros; sicut mandauit mihi dominus; & profecti sumus in campum, & mansimus ibi. & factus sum in crastinum; & ecce uox uocauit me, dicens, **ESDRA** aperui os tuum, & bibe, quo te potaero. Et aperui os meum; & ecce calix plenus

O 3 porri-

porrigebatur mihi. hoc erat plenum, sicut aqua; & color, ut ignis. & accepi, & bibi. & cum bibissem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increfcebat sapientia. nam spiritus meus conseruabatur memoria. Et apertum est os meum, & non est clausum amplius. Altissimus dedit intellectum quinque uiris, & scripserunt, quæ dicebantur, excessiones noctis, quas non sciebant. Nocte autem manducabant panem: ego autem per diem loquebar, & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor. & cum completi essent quadraginta dies, dixit ad me altissimus: PRIORA, quæ scripsisti, in palam pone, & legant digni & indigni: nouissimos autem septuaginta conseruabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo. in his enim est uena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic.

PICVS, Mirandulæ comes, Apologiæ suæ quæstione quinta asserit his septuaginta posterioribus libris contineri uniuersam illam secretiorem diuinæ legis expositionem, quæ à Iudæis קבלה KABALA, hoc est Receptio appellatur. est autem Kabala secretior diuinæ legis expositio, ex ore Dei à Moyse recepta, & ex ore Moyse à patribus per continuas successiones non quidem scripto, sed uiua uoce suscepta; quæ similitudinem habet eius expositionis, quam nos Anagogicam nominamus, cæteris idcirco sublimiorem, quia sursum nos ducat à terrenis ad cœlestia, à sensibilibus ad intelligibilia, à temporalibus ad æterna, à corporeis ad spiritualia, ab humanis ad diuina. Horum itaque septuaginta uoluminum originem & occasionem idem Picus ex sententia Rabbi Mosis Aegyptij refert his penè uerbis: CVM MOSES montem Sina ascendisset, duplicem à Deo legem accepit, unam literalem, quam ipse literis exaratam ex præcepto Dei omnibus Iudæis euulgauit; alteram spiritualem, quam, ita iubente Deo, non scripsit, sed solis septuaginta sapientibus, quos ipse sibi ad custodiam legis delegerat, occultè communicauit: eisque itidem præcepit, ne eam scripto proderent, sed successoribus suis uiua uoce reuelarent; tum & illi posteris suis, eodem in perpetuum seruato ordine, aperirent. Quòd autem Deus Moyse præter legem scriptam aliam legem spiritualem, siue mysticam eiusdem legis scriptæ expositionem separatim reuelauerit; testes sunt Esdras, Paulus, Origenes, & Hilarius. ex quibus Esdras libro quarto in principio quarti decimi capitis introducit Deum, sic ad se loquentem: REVELANS reuelatus sum Moyse super rubum, quando populus meus seruibat in Aegypto; & adduxi eum super montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis: & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta & finem: & præcepi ei, dicens, HÆC in palam facies uerba, & hæc abscondes. Esdras subscribens Origenes, cum exponeret illud ad Romanos, QVIA CREDITA SVNT ILLIS ELOQVIA DEI, dixit Iudæis à Deo non solum creditas fuisse literas, sed & eloquia Dei. Ex quo Origenis dicto indicatur præter literalem legem aliud quid traditum fuisse Iudæis, quod hinc uocat Paulus Eloquia Dei. sed & Hilarius in expositione psalmi secundi hoc idem apertius testatur, inquiens: ERAT autem iam à Moyse antè institutum in omni synagoga septuaginta esse doctores. nam idem Moyse quamuis ueteris testamenti uerba in literis condidisset; tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimauerat: cuius doctrinæ etiam dominus in euangelio meminit, dicens, SVPER cathedram Moyse sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint uobis, seruate, & facite: secundum autem opera eorū nolite facere. Doctrina ergo horum mansit in posterum; quæ, ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum numero & seruitio conseruata est. Hæc Hilarius. Cum igitur usque ad tempus Babylonicæ captiuitatis nihil de hac secretiori expositione scriptum esset; Esdras post urbis reedificationem, & legem à se restauratam uoluit huiusmodi kabalisticam explanationem literarum monumentis mandari, ne fortè perderetur propter captiuitates, & dispersiones Iudæicas; in quibus seruari non poterat ordo; & prisca consuetudo tradendi Kabalam per manus. accitis ergo ad se fidissimis notarijs, redegit omnia Kabalæ mysteria in libros LXX. iuxta numerum septuaginta seniorum synagogæ, solis sapientibus in posterum

A sterum communicandas. Hos ergo libros, summa impensa mihi coemptos, cum diligenter perlegerem; inueni in eis multa, immo penè omnia consona fidei nostræ, quibus Christiani Iudæos suis telis confodiant: apud quos autoritas Kabalistarum in magno honore, & reuerentia est. Hæc igitur Kabala est, de qua credo me primum apud Latinos explicitam fecisse mentionem. Hucusque Picus.

CAETERVM, quia ex decreto sanctæ Romanæ Inquisitionis omnes libri, ad Kabalam pertinentes, nuper damnati sunt; sciendum est, duplicem esse Kabalam, alteram ueram, alteram falsam. Vera & pia est, quæ, ut iam diximus, arcana sacre legis mysteria iuxta anagogen elucidat: quam quidem in tertio huius operis uolumine ostendemus necessariam ad diuinæ scripturæ interpretationem, producentes aliquos ex illustribus tam Græcis, quam Latinis expositoribus, qui ea in explanationibus suis utuntur. hanc ergo nunquam damnauit ecclesia. Falsa atque impia Kabala est ementitum quoddam Iudaicæ traditionis genus, quod improbi quidam Iudæi à Moyse ex patribus usque ad ipsos emanasse dicunt, innumeris uanitatibus ac falsitatibus refertum, nihil, aut parum à Necromantia distans. explicat enim secreta quædam Dei nomina, ipsorumque uirtutes occultas; quibus ad ligandos demones, & ad præstigia faciendâ Necromantici nonnulli apud Iudæos utuntur, asserentes Christum nostrum huius artis ope omnia sua miracula edidisse. Hoc igitur superstitionis genus, Kabalam impropiè appellatum, ecclesia proximis annis merito damnauit.

ESDRÆ Pentateuchus, unica & oblonga membrana ipsius, ut hebræi credunt, Esdræ manu conscriptus absque ullis uocalibus punctis, seruatur summa ueneratione in cœnobio nostro prædicatorum Bononiæ.

ESDRÆ Somnium & uaticinium de fati monarchiæ Romanæ est liber ab hæreticis nostrorum temporum confictus; quem sacrosanctæ Romanæ Inquisitionis Senatus nominatim inter damnatas scripturas haberi uoluit.

ESTHER, Artaxerxis, siue Assueri regis Persarum uxor, scripsit ad Iudæos, sub mariti imperio uiuentes, epistolas duas de solemnitate Purim, hoc est Sortium, in perpetuum celebranda. has Lyfimachus, Ptolemæi filius, ex Persica lingua in Græcam uertit. Esth. cap. 9. & 11.

EZECHIAE regis Iuda scriptura, pro qua in hebræo habetur מכתב מכתב Michtau, hoc est Scriptura; apud septuaginta interpretes προσηχη Εγενετο, id est Oratio Ezechia; apud alios uerò Gratulatio, siue Gratiarum actio in scriptura. hanc rex Ezechias cum post redditam diuinitus sanitatem consurgeret, conscripsit rem memoratu dignam, hoc est beneficium prorogata uitæ ad posteros transmittens: describit autem primum morbi acerbitatem, deinde restituta à Deo ualitudinis beneficium. Vide Esaiam capite trigesimo octauo. Idem scripsit De festo paschatis extra tempus in lege institutum, hoc est quartadecima die mensis secundi, celebrando epistolam unam: cuius mentio fit 2. Par. 30. scripsit item, ut quidam putant, historiam libri Iudicum.

EZECHIELIS propheta liber Apocryphus citatur ab Athanasio in Synopsi; qui fortè alter est è duobus uaticiniorum, & oraculorum libris, quos Iosephus in quinto capite decimi libri Antiquitatum refert ab Ezechiele conscriptos.

F



FOEDERIS Iudæorum scriptura habetur in Nehemiæ capite nono; quo in loco narratur, quemadmodum populus Israel, reuersus de captiuitate Babylonis, fœdus percussit cum Deo, promittens se deinceps seruatorum legem eius, addita publica scriptura, & iuramento ad fœderis confirmationem. Signarunt autem scripturam; eique nomine totius populi subscripserunt principes, sacerdotes, & leuitæ omnes Iudæorum.

FOEDERIS.

F OEDERIS Volumen, hebraicè סֵפֶר הַבְּרִית Sepher há berith, pro quo septuaginta interpretes uerterunt Το βιβλιον διαθηκης, hoc est Liber testamenti, commemoratur Exodi uigesimo quarto capite his uerbis: SCRIPSI autem Moyfes uniuersos sermones domini, & ædificauit altare . . . & obtulerunt holocausta, immolaueruntque uitulos duodecim. tulitque Moyfes dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. assumensque uolumen fœderis, legit audiente populo. qui dixerunt, ΟΜΝΙΑ, quæ locutus est dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille uerò sumptum sanguinem resperfit in populum, & ait, HIC est sanguis fœderis, quod pepigit dominus uobiscum super sermonibus his. Quod quidem fœdus Paulus, aliquot superadditis ritibus, in capite nono epistolæ ad Hebræos ita expresit: PRIMVM QUIDEM testamentum non sine sanguine dedicatum est. postquam enim legit Moyfes omne mandatum legis uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorum & hircorum cum aqua & hyso, ipsum quoque librum, & populum asperfit, dicens, HIC est sanguis testamenti, quod mandauit ad uos Deus. Hæc in diuinis literis habemus de Volumine Fœderis: quod ideo sic appellatum est, quia esset ueluti chirographum initi fœderis inter Deum & populum Israel, continens in se promissa Deui ad populum, & populi ad Deum. ea enim fuit Dei benignitas, ut, cum ab omni lege & pactione liber esset, uoluerit tamen se ueluti ex instrumento & contractu obligare; ut uel sic certiores redderet hebræos, se nunquam defuturum promissis; & ipsi arctius se deuinctos agnoscerent ad exequendum, quod sponte in hoc Fœderis uolumine ueluti ex syngrapha promiserant. Voluit etiam pollicitationes huius fœderis, utrinque factas, effusione sanguinis, & animalium cæde confirmari iuxta uulgatum omnium gentium morem; quæ mactatis pecudibus, & uictimarum sanguine mutua inter se fœdera iungebant. quem morem usque ad Albanos & Romanos reges ex uetustissima consuetudine dimanasse, Virgilius his uersibus ostendit:

Aenid. 8.

Post idem inter se posito certamine reges
 Armati Iouis ante aras, paterasque tenentes
 Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.
 Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
 Conspectu in medio procerum: tum ritè sacratas
 In flammam iugulant pecudes, & uiscera uinis
 Eripiunt.

& alibi,

Aen. 12.

DE scriptura uerò huius uoluminis triplex est sententia. Iudæi interpretes, in quibus Rabbi Salomon, uolumen fuisse dicunt decursum totius Mosaicæ narrationis ab initio Geneseos usq; ad finem 19. capitis libri Exodi; in quo habentur fœdera & pacta omnia, quæ Deus sanxit cum patribus eorum Abraham, Isaac, & Iacob, unâ cum cæteris Israelitici populi gestis usq; ad traditionem legis; quam uigesimalium Exodi caput post scripturam huius uoluminis conditam refert. Augustinus existimat in hoc uolumine solas fuisse iustificationes, hoc est iudicialia, & ceremonialia mandata; quæ à uigesimo usq; ad uigesimalium quartum caput Exodi recitantur, exceptis decem moralibus decalogi præceptis: quæ quanquam Moyfes in cap. 20. Exodi recensuerit, seruata anticipationis regula apud diuinos scriptores usitata; ostendit tamen postea in 24. capite decalogum à Deo in tabulis lapideis fuisse conscriptum post eius uoluminis editionem. Thomas Caietanus censet præsentem uolumine in primis & ante omnia comprehendere decem moralia mandata, ac deinde cæteras iudiciorum & ceremoniarum leges ante promulgationem legis in tabulis, à Moyse promulgatas. idq; suadet ex ipso, quod uolumini tribuitur, fœderis cognomine. summa enim & caput totius fœderis inter Deum & populum in decem præceptorum obligatione consistit. unde & tabulas, quibus ipsa decem præcepta continentur, Tabulas fœderis nuncupauit Moyfes. cui cum nondum reuelasset Deus scripturam se aliquando in tabulis leges decalogi; oportuit eum in initio huius uoluminis decem præcepta iam ex ore Dei prodita conscribere, ut integra & absoluta esset pacti scriptura, quæ sanguinis asperzione firmabatur; & integrum quoq; esset fœdus, quo populus præsertim per decalogi obligationem Deo iungebatur.

GAD

G



AD Propheta, hebraicè גַּד הַנְּבִיאָה נָד הַנְּבִיאָה Gad annau i Par. ubi Choze Dauid, hoc est Gad propheta Videns Dauidis, (quem dominus misit ad regem Dauidem, ut ei propter facinus numerati populi unum offerret ex tribus supplicijs eligendum, hoc est aut famem septennem, aut persecutionem ab hostibus trimestrem, aut pestilentiam triduanam) composuit copiosissimam de uita Dauidis regis, ac de rebus ipsius tempore ubique terrarum gestis uniuersalem historiam; quæ in fine prioris libri Paralipomenon recensetur his uerbis: GESTA

B autem Dauid regis priora & nouissima scripta sunt in uolumine Samuelis Videntis, & in libro Nathan prophetæ, atque Gad Videntis, uniuersiq; regni eius & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, siue in Israel, siue in cunctis regnis terrarum.

GAIVS, dilectus apostolorum hospes, (de quo Paulus, ad Romanos scribens, dicit: SALVAT uos Gaius Hospes meus) fuit, ut in Synopsi testatur Dorotheus Tyrius, Ephesinæ ecclesiæ post Titum Pauli discipulum episcopus. hunc Athanasius in Synopsi tradit scripsisse apud Ephesum ex ore Ioannis apostoli euangelium, quod nunc Secundum Ioannem inscribitur. at Simon Metaphrastes in uita Ioannis Euangelistæ memoriæ prodidit Prochorum, apostolicum diaconum, hoc ipsum euangelium in insula Pathmos, dictante Ioanne, literis mandasse.

Rom. 16.

GENEALOGIAE Infinitæ. de his Paulus in priore ad Timotheum epistola, NE INTENDAS, inquit, Genealogijs interminatis, quæ quæstiones magis præstant, quam ædificationem. & in epistola ad Titum, GENEALOGIAS, ait, & pugnas deuita. Hieronymus in cõmentarijs epistolæ ad Titum, & in tertio cõmentario Esaia dicit has esse constitutiones quasdam Iudæorum à græcis δευτερωσους appellatas, quas primùm literis mandarunt Akibas, Mayr, Ioannam, & Heliezer hebrai. Augustinus in secundo libro contra aduersarium legis capite primo refert has deuteroseos apud Iudæos non esse scriptas, sed memoriter teneri, & ab altero in alterum loquendo transfundi; in quibus Iudæi tradunt Deum primo homini duas creasse mulieres, ex quibus postea infinitas texunt genealogias.

1 Tim. 1.

Tit. 3.

GRANDIS Liber, hebraicè גִּילְיוֹן גָּדוֹל Ghillaion gadol, quod septuaginta interpretes uerterunt Τό μὲν καινὸν μέγαν, hoc est Volumen nouum magnum, est charta, siue pagina magna instar spiræ in se ipsam circumuolubilis, notariorum uulgo Rotulum appellata; in qua Deus maioribus literis iussit ab Esaia scribi quatuor has hebraicas dictiones מַהֵר שָׁלַח מַהֵר מַהֵר Maher salal, chas baz. hoc est Accelera ad prædam, festina ad direptionem. pro quo editio nostra uulgata legit, Velociter spolia detrahe, cito prædare. septuaginta interpretes uerò habent Τὸ δὲ θεῶς προερμήνη ποιήσαι σπύλον. id est Vt uelociter deprædationem faciat spoliatorum. quidam uerò habent, Voca nomen eius CELERISPOLIUM, VELOCIPRAEDAM. alij autem, Velocem prædatorem, festinum spoliatorem. Ostendebat autem scriptura hæc nomen, quod Esaia diuino iussu imponere debebat filio suo; quem mox, ut Chrysostomus ait, ex uxore sua prophetissa habiturus esset. uoluit enim Deus hoc nomine portendere imminentem Israelitici regni deprædationem, qua paulò post antè, quam infans ille nuper editus lallare inciperet, rex Assyriorum Damascum & Samariam, Israelis metropolim, deprædatus est; sicut Esaia testatur his uerbis: ET DIXIT dominus ad me, Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, VELOCITER SPOLIA DETRAHE, CITO PRAEDARE. Et adhibui mihi testes fideles Vriam sacerdotem, & Zachariam, filium Barachia: & accessi ad prophetissam; & concepit, & peperit filium. Et dixit dominus ad me, Voca nomen eius, ACCLERA, SPOLIA DETRAHE, FESTINA PRAEDARI. quia antè, quam sciat uocare patrem suum, & matrem

Esa. 3.4

P trem

trem suā, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ corā rege Assyriorū, & c. **A**

SVNT QUI existimant hæc uerba non esse intelligenda de filio Esaiæ prophetæ; quoniam uerisimile non sit prophetam, summa modestia & honestate præditum, fuisse inducturum testes, qui se cum coniuge sua coeuntem obseruent, atque eos præsertim testes, quorum alter, nempe Zachariās, filius Barachia, nondum natus esset; alter uerò, scilicet Vriās sacerdos, autoritate ac nomine testis, præcipuè uerò in diuinis mysterijs, omnino indignus: quippe qui infidelis erat; & ut quartus Regum liber refert, aram extruxerat asimilem altari urbis Damasci; in qua uictimas & holocausta unā cum rege impio Achaz dijs gentium offerebat. quem etiam Vriam, si secum introduxisset propheta, non tamen appellasset eum testem fidelem, dicens, ADHIBVI MIHI TESTES FIDELIS. Deinde neque ætas infantis conuenire uideretur tempori Samariticæ direptionis; quam propheta futuram prædixerat antè, quam puer eloqui inciperet. ea enim, ut quartus liber Regum testis est, contigit anno sexto Ezechia, regis Iudæ, & anno nono Oseæ regis Iudæ: quo quidem tempore puer iam ad decimum & octauum suæ ætatis annum peruenerat. nam tot anni fluxerunt ab anno quarto Achaz, in quo natus est puer, & scriptus est liber, usque ad annum sextum Ezechia, regis Iudæ, & annum nonum Oseæ, regnantis super Israel in Samaria; quando Salmanassar, rex Assyriorum, deuastauit Samariam, & transtulit Israelitas in Assyrios; posuitq; eos in Hailam, & in Habor iuxta fluuium Gozan in ciuitatibus Medorum, sicut in quarto libro Regum narratur. Sed his facile occurrimus, dicentes Esaiam adduxisse secum testes illos non ad spectaculum carnalis concubitus, sed ad intuendam & audiendam scripturam uoluminis. assumpsit autem secum Zachariam, Barachia filium, non illum quidem, qui nondum erat inter uiuos editus, sed alium eiusdem nominis & cognominis Zachariam eodem tempore uiuentem, Vriam quoque sacerdotem acciuit tanquam testem fidelem: & fidelem appellauit, non cultu & religione erga Deum, quem ipse non colebat, sed fidelitate & obsequio erga regem Achaz, apud quem Vriās fidiissimus habebatur. & hunc potissimum adesse uoluit Esaiās; ut homo idololatra, & prophetis Dei insensus, inspecta prophetia scriptura, statim rem totam in odium prophetiæ ad rem idololatram deferret. Depopulatio uerò, cuius hinc uaticinium scribitur, non est illa, in qua Salmanassar transtulit Israel in Mediam anno sexto Ezechia, & nono Oseæ; sed alia, quæ quindecim ferè annis antea facta est circa sextum, septimum & octauum annum Achaz, regis Iudæ, quando Phaceas, filius Romelia, & Rasim, rex Syriæ & Teglatphalassar, rex Assyriorum, uastarunt Israel & Iuda, & prædam ingentem asportarunt unā cum omnibus uasis, & ornamentis templi: quæ rex Achaz Teglatphalassar, regi Assyriorum, tradidit, quemadmodum in secundo Paralipomenon scriptum est.

SVNT item qui & argutè, & piè hunc locum mysticè interpretentur, asserentes rem hanc non ut corporaliter, sed ut spiritualiter gestam à propheta narrari; ac proinde testium introductionem, prophetæ concubitum, & infantis natiuitatem sic esse iuxta allegoriam exponenda, ut per prophetissam, uirginem Dei, ac domini nostri Iesu Christi matrem, per Vriam intelligamus, non sacerdotem illum impium regis Achaz, sed Vriam prophetam, filium; Semei, Ieremias prophetæ synchronon, quem Ieremias in nomine domini prophetasse scribit; per Zachariam uerò eundem illum, qui inter duodecim prophetas undecimus numeratur. Deniq; in infante, cuius nomen est ACCELERA AD PRÆDAM, FESTINA AD DIREPTIONEM, agnoscamus Leonem illum de tribu Iuda; cui multis sæculis antea dixerat Iacob, AD PRÆDAM ascendi-
sti fili mei: manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, hoc est Christum Iesum seruatorem nostrum ex tribu Iuda secundum carnem; qui, deuicto mundo, destructo regno peccati, deiecto Sathana, expoliato inferno, occisa morte, & omnibus hostibus suis debellatis, fufis, ac prostratis, uictor ac triumphans ascendit in cælum, spolijs inimicorum suorum onustus, captiuam ducens captiuitatem, adducens secum ab inferis redempta captiuorum patrum agmina, exultantia coram eo, sicut exultant uictores, capta præda, quando diuidunt spolia. Epiphanius, Salaminæ episcopus, libro primo aduersus hæreses tomo 2. docet hunc Librum Grandem esse Mariæ uirginis

Gen. 49.

Esa. 9.4

A ginis uterum, magnum meritò appellatum, quòd incomprehensibilem comprehenderit, quem cælum & terra capere non possunt. Basilius in commentarijs in Esaiam de hoc libro iuxta allegoriam sic scribit: FORTASSE Tomus hic, uolumen, siue liber nouus & magnus adumbratio quædam est, ac figura noui & magni testamenti, stylo hominis descripti, quòd euangelij uerba humana locutione, siue charactère descripta sint, ut à quouis facillè exaudiantur. in quo quidem scriptum est, ut uelox fieret deprædatio spoliatorum. euangelij siquidem doctrina, fulgetra quauis perniciosior, ad extremos usque limites terræ habitabilis pertingit, spolians principem sæculi huius; & ad obedientiam Christo redhibendam eos traducens, quos ille prædo detinebat captiuos.

H



B EBRAEORVM Euangelium, quod SECUNDVM HEBRAEOS, siue SYROS inscribitur, ut ex ueterum monumentis apparet, non unum fuit, sed plura: ex quibus tria potissimum sunt, quæ appellantur Nazaræorum, Hebionitarum, & Encraticarum.

C PORRO Euangelium Hebionitarum Secundum Hebræos illud idem est, quod Hebraicum Matthæi euangelium, sed ab hæreticis Hebionis sectatoribus adulteratum, immutatum, & multis in locis mutilum, ac recisum. ex quo Epiphanius libro primo aduersus hæreses, contra Hebionitarum hæresim disputans, longum fragmentum inserit, ita scribens: PRINCIPIVM EVANGELII, quod Hebraicum appellatur, apud ipsos sic se habet: Factum est in diebus Herodis, regis Iudæ, & Caiphæ pontificis, uenit quidam Ioannes, nomine baptizans baptismū pœnitentiæ in Iordane fluuio, qui dicebatur esse ex genere Aaron sacerdotis, filius Zachariæ, & Helizabæth: & egrediebantur ad ipsum omnes. & uenit uir quidam, nomine IESVS, annorum circiter triginta; & baptizatus est à Ioanne. & ut ascendit ab aqua, aperti sunt cœli, & uidit spiritum Dei in specie columbæ descendantis, & ingredientis in ipsum. & uox facta est de cœlo, dicens, TU ES FILIUS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI BENE COMPLACITVM EST. EGO HODIE GENVI TE. Et statim circumfulxit illum lux magna. quem ubi uidisset Ioannes, dicit ad ipsum: Tu quis es domine? & rursus uox de cœlo ad ipsum, HIC EST FILIUS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI BENE COMPLACVI. & tunc prolapsus Ioannes ante ipsum dicebat: Rogo te, domine, tu me baptiza. ille uerò prohibuit ipsum, dicens: Dimitte, quia sic est decorum omnia impleri. & ueniens Iesus, qui elegit nos, in Capernaum, ingressus est in domum Simonis, appellati Petri: & aperto ore suo præteriens stagnum Tyberiadis, dixit: Elegi Ioannem, & Iacobum, filios Zebedæi & Simonem, & Andream, & Philippum, & Barptolemæum, & Iudam, & Thaddæum, & Thomam, & Simonem Zelotem, & Iudam Iscarioten, & te Marthæum sedentem in teloneo nocui, & secutus es me. Vos igitur uolo esse duodecim apostolos in testimonium Israel, &c. Hæc de euangelio Hebionitarum.

D ALTERVM ENCRATITARVM EVANGELIVM, ipsi olim Encratitis usitatum, idem Epiphanius libro primo hæresi 46. tradit à Tatiano Syro, Encraticanæ sectæ autore; ex quatuor euangelistis fuisse collectum, & in unam continuæ narrationis consonantiam, quam Diatesaron, id est Vnum ex quatuor, appellauit, digestum. Theodoretus, Cyrensis episcopus, libro primo hæreticarum fabularum de hoc euangelio ita scriptum reliquit: TATIANVS composuit etiam euangelium, quod dicitur Diatesaron, id est Ex quatuor unum, amputatis genealogijs, & alijs, quæcunque ostendunt dominum natum esse ex Dauide secundum carnem. eo autem usi sunt non solum qui sunt illius sectæ, sed hi etiam, qui dogmata apostolica sequuntur, compositionis fraudem non agnoscentes, sed simplicius eo, tanquam libro compendioso,

utentes. Ego quoque inueni plus, quam ducentos huiusmodi libros, qui in honore habebantur in nostris ecclesiis: quos cum omnes simul coegissem, deposui, & in loco eorum reposui quatuor Euangelistarum euangelia. Hæc Theodoretus de Tatiani euangelio; quod nunc unâ cum ipsa Christi genealogia extat, olim à Victore, Capuano episcopo, translatum: eiusque initium est, **QVONIAM QVIDEM**

MULTI CONATI SVNT. **EVANGELIVM NAZARAENORVM** sic appellatum est, quod in usu fuerit apud Nazarenos, qui unâ cum euangelica Christi doctrina etiam Mosaicas caeremonias seruandas credebant. Ex hoc loci quidam, ac sententiæ in sacra quatuor, quæ nunc habemus, euangelia existimantur à uetustissimis patribus transfusa; qualis illa sententia est apud Matthæum, **DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TE IPSVM.** quam Origenes ex hoc euangelio desumptam putat. & tractatu in Matthæum octauo locum quendam huius euangelij, unde hoc testimonium acceptum est, adducens, ita scribit: **QVOD** ait, **DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TE IPSVM,** suspicari possumus, non à domino positum in hoc loco, sed ab aliquo nescio quonon intelligente additum esse. hoc autem adiectum esse comprobatur, quod ipsum locum Marcus & Lucas exponentes, neuter addidit: nunquam enim Marcus & Lucas capitale & maximum hoc præceptum prætermisissent. sed hoc scriptum est in euangelio, quod dicitur. **SECVDVM HEBRAEOS,** si tamen placet alicui suscipere illud. Dixit ad eum alter diuitum: Magister, quid bonum faciens uiuam? dixit ei, Homo leges, & prophetas fac. respondit ad eum, Feci. dixit ei, Vade, uende omnia, quæ possides, & diuide pauperibus; & ueni, sequere me. Cœpit autem diues scalpere caput suum, & non placuit ei. & dixit ad eum dominus, **Quomodo dicis, Legem feci, & prophetas, quoniam Scriptum est in lege, DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TE IPSVM.** & ecce mihi fratres tui, filij Abraham, amici sunt stercore, morientes præ fame; & domus tua plena est bonis, & non egreditur aliquid ex ea ad eos. Et conuersus dixit Simoni discipulo suo, sedenti apud se, **SIMON, FILI IOANNE, FACILIS EST CAMELVN INTRARE PER FORAMEN**

ACVS, QVAM DIVITEM IN REGNVN COELORVM. Eusebius libro tertio historiae ecclesiast. indicat ex hoc euangelio desumptam esse historiam illam, quæ nunc habetur in euangelio Ioannis capite octauo de muliere, in adulterio deprehensa; quam Euthymius Zigabenus in uetustis exemplaribus fuisse negat. Fuit hoc ipsum euangelium apud ueteres parres inter alias uenerandas scripturas ad ædificationem ecclesiæ susceptum. & quanquam Eusebius scribat illi fuisse aliquando in ecclesia contradicendum: Beda tamen in principio commentariorum in Lucam de ipso sic loquitur: **NOTANDVM** est, quod dixit euangelium iuxta Hebræos, quo utuntur Nazaræi, non inter apocryphas, sed inter ecclesiasticas numerandum historias. nam & ipsi sacrae scripturae interpreti Hieronymo uisum est ex eo pleraque testimonia sumere, & ipsum in latinum græcumque sermonem transferre. quæ Bedæ uerba uera esse ostendunt uaria loca in operibus Hieronymi; qui in Catalogo uirorum illustrium testimonium pro Iacobo, fratre domini, assumens ex hoc euangelio, hæc inquit: **EVANGELIVM,** quod appellatur **SECVDVM HEBRAEOS,** à me nuper in græcum latinumque sermonem translatum, quo Origenes saepe utitur, post resurrectionem Saluatoris de Iacobo sic refert: **DOMINVS** autem cum dedisset sindicium seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem domini, donec uideret eum resurgentem à mortuis. *Rursusque post paululum,* **AFFERTE,** ait, dominus mensam, & panem. *Statimque additur,* Tulit panem, & benedixit, ac fregit; & dedit Iacobo iusto; & dixit ei, Frater mi comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus. Hæc Hieronymus; qui in eodem libro de Ignatio loquens, inquit: **IGNATIVS** unam ad Smyrnæos scripsit epistolam, in qua de euangelio, quod nuper à me translatum est, super persona Christi ponit testimonium, dicens, Ego uerò & post resurrectionem eum in carne uidi; & credo, quia sit; & quando uenit ad patrem, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis. **Eccc**

palpate,

A palpate, quia dæmonium non sum incorporale. & statim tetigerunt eum, & crediderunt. Rursum libro tertio aduersus Pelagianos, **IN EVANGELIO,** inquit, iuxta Hebræos, quod Chaldaico Syroque sermone, sed hebraicis literis scriptum est, (quo utuntur usque hodie Nazaræi Secundum Apostolos, siue, ut plerique autumant, iuxta Matthæum) & in Casariensi bibliotheca habetur, narrat historia: **ET ECCE** mater domini, & fratres eius dicebant ei, Ioannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum; eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, **Quid peccauit, ut uadam & baptizer ab eo?** Recipit quoque scripturae huius auctoritatem Origenes præceptor, Clemens Alexandrinus; qui cum in secundo Stromaton libro uellet astruere admirationem esse primum gradum ad perfectam Dei cognitionem, hinc dicti sui confirmationem accepit, inquit: **HAC RATIONE** scriptum est in euangelio Secundum Hebræos, **QVI** admiratus fuerit, regnabit; & qui regnabit, requiescet. Citatur ex hoc euangelio ab Origene in secundo Tomo in Ioan-

B nem alia quoque sententia in hæc uerba: **DIXIT** Christus, Modò accepit me mater mea, spiritus sanctus, uno capillorum, & me in montem magnum Thabor portauit. Quæ quidem sententia nisi candidè consideretur, uidetur continere hæresim Gnosticorum, & Valentinorum, asserentium spiritum sanctum esse matrem Christi. Proinde Origenes loco iam citato inquit hoc ita interpretandum esse, ut dicamus, spiritum sanctum appellari matrem Christi non natura, & generatione, sed maternæ pietatis imitatione; id est, quia spiritus sanctus semper facit uoluntatem patris: **ET OMNIS,** ait Christus, **QVI FACIT VOLVNTATEM PATRIS MEI, QVI EST IN COELIS, HIC PATER MEVS, ET MATER MEA EST.** Hægesippum, qui uicinus fuit apostolorum temporibus, multa ex hoc euangelio enarrasse Eusebius in quarto ecclesiast. historiae testis est.

C **HELDAD, ET MEDAD,** prophetae, (super quos, ut in quinto Num. capite legitur, requieuit spiritus domini) cum in solitudine Arabiae in castris Israel prophetarent; Iosue ueritus, ne ipsorum apud populum existimatio Mosis auctoritatem aliquo modo imminueret, admonuit Mosen, ut eis prophetandi munus inhiberet. cui Moses, nihil alienis honoribus offensus, placidè respondit: **QVID** tu pro me æmularis? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det ei dominus spiritum suum? Horum igitur uaticinia ab incerto autore unico libro comprehensa sunt; ex quo Hermas, Pauli discipulus, in primo libro Pastoris capite secundo testimonium sumpsit his uerbis: **PROPE** est dominus his, qui se ad eum conuertunt; sicut scriptum est in Hheldad, & Medad; qui uaticinati sunt in solitudine populo. Autor Hebraicarum Traditionum, quæ **HIERONYMI** titulo prænotantur, scribit Hheldad, & Medad eisdem esse, quos prior annalium liber capite quarto appellat Ephraim, & Ialon de tribu Leui, filios Ezræ, qui & Amram dictus est, & Moyses pater fuit. Moyses enim, post acceptam legem in eremo; matrem inuexit, ut patrem Amram dimitteret, eo quod illius amita esset. filia enim fuit Leui; post cuius dissidium Amram aliam duxit uxorem; ex qua suscepit duos hos filios Hheldad, & Medad. Athanasius in Synopsi hunc librum inter Apocryphos numerat.

D **HELIAS** propheta ex Thesbis Arabum oppido fuit, de tribu Aaron leuita; habitator regionis Galaad, uir Dei, zelo ardens; qui ter ignem è cælo deduxit, imbrem sua lingua gestauit, mortuos suscitauit, & in cælum denique in turbine ignis assumptus est. Hic, cum Ioramus, Hierosolymæ rex, adigeret populum conscendere lucos, in editis montibus sitos, ibique aliena colere numina, scripsit ad eum epistolam, qua illi inuictabilem Dei uindictam ideo minabatur, quod, contempto patrum suorum exemplo, ad sectandam Israeliticorum regum impietatem se contulisset; neque hoc contentus, etiam Iudæ tribum, & Hierosolymorum ciues impulisset, relicta patria religione, ad externos ritus desciscere: ad hæc, quod fratres, & alios uiros bonos ac iustos interemisset. pro quibus sceleribus poenam, quæ illi imminerebat, eadem epistola significauit; hoc est, quod hostes in populum ipsum, ac domesticam familiam desæuerent, nec liberis parentes, nec uxoribus; ipsum quoque, lento uentris profluuiio uexatum, intestinis paulatim effluentibus, &

P 3 serò

serò ex his cruciatibus culpam suam agnoscentem, ac Dei opem nequicquam imploranrem, miserabilem animam efflaturum. Argumentum huius epistolæ spectare licet in secundo annalium capite uigesimo primo.

FERTUR & liber quidam sub nomine Helix, qui Ascensio, uel Assumptio, uel Apocalypsis, uel Secreta Helix inscribitur; de quo Origenes existimat, Paulum in prima epistola ad Corinthios accepisse testimonium illud, *Quod oculus non uidit &c.* sic enim scribit tractatu in Matthæum trigesimo quinto: APOSTOLVS scripturas quasdam secretas profert, sicut dicit alicubi, *Quod oculus non uidit, nec auris audiuit.* in nullo enim canonico libro hoc positum inuenitur, nisi in Secretis Helix prophetæ. Hæc Origenes. Hieronymus in caput 64. Esaiæ edisserens uerba illa ex eodem capite, *A seculo non audierunt, neque acceperunt, &c.* APOCALYPSIS, inquit, Esaiæ hoc habet testimonium, & per hanc occasionem Lusitaniæ mulierculæ deceptæ sunt. Citantur in Synopsi Athanasii inter libros reiectæ autoritatis Apocryphi Helix prophetæ.

STRATONICVS, Cumarum episcopus, in Collectaneis suis citat ex libro Traditionum Helix prophetæ prædictionem quandam de mundi consummatione, quæ futura sit anno sex millesimo ab eius creatione. Arbitror hanc esse traditionem illam, quæ in Thalmudicis hebræorum uoluminibus legitur in Tractatu Sanedrim, capite Helech, his planè uerbis:

שׂתא אלפי שני להי עלמא : וחד חרב : ב אלפי תרו : ב אלפי תורה : ב אלפי ימת המשיח :
scitta alphe sene leheue alma, uechad chareb, be alaphim tohu, be alaphim tora, be alaphim iemot hamasciach. *qua hoc sanè modo interpretari possumus,* Sex millia annorum erit mundus, & iterum destruetur: duo millia inanitatis, duo millia legis, duomillia dierum Messia. Nec prætereundum hoc loco arbitror Heliam ab Hebræis appellari septimum ætatis humanæ continuatorem. septem enim uiris omnem à mundi principio usque in finem uitam humanam continuatam asserunt. Primus homo Adam; hunc uidit Matusalem, uitaq; primi hominis usque in Matusalem se porrexit; Matusalem uidit Seem, filium Nohe; Seem peruenit usq; ad Iacob; Iacob usque ad Hamram, patrem Moïsi; Hamram peruenit usque ad Ahiam Silonitem; Ahias autem usque ad Heliam; Helias uerò usque ad finem mundi.

HENOC, siue חנוך Chenoc, ab Adam septimus, filius Jared, nepos Maalalel, pronepos Kenan, abnepos Enos, nepotis Adam, uir suo sæculo iustissimus, & Deum summa religione colens, scripsit, quemadmodum in ultima super Numeris homilia testatur Origenes, plures propheticos libellos; ex quibus Iudas Apostolus in epistola sua catholica aduersus impios seductores formidabile de extremo iudicio testimonium accepit, sic inquit: PROPHETAUIT autem & de his septimus ab Adam Henoc, dicens, Ecce uenit dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij. Augustinus de hoc uolumine in 18. de ciuit. Dei sic dicit: HENOC septimus ab Adam in canonica Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur: cuius scripta, ut apud Iudæos, & apud nos in autoritate non essent, nimia fecit antiquitatis, propter quam uidebantur esse suspecta, ne proferrentur falsa pro ueris. nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim, quod uolunt, credunt; sed castitas canonis non recepit, non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur autoritas; sed quòd ista esse non creduntur ipsorum. Hæc Augustinus. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiæ docet epistolam Iudæ propter testimonium, ex hoc Apocrypho libro desumptum, olim à plerisque ecclesiasticis patribus fuisse reiectam. & in commentarijs epistolæ ad Titum addit, Iudam Apostolum non totum hunc librum probasse, sed hoc tantum testimonium de iudicio aduersus impios, cuius autoritatem in epistola sua recepit. Quale autem fuerit libri huius argumentum, ignotum est: apparet tamen ex Patrum monumentis fuisse in eo capita quædam De numero, ac nominibus stellarum & ipsarum secretis uirtutibus, De descensu filiorum Dei ad filias hominum, De gigantibus ex angelorum

coitu

A coitu progenitis, De extremo iudicio Dei erga impios; de quo præsens Iudæ testimonium prolatum est. siquidem Origenes, de his capitulis uerba faciens, in 28. homilia libri Numerorum sic scribit: QUI fecit multitudinem stellarum, ut ait propheta, omnibus eis nomina uocat. de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur HENOC, secreta continentur, & arcana. sed quia libelli ipsi non uidentur apud Hebræos in autoritate haberi; ea, quæ ibi nominantur, in exemplum uocare differamus. Idem in commentarij super Ioannem tomo sexto, de descensu animarum in corpora loquens, ait: IN HENOC scriptum est, (si modò quispiam eum, ut sanctum librum, probare uelit) IN diebus descensus filiorum Dei ad hominum filias. quem quidem descensum nonnulli obscure significare existimauerunt animorum in corpora descensum, quòd filias hominum obscure & tropicè terrenum tabernaculum dici existimauerint. Augustinus autem in 15. libro de ciuit. Dei, capite 23. de gigantibus loquens, sic inquit: SCRIPSISSÈ quidem nonnulla diuina Henoc illum, septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat; sed non sunt in canone scripturarum. unde illæ, quæ sub eius nomine proferuntur, & continent fabulas illas de gigantibus, quòd non habuerunt homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda. Hæc Augustinus. In uetustissimo autem uolumine, cui titulus est TESTAMENTVM DUODECIM PATRIARCHARVM, quod sæpe Origenes & Procopius citant, multa ex libro Henoc inseruntur uaticinia, uidelicet De his, quæ euentura fuerant filijs, ac nepotibus duodecim Patriarcharum, De futuris hebræorum sceleribus, & pœnis, De mundi saluatore ab Hebræis occidendo, De hebræorum euerfione, captiuitate, & dispersione inter gentes perpetua. Ioannes Annius in commentarijs super Berofum scribit in eodem Henoc uolumine fuisse celebre uaticinium de geminis totius terræ cladibus, altera per inundationem, altera per incendium futuris: additq; hoc ipsum uaticinium, ab Henoc in duabus columnis, altera lapidea, altera latericia insculptum, ad perennem posteritatis commonitionem; ut si latericiam diluuiò deleri contingeret, lapidea superstes commendatam sibi scripturam conseruaret. Meminit utriusque columnæ Iosephus in primo Antiquitatum, affirmans quòque lapideam temporibus suis in Syria extitisse. Tertullianus in libro de habitu mulierum, occurrens ijs, qui dicunt, librum hunc, si ante diluuium ipse fuisset ab Henoc scriptus, post diluuium ad posteros saluum peruenire non potuisse, ostendit non esse id incredibile, uel quia ipsum Nohe in arca seruauerit, uel quòd ipsum, inundatione diluuij abolitum, aliquis, spiritu sancto illustratus, restituerit; sicut per Esdram sacra uolumina post captiuitatem instaurata sunt. Proinde censet non esse reiciendam ipsius scripturæ autoritatem.

VIXIT HENOC, uersatus in hoc nostræ mortalitatis exilio, annis trecentis & sexaginta quinque, hoc est usque ad annum orbis conditi millesimum decimum quintum. quibus expletis annis, ambulauit, ut inquit Moyses, cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Quomodo autem, & quem in locum tulerit eum Deus, non æquè apud omnes sacrarum literarum expositores certum est. Auen Ezra, & aliqui Iudæorum uerbum illud, TVLIT EVM DEVS, interpretantur, Mortuus est, & quidem ante tempus, ne malitia immutaret cor eius: quòd is loquendi scripturarum mos sit, ut eum tolli dicant, qui de uita tollitur, iuxta illud Helix, Tolle animam meam; & Iob, Post modicum tollet me. Philo Iudæus in libro de uita sapientis, secutus translationem Septuaginta, qui hunc locum uerterunt, *ὅτι μετατίθηται αὐτὸν ὁ θεός*, hoc est, *Quia transtulit eum Deus*, dicit Deum transtulisse Henoc non per mortem, sed per separationem à consortio, & frequentia improborum hominum ad uirtutis secessum uulgo ignotum, & uix paucis, iisdemq; præstantissimis uiris cognitum. Procopius Sophista in Genesim innuere uidetur Henoc translationem fuisse non mortem, sed immutationem quandam ex mortali ad immortale corpus. Augustinus libro nono in Genesim, & in libro de peccatorum meritis negat Henoc immutatum esse in illam spiritualem qualitatem corporis, quæ in resurrectione promittitur: putatque iterum ipsum rediturum ad hanc uitam, & moriturum.

Gen. 5. 6

rum, ut corpus animale in spirituale mutetur; interim uerò aut sine cibo à Deo **A** sustentari, sicut Helias quadraginta dies cibo uixit; aut, si cibo opus habet, in paradiso forasse pasci, sicut Adam de ligno uitæ, & inde contra uetustatem uitæ stabilitatem accipere. Irenæus libro quinto aduersus hæreses Valentini asserit eum unà cum Helia uiuere in eodem paradiso, in quo primus homo à Deo positus fuit. Hieronymus in primo libro aduersus Iouinianum, fortè ex memoriæ lapsu, hanc translationem attribuit non Henoc, sed Enos, cuius Henoc fuit abnepos, inquit: **S**I AVTEM transfertur Enos; non reor idcirco translatum Enos, quòd uxorem habuerit, sed quòd primus inuocauerit Deum. Chrysostomus & Theodoretus aiunt non esse curiosius inuestigandum, quò translatus sit, & num usque ad præsens uiuat, & quomodo nunc agat; sed hoc esse satis, ut credamus, & quòd Deus eum transfulerit, & quòd uiuentem transfulerit, & quòd mortem non sit expertus, sicut & Paulus ad Hebræos testatur, dicens: **F**IDE Henoc translatus est, ne uideret mortem: & non inueniebatur, quia transfulit illum Deus. **B** Gregorius Theologus in secundo libro de Theologia, **H**ENOC, inquit, quanquam hinc translatus est; nondum tamen constat, comprehenderit ne Dei naturam, an adhuc sit comprehensus.

Hebr. 11.

Rom. 16. c

HERMAS, Pauli apostoli discipulus, (cuius ipse, ad Romanos scribens, meminit, dicens: **S**ALVATE Phlegontem, Herman, Patroban, Hermen, & qui cum eo fratres sunt) opus græco sermone edidit, tribus libris distinctum: quorum primus **E**CCLÉSIA inscribitur, quia in eo quatuor uisiones ecclesiæ narrantur. secundus **P**ASTOR prænotatur, quòd in ipso Angelus, pastor, protector, & custos ipsius Hermæ, qui & Angelus pœnitentiæ nuncius dicitur, duodecim præcepta uitæ bene agendæ proponit. tertius, quia decem similitudines ab eodem Pastore explicatas continet, **S**IMILITVDINVM appellatur. consuetudo tamen postea obtinuit, ut totum opus **P**ASTORIS, siue **P**ASTORALIS titulo uocaretur. Hoc olim in quibusdam græciæ ecclesijs publicè legebatur ad institutionem eorum, qui primis ad fidei institutionem instruebantur elementis: multiq; ueterum ipsius testimoniis ad dogmatum confirmationem usi sunt; ueluti Clemens Alexandrinus in sexto libro Stromatum; Origenes homilia octaua in Numeros, hom. 10. in Iosue, hom. 35. in Lucam, & libro primo, secundo, & quarto Periarchon; Athanasius in libro de incarnatione Christi; Irenæus libro primo aduersus hæreses; Ioannes Caspianus collatione 13. capite duodecimo; ac plerique alij peruetusti autores: post quorum tempora autoritas libri huius paulatim defecit, & à Gelasio demum inter scripturas dubiæ fidei reiecta est, ut arbitror, ad hæreticorum subuersionem; qui inde execrabilium dogmatum præsidia assumebant. nam, ut de cæteris taceam, Arriani, teste Athanasio, in epistola ad episcopos Africæ, asseruebant filium Dei creatum esse à patre ex non existentibus, siue ex nihilo; quia in primo præcepto secundi libri Pastoralis scriptum esset: **P**RIVM omnium crede unum esse Deum, qui omnia creauit, & consummauit, & ex nihilo omnia fecit. Citatur tamen interdum à Gratiano in Collectaneis decretorum, & à Petro Lombardo in Collectaneis sententiarum ad comprobationem ecclesiasticarum sanctionum. Eusebius libro tertio ecclesiast. histor. cap. 3. **L**IBELLVS, inquit, Hermæ, qui dicitur **Ποιμήν** id est **P**ASTOR, cuius Paulus in epistolis suis meminit, à plurimis non est receptus: ab alijs autem necessarius iudicatus est propter eos, qui primis ad fidem institutionibus imbuuntur. unde & in nonnullis ecclesijs legitur, & multi ueterum usi sunt testimoniis eius. Rufinus in explanatione symboli Pastoris uolumen inter ecclesiastica scripta unà cum libris Tobie, Iudith, & Maccabæorum enumerat. Ex prima narratione libri huius apparet Herman uixisse Romæ. at Dorotheus, Tyri episcopus, in Synopsi scribit eum Philippopoleos fuisse episcopum. Damasus in Catalogo pontificum tradit hunc Herman fuisse fratrem Pij papæ eius nominis primi, eumq; exarasse Pastoris opus temporibus Antonini Pij imperat. anno domini 129. At Origenes libro decimo in epistolam ad Romanos existimat eum fuisse Paulo synchronon, ita scribens: **P**ΥΤΟ, quòd Hermas iste sit scriptor libelli illius, qui **P**ASTOR appellatur. **Q**uæ

A quæ scriptura ualde mihi utilis uidetur, & ut puto, diuinitus inspirata. Quòd uerò Paulus ei nihil laudis ascripserit; illa est causa, quia uidetur, sicut scriptura illa declarat, post multa peccata ad pœnitentiam fuisse conuersum: & ideo nec opprobrium ei aliquod scripsit. didicerat enim scripturam, Non impropere homini se conuertenti à peccato. neque laudis aliquid tribuit, quia positus erat adhuc sub angelo pœnitentiæ, à quo tempore opportuno, Christo rursus deberet offerri.

HIRAMVS, Tyrionum rex, (quem tertius liber Regum testatur misisse ligna cedrina ad ædificationem templi Hierosolymitani) scripsit ad Salomonem, hebræorum regem, epistolas plurimas: in quibus diuersas quæstiones partim Salomoni soluendas proposuit, partim sibi à Salomone propositas dissoluit. harum meminit Diodorus in Phœnicis historijs, & post eum Iosephus in primo aduersus Apionem uolumine his uerbis: **H**YRAMVS, Tyrionum rex, amicus erat regis nostri Salomonis. hanc autem amicitiam amor sapientiæ conciliauerat. problemata enim soluenda alterutris dirigebant; & melior in his Salomon erat, & sapientior apparebat. Hætenus uerò seruantur apud Tyrios epistolæ multæ, quas illi scripsere adinuicem.

HIEROSOLYMITANVS senatus scripsit epistolas duas, alteram ad Iudæos dispersos, alteram ad Aristobulum, Ptolemæi regis Aegypti præceptorem. utriusque exempla habentur 2. Maccab. 1.

I



IACOB, patriarchæ Scala, uolumen fuit Ebionis hæreticis familiare: in quo Iacob introducebatur, ueluti exponens insomnium scalæ, à se per quietem uisæ, aduersus Iudæos, & templum, & eorum sacrificia. Epiphanius primo Panarij in confutatione Ebionitarum huius rei testis est. Circumfertur etiam typis excusum Iacob patriarchæ Testamentum, quod Gelasius distinctione quindecima inter libros apocryphæ autoritatis computat. Citatur à Stratonico in collectaneis Titulus à Iacob patriarcha scriptus in Bethel Luzæ. uerum an titulus ille scriptura fuerit in lapide excisa, an lapis absque ulla scriptura erectus ad perpetuam conspectæ uisionis memoriæ, non satis profectò est manifestum.

Gen. 28. 9

IACOBVS, frater domini secundum carnem, autor eius epistolæ, quæ inter septem catholicas connumeratur, pleraq; magnæ sanctitatis scripta reliquit: in quibus excellit euangelium, quod à quibusdam **I**ACOBI, à quibusdam **S**ECVNDVM Hebræos inscribitur. cuius sæpe meminit Origenes; & cui Hieronymus, qui illud ex hebræo græcè, & latinè transfulit, egregium præbet testimonium in catalogo scriptorum illustrium. de quo etiam nos sub titulo euangelij Secundum Hebræos abunde locuti sumus. Athanasius in Synopsi scribit Iacobum in euangelium Matthæi, hebraicè scriptum, interpretationem & expositionem primum omnium adhibuisse. Extat nunc scriptura quædam, ab hæreticis nostrorum temporum typis excusa, quæ Protoeuangelium Iacobi, siue Sermo historicus de natiuitate Deiparæ inscribitur, continens historiam natiuitatis Mariæ usque ad aduentum magorum. in quo inter cæteras ambiguarum fidei narrationes illud etiam adijcitur absurdissimum, nempe Iosephum & Mariam, stupri & sacrilegij accusatos, ex decreto sacerdotum simul fuisse adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moyses explorari iussit innocentiam scemina de adulterio suspectæ. Fertur, & in usu est apud Græcos Liturgia, siue diuina Missa sub nomine huius apostoli, cuius initium est, **P**ECATORVM MULTITVDINE INQVINATVM: quam, ut ueram, & germanam Iacobi scripturam, agnoscit, & accipit Proclus, Constantinopolitanus archiepiscopus; qui in synodo Ephesina aduersus Nestorium fortiter dimicauit. sed & concilium uniuersale, cognomento in Trullo, sub Iustiniano celebratum, refellit ex hac missa hæreticos, qui uino tantum

Q in my-

in mysterijs utebantur, sic in 32. canone pronuncians: NAM ET Iacobus, Iesu Christi domini nostri secundum carnem frater, cui primum Hierosolymitanæ ecclesiæ thronus creditus, & Basilius, Cæsareæ archiepiscopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, peragendum in sacro mysterio ex aqua & uino sacrum poculum ediderunt, & c.

IANNES, & Iambres Liber, Βιβλος Ιωνης και Ιαμβρης, uel, sicut editio nostra legit, Iamnes & Mambres: ex hoc Paulus in posteriore epistola ad Timotheum accepit nomina Magorum, qui cum Moyse in Aegypto decertarunt, inquit: **QVEMADMODVM** enim Iamnes, & Iambres resistebant Moyfi; ita & hi resistunt ueritati. Quæ uerba expendens Origenes tractatu 35. in Matthæum, sic inquit:

QVOD ait Paulus, Sicut Iamnes & Mambres resistebant Moyfi, non inuenitur in publicis scripturis, sed in libro secreto, qui supra scribitur, **IAMNES**, ET **MAMBRES LIBER**. unde ausi sunt quidam epistolam ad Timotheum repellere, quasi habentem in se textum alicuius secreti; sed non potuerunt. nam & primam epistolam ad Corinthios propter hoc aliquem refutasse quasi adulterinam, ad aures meas nunquam peruenit. Hæc Origenes, alludens ad Menandri uersiculum, qui in capite 15. prioris ad Corinthios legitur; id est, **CORRUMPUNT BONOS MORES COLLOQUIA MALA**. Attestatur autoritati huius uoluminis Numenius Apamæus, professione Pythagoricus, in tertio libro De bono: ubi singillatim Magorum, qui Moyfi resistebant, nomina refert his uerbis: **IAMNES**, & Iambres Aegyptij erant, uiri magicis artibus adeo præpotentes, ut Musæo, Indæorum duci, uiro Deo coniunctissimo, soli resistere posse à cunctis Aegyptijs iudicati sint. multas enim calamitates, quas Musæus Aegypto intulit, soluere uisi sunt. Hæc Numenij uerba sunt ab Eusebio ex nono euangelicæ præparationis transcripta. Gelasius, ut habetur in decretis dist. decima quinta, librum hunc inter Apocryphos reiecit, secutus nimirum D. Ambrosii iudicium; qui in explanatione horum uerborum Pauli inquit: **EXEMPLVM** hoc de Apocryphis est. Iamnes enim, & Mambres fratres erant; magi uel uenefici Aegyptiorum, & c.

IASON CYRENÆVS, natione Indæus, uerax & disertus historiarum scriptor, scripsit græca & copiosa dicendi ubertate de gestis Maccabæorum principum libros quinque; quos ob eximiam narrationis fidelitatem fenatus, populusque Hierosolymitanus iussit in paruam redigi epitomen, quæ nunc inter ceteros diuinæ scripturæ libros annumeratur, pariq; cum eis ueneratione suscipitur, & **SECUNDVS MACCABÆORVM** inscribitur. in cuius initio hæc uerba leguntur: **ITAQVE** ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa tentauimus uno paruo uolumine breuiare: & nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo uerò negocium plenum uigiliarum, & sudoris assumpsimus, & c. Claruit Iason sub Ptolemæo Philometore, sexto rege Aegypti, olympiade **CLT**. hoc est anno ante Christum natum centesimum ac trigessimum.

IASON Thessalonicensis (cuius Paulus ad Romanos meminit, inquit: **SALUTAT** nos Iason, & de quo etiam in Actibus apostolorum scribitur, quod turbis Thessalonicæ pro Paulo & Sila, seditionem commouentibus, semet ipsum dedit, ut apostolo fugiendi facultatem faceret) dicitur esse autor eius libri, qui **ALTERCATIO IASONIS**, ET **PAPISCI** inscribitur. cuius autoritatem, à Celso Epicureo philosopho oppugnatam, Origenes in quarto aduersus eundem Celsum libro defendens, ita inquit: **QVOD** si quis æquiore animo Iasonis, & Papisci scripta perlegerit; profectò comperiet non irridendum esse hunc librum, in quo Christianus ex iudaicis scriptionibus cum Iudæo describitur disputans, & planè demonstrans, quæ de Christo extant uaticinia, Iesu ipsi congruere. Hieronymus in principio quaestionum in Genesim ait perperam affirmari in hoc libro, quod in exordio Geneseos hebraicè scriptum sit, **IN** filio creauit Deus cælum & terram; cum **EXX**. interpretes, & Symmachus, & Theodotus in principio transtulerint, & in hebræo scriptum sit, **Berefeith**: quod in principio interpretantur Omnes; & non In filio. Dorotheus Tyrius in Synopsi tradit hunc Iasonem fuisse primum Troadis episcopum.

IASON Thessalonicensis (cuius Paulus ad Romanos meminit, inquit: **SALUTAT** nos Iason, & de quo etiam in Actibus apostolorum scribitur, quod turbis Thessalonicæ pro Paulo & Sila, seditionem commouentibus, semet ipsum dedit, ut apostolo fugiendi facultatem faceret) dicitur esse autor eius libri, qui **ALTERCATIO IASONIS**, ET **PAPISCI** inscribitur. cuius autoritatem, à Celso Epicureo philosopho oppugnatam, Origenes in quarto aduersus eundem Celsum libro defendens, ita inquit: **QVOD** si quis æquiore animo Iasonis, & Papisci scripta perlegerit; profectò comperiet non irridendum esse hunc librum, in quo Christianus ex iudaicis scriptionibus cum Iudæo describitur disputans, & planè demonstrans, quæ de Christo extant uaticinia, Iesu ipsi congruere. Hieronymus in principio quaestionum in Genesim ait perperam affirmari in hoc libro, quod in exordio Geneseos hebraicè scriptum sit, **IN** filio creauit Deus cælum & terram; cum **EXX**. interpretes, & Symmachus, & Theodotus in principio transtulerint, & in hebræo scriptum sit, **Berefeith**: quod in principio interpretantur Omnes; & non In filio. Dorotheus Tyrius in Synopsi tradit hunc Iasonem fuisse primum Troadis episcopum.

IASON Thessalonicensis (cuius Paulus ad Romanos meminit, inquit: **SALUTAT** nos Iason, & de quo etiam in Actibus apostolorum scribitur, quod turbis Thessalonicæ pro Paulo & Sila, seditionem commouentibus, semet ipsum dedit, ut apostolo fugiendi facultatem faceret) dicitur esse autor eius libri, qui **ALTERCATIO IASONIS**, ET **PAPISCI** inscribitur. cuius autoritatem, à Celso Epicureo philosopho oppugnatam, Origenes in quarto aduersus eundem Celsum libro defendens, ita inquit: **QVOD** si quis æquiore animo Iasonis, & Papisci scripta perlegerit; profectò comperiet non irridendum esse hunc librum, in quo Christianus ex iudaicis scriptionibus cum Iudæo describitur disputans, & planè demonstrans, quæ de Christo extant uaticinia, Iesu ipsi congruere. Hieronymus in principio quaestionum in Genesim ait perperam affirmari in hoc libro, quod in exordio Geneseos hebraicè scriptum sit, **IN** filio creauit Deus cælum & terram; cum **EXX**. interpretes, & Symmachus, & Theodotus in principio transtulerint, & in hebræo scriptum sit, **Berefeith**: quod in principio interpretantur Omnes; & non In filio. Dorotheus Tyrius in Synopsi tradit hunc Iasonem fuisse primum Troadis episcopum.

IDDQ

IDDQ HACHOZE ידדו חזוהו הוה ידדו Videns, siue Vates spiritu Dei plenus, conscripsit Chazoth, hoc est De uisionibus, siue diuinationibus aduersus Ieroboam, regem Israel, uolumen unum; in quo multa de rebus, à rege Salomone gestis, immiscuit; item de his, quæ à Roboam, rege Hierosolymitano, tam bello, quàm pace facta sunt, uolumen alterum. ad hæc etiam addidit מדרש Midrasch, hoc est Commentarios de factis dictisq; memorabilibus Abiæ, regis Iuda, accuratissima diligentia digestos. Vixit à temporibus Salomonis usque ad tempora Afa, regis Iuda. Citantur hæc uolumina in 2. Paralip. cap. 9. 12. & 13.

IEREMIAS, propheta & sacerdos, præter eos libros, qui nunc inter Sacros extant, hoc est librum Prophetiarum, librum Lamentationum, & duas epistolas ad Hebræos, in Babylone captiuos, quarum altera Ieremiæ cap. 29. habetur, altera Baruch sexto, scripsit etiam libros alios, in sacris literis citatos, quorum inscriptiones & arguenda hæc sunt.

כינוח KINOTH, siue Epicedion, hoc est Lamentatio, uel Lugubre carmen in funere Iosia, regis Iuda; qui, dimicans aduersus Necaum, regem Aegypti, sagitta uulneratus interijt. Meminit huius carminis 2. annalium liber capite 35. his uerbis: **MORTVVS QVE** est Iosias, & sepultus in mausoleo patrum suorum: & uniuersus Iudæa, & Hierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè; cuius omnes cantores, atque cantatrices usque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel, Ecce scriptum fertur in lamentationibus. Hieronymus, & quidam ex Iudæis, inter quos Rabbi Salomon, arbitrantur hanc lamentationem esse postremam partem libri Threnorum, sub quarto & ultimo alphabeto comprehensam, existimantes de morte Iosia intelligendum esse, quod ibi scriptum est, **SPRITVS** oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus, In umbra tua uiuemus in gentibus. Quod tamen magis conuenire uidetur Sedechiæ regi, quem Chaldæi catenis uinctum, & exoculatum in Babylonem duxerunt statim post urbis sanctæ deuastationem: quæ toto eiusdem alphabeti metro unà cum regis ac populi captiuitate defertur. & ideo lamentationem hanc in Iosiam minimè superesse crediderim. tamen Iosephus libro undecimo Antiquitatum testatus sit Epicedion Ieremiæ in Iosiam temporibus suis extitisse.

SCRIPSIT quoque Ieremias De furore & indignatione domini aduersus Iudam, & Hierusalem librum unum: in quo, excipiente Baruch notario, prænucciavit templi euersionem, urbis excidium, regni uastitatem, regis ac totius populi captiuitatem, ceterasq; extremas calamitates Iudæis, nisi respicerent, imminentes. Hunc librum rex impius Ioakim cum ad se perlatum legere incepisset, execratus horribiles prophetiæ comminationes, cultro scriptorio discidit, & in arulam ignis, cui per hyemem assidebat, combussit, iubens Ieremiam, domi suæ latentem, unà cum Baruch detrudi in carcerem. quod audiens Ieremias, iterum iubente Deo, per manus Baruch librum rescripsit, multò etiam grauiora aduersus regem ac regnum eius uaticinia superaddens. Meminit Ieremias prophetiæ suæ capite 36. huius uoluminis; quod Rabbi Salomon putat esse librum Threnorum, quem cum Ieremias iam exustum rescriberet, quarto adauxit alphabeto, quod in priori uolumine non posuerat.

CONSCRIPTI sunt etiam, iubente Ieremia, Emptionis & Venditionis libri duo; alter apertus, alter clausus & sigillis obsignatus. cum enim rex Assyriorum iam iam aduentaret, occupaturus regnum Hierosolymitanum; Hannanael, filius patris Ieremiæ, uenit ad ipsum, in carcere regio detentum, offerens ultro uenditionem agri sui, quem possidebat in Anathot uilla. quod cum propheta iussu Dei fieri cognosceret, quamuis captiuus esset; & risu dignum uideretur in ea regione campos emere, quam ipse mox uastandam credebat, & constantissimè prædicabat: tamen numerato argento agrum emit. & ut omnis emptionis, ac translatae possessionis iura seruarentur, iussit huius contractus schedas, siue instrumenta, quæ Iudæi Libros uocant, per notarios publicos, adhibitis testibus & sigillis, iudicum autoritate conscribi. Fiebant autem in his contractibus, ut tradit Rabbi Salomon, duæ potissimum schedæ; altera sigillis testium communita & clausa, quæ tutissimo loco in pu-

Q 2 blicis

blicis notariorum carthophylaciis referuabatur: altera ad illius exemplum bona fide A
descripta, & iudicum calculo comprobata, quæ aperta apud emptorem remanebat.
utranque igitur Ieremias recondi iussit à Baruch, scriba suo, in urnam fictilem, ut
essent posteris monumentum ac testimonium uaticinij, quo propheta prædixerat
Iudæos post septuagesimum Babylonicæ captiuitatis annum remigraturos in pro-
prias sedes, ibique iterum uillas, agros, & uineas empturos. Dauid Kimchi exi-
stimat hos fuisse tres libros, primum emptionis; secundum exemplum eiusdem in-
tegra fide extractum; tertium, qui mysterium & rationem contineret, huius em-
ptionis, quæ stulta in oculis impiorum uidebatur; & hos duos posteriores in urnam
coniectos. Lege Ieremiam cap. 32.

SCRIPSIIT item De Babyloniæ deuastatione librum unum, quem faxo alligatum
iussit per Saraïam, principem prophetiæ, quem Sedechias ad salutandum regem Ba-
bylonis miserat, in Eufratem fluuium coram Iudæis demergi, in præfagium perpet-
uæ demersionis, quæ Babylonicæ urbi imminuebat. De libro ipso hæc apud Ieremiam B
capite quinquagesimo primo leguntur: SCRIPSIIT Ieremias omne malum, quod
uenturum erat super Babylonem in libro uno: & dixit ad Saraïam, Cùm ueneris in
Babylonem, & uideris, & legeris omnia uerba hæc; dices, Domine tu locutus es
contra locum istum, ut disperderes eum, ne sit, qui in eo habitet, ab homine us-
que ad pecus, & sit perpetua solitudo. Cùmque compleueris legere librum istum,
ligabis ad eum lapidem, & proicies illum in medium Euphratem; & dices, Sic
submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco su-
per eam, & dissoluetur. Hactenus uerba Ieremiæ, qui hoc uisibile signum dictis
suis addere uoluit, quò promulgati uaticinij memoria foret diuturnior; ut si uer-
ba præteruolarent, factum saltem coram præ oculis gestum imis spectantium ani-
mis infixum perduraret. Superest adhuc magna huius uoluminis pars apud eun-
dem prophetam capite 50. & 51. ab ipso Ieremia descripta.

CITANTUR etiam in 2. Maccabæorum cap. 2. Commentarii, siue Descriptio-
nes Ieremiæ prophetæ; quibus ipse conscripsit ea, quæ statim post euersam urbem
euenere antè, quàm populus captiuus in Babylonem adduceretur; hoc est De
legibus, quas Ieremias populo, in Babylone commoraturus, præscripsit; De igne
perpetuo, quem sacerdotes de altari sublatum in ignotum puteum absconderunt;
De tabernaculo, arca fœderis, & altare incensi in specu montis Nebo, iussu Dei ab-
ditis; ac de rebus aliis, quæ initio transmigrationis Babylonicæ contigerunt. Sunt
qui hos commentarios unâ cum initio secundi libri Maccabæorum, ex his com-
mentariis desumpto, tanquam apocryphos & incertæ fidei, reiiciant: quos tamen
Epiphanius in uita Ieremiæ prophetæ, ac plerique ecclesiastici patres approbant.

FERTUR & aliud uolumen sub nomine Ieremiæ prorsus apocryphum; ex quo
Origenes à Matthæo sumptum existimat uaticinium illud, Appenderunt merce-
dem meam triginta argenteis. Hoc olim usos fuisse Nazaræos Hieronymus in ca-
put Matthæi 27. refert.

I EHV, rex Israel, scripsit ad senatum Samariæ epistolas duas; quibus occidi
iussit septuaginta filios regis Achab, Samaritanorum educationi, atque erudi-
tioni traditos. 4. Reg. 10.

I EHV Propheta, Chanani prophetæ filius, (qui Baasa, regi Israel, suam ac suo-
rum omnium extremam cladem ex præcepto Dei prædixit, & post multos an-
nos increpauit Iosaphat, regem Iudæ, ob initum fœdus cum impio Achab, rege
Israel) scripsit de gestis regum Iudæ, & Israel, qui usque ad Ioram, filium Iosa-
phat regis Iudæ, regnauerunt, accuratissimam historiam. cuius secundus liber Pa-
ralipomenon mentionem facit his uerbis: RELIQUA autem gestorum Iosaphat
priorum & nouissimorum scripta sunt in uerbis Iehu, filij Chanani, quæ digessit
in libro Regum Israel. Et ne cui fortè uideatur impossibile, Iehu conscripsisse
historiam usque ad Ioram, filium regis Iosaphat, quia in tertio Regum legatur,
hunc Iehu supra quadraginta annos ante mortem Iosaphat à Baasa, rege Israel,
fuisse obruncatum; sciendum est, quòd ea, quæ in tertio Regum capite sextodeci-
mo

A mo nostræ uulgatæ editionis de cæde Iehu referuntur, in hebraicis exemplaribus
non habentur; in quibus hæc tantum uerba leguntur: CVM autem in manu Iehu,
filij Chanani prophetæ, uerbum domini factum esset contra Baasa, & contra do-
mum eius, & contra omne malum, quod fecerat coram domino ad irritandum
eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Ieroboam: ob hanc cau-
sam occidit eum. quod uerò in editione latina statim additur, Hoc est, IEHV,
FILIVM CHANANI: PROPHETAM, hebraica lectio non habet, sed est, nisi fallor,
annotatiuncula quædam, margini primum adiecta ab incerto expositore, qui locum
hunc sibi non intellectum illustrare uoluit; deinde, ut sæpe accidit, scriptorum au-
dacia in contextum translata.

I ESV CHRISTI Digitea scriptura. etsi Christus, magister noster, nihil per
se ipsum literarum monumentis mandauerit; quippe qui præstantiori scribendi
forma legem amoris sui scripturus aduenerat non in paginis, & emortuis membra-
nis, ac libris, sed in uiuis & animatis humanorum cordium tabulis: legitur tamen
B aliquando scripsisse quædam in lapideo pavimento Hierosolymitani templi non ca-
lamo, aut stylo, sed eo ipso digito, quo olim diuina præcepta lapideis tabulis in-
scripserat. huius scripturæ occasionem Ioannes in octauo sui euangelij capite refert
his uerbis: ADDUXERVNT ad Iesum scribæ & pharisæi mulierem, in adulterio de-
prehensam; & statuentes eam in medio, dixerunt ei, Magister, hæc mulier modo
deprehensa est in adulterio. in lege autem Moses mandauit huiusmodi lapidare: tu
uerò quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum.
Iesus autem, inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cùm autem perse-
uerarent interrogantes, erexit se, & dixit eis, Qui sine peccato est uestrum, pri-
mus in illam lapidem mittat. & iterum se inclinans scribebat in terram. Hæc
Ioannes. Cæterum, quid Christus primò se in terram inclinans scripserit, & quid
secundò; neque euangelista aperit, neque promptum est cuiquam definire. Am-
C brosius tamen in duabus ad Studium epistolis suspicatur Christum primò inclina-
tum exarasse in pavimento sententiam quandam Ieremiæ, uidelicet TERRA SCRIBEBE
HOS VIROS ABDICATOS; ut his uerbis ostenderet tentatores illos iam esse à
Deo abiectos, & inter reprobos, quorum nomina non in cælo, sed in terra scribun-
tur, computata. In secunda uerò inclinatione conicit Christum scripsisse illam à se
aliàs prædicatam sententiam, FESTV CAM, QUAE IN OCULO EST FRATRIS TVI,
VIDES; TRABEM AUTEM, QUAE IN OCULO TVO EST, NON VIDES. Beda pu-
tat eum semel atque iterum scripsisse eandem illam sententiam, quam tunc ore pro-
tulerat, nempe QVI SINE PECCATO EST, PRIMVS IN EAM LAPIDEM MIT-
TAT, ac si diceret, Puniatur peccatrix, sed non à præuaricatoribus legis. Hay-
mo existimat eum notas quædam in solo delineasse, quibus quisque accusantium
suis oculis propria conspiciebat scelera, & menti obiecta cernebat. Euthymius,
qui solus de græcis mulieris adulteræ historiam explanauit, nihil arbitratur scri-
ptum à Christo, sed duntaxat ab eo simulatum scribentis gestum & actionem. quod
D frequenter facere solent qui respondere nolunt importuna indignaque rogantibus.
cognita enim illorum machinatione, fingebat se in terra scribere, ne his attende-
re quæ dicebantur; ut, dum ipse in eos non respiceret, erubescerent lenius redar-
guti; utque ita in scribendo occupato, liceret eis sensim abscedere antè, quàm
manifestius condemnarentur. nam sua summa benignitate etiam ipsis parcebat. Ra-
banus ait uoluisse Christum hoc scribendi gestu significare eos, qui fœminam ac-
cusabant, dignos esse, ut in terra scriberentur unâ cum his, de quibus dicit Iere-
mias cap. 17. DOMINE omnes, à te recedentes, in terra scribentur. impij
enim non scribuntur in cælo scriptura sempiterna, sed in puluere pavementi; ut
citò scriptura & memoria ipsorum pedibus prætereuntium protrita euanescat.

I ESV CHRISTI Epistola animata. de hac Paulus apostolus Corinthios in
posteriore ad ipsos epistola sic alloquitur: EPISTOLA estis Christi ministrata à
nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in
tabulis cordis carnalibus. qua sententia Paulus Corinthios uocat epistolam Chri-
sti,

fti, quos proximè præcedentibus uerbis suam ipsius epistolam nuncupauerat, in-
 quiens: **EPISTOLA** nostra uos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & le-
 gitur ab omnibus. Appellat autem eos Paulus & suam, & Christi epistolam;
 quia sicut epistolæ comendatiuæ, quæ in commendationem alicuius scribi solent,
 uirtutem ac dignitatem eius, cuius gratia scriptæ sunt, uerbis manifestant: ita Co-
 rinthii sinceritate fidei, & uita uerè euangelica & Christiana Christi gloriam illu-
 strabant, & Pauli magisterium, qui eos in Christo instruxerat, declarabant. & quem-
 admodum in literis commendatiuæ, qui eas legunt, agnoscunt uirtutem eorum,
 qui in eis commendantur: ita qui Corinthiorum uitam intuebantur, statim cogno-
 scebant Christi, quem illi profitebantur, præstantiam sublimem, & apostolatus Pau-
 li, qui eos ad Christum adduxerat, dignitatem. **U**sus est autem Paulus hac episto-
 læ metaphora, ut ostenderet sibi non esse opus commendatiuæ epistolæ, quas cir-
 cunferabant pseudoapostoli, uel ab aliis ad Corinthios, uel à Corinthiis ad alios
 impetratis. quod & ipse apertè indicauit, inquit: **N**UNQUID egemus, sicut
 quidam, commendatiuæ epistolæ ad uos, aut ex uobis? ac si diceret, **Q**uid opus
 epistolarum commendatione, ubi res ipsa commendat hominem? nihil moramur
 eiusmodi literas. epistola enim uiua, & efficax commendatio nostra estis uos, qui ex
 sublimitate uirtutis uestræ cunctis hominibus commendabilem redditis ministerij
 nostri dignitatem. quicquid illud est, quod fecissent epistolæ, nos commendantes,
 nobisque reuerentiam concilians; hoc uos facitis, dum & uident uos, & de uo-
 bis audiunt omnes. propterea quòd discipulorum uirtus præceptorem ornare solet,
 & commendare plus quàm ulla possit epistola. Vos igitur, inquit, estis epistola no-
 stra scripta in cordibus nostris; quia pietatem & charitatem uestram semper in ani-
 mo habemus, corde gestamus, ubique nobiscum circunferimus, & apud om-
 nes uestra benefacta celebramus. estis item non nostra tantum, sed Christi quoque
 epistola, cum per uitæ uestræ sanctimoniam autorem salutis uestræ Christum, om-
 nibus gentibus suscipiendum, exhibetis. tunc enim uera estis ac uiua Christi episto-
 la, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio; scripta uerò non atramento de-
 lebili, quales sunt, quas pseudoapostoli ad uos emendicatas afferunt; neque rursus
 inscripta saxeis tabulis, quemadmodum lex illa uetus, de qua tantopere gloriantur
 Iudæi, sed in tabulis cordis carnis ac mollibus. corda enim uestra, quibus Christi
 doctrinam impresimus, nobis membranæ uice fuerunt. lingua nostra calamus, sed
 Christus ipse per spiritum dictauit, quæ in cordibus uestris scriberemus.

IESV CHRISTI, respondentis ad Abgarum Edessenorum regulum, epistola.
 hanc Eusebius libro primo historiae eccl. cap. 15. testatur se in publicis archiuis
 Edessæ urbis reperisse unâ cum epistola ipsius Abgari Syriacè conscriptam: qua-
 rum exempla hæc sunt.

*Abgarus, Vchanæ filius, Toparcha, IESV, saluatori
 bono, qui apparuit in locis Hierosolymorum, S.*

AVDITVM mihi est de te, & de sanitatibus, quas facis; quòd sine medica-
 mentis, aut herbis fiant ista per te; & quòd uerbo tantum cecos facis uidere, &
 claudos ambulare; & leprosos mundas; & immundos spiritus, ac dæmones eiicis;
 & eos, qui longis ægritudinibus afficiantur, curas, & sanas; mortuos quoque su-
 scitas. quibus omnibus auditis de te, statui in animo meo unum esse è duobus; aut
 quia tu sis Deus, & descenderis de cælo, ut hæc facias: aut quòd filius Dei sis, qui
 hæc facis. propterea ergo scribens rogauerim te, ut digneris usque ad me fatigari,
 & ægritudinem meam, qua iandiu laboro, curare. nam & illud comperi, quòd Iu-
 dæi murmurant aduersum te, & uolunt tibi insidiari. est autem ciuitas mihi parua
 quidem, sed honesta, quæ sufficiat utrisque.

Iesus

Iesus Nazarenus Abgaro Toparcha.

BEATVS es, quia credidisti in me, cum ipse non uideris. scriptum est enim de
 me, quia hi, qui me uident, non credent in me; & qui non uident me, ipsi credent,
 & uiuent. De eo autem, quod scripsisti mihi, ut ueniam ad te; oportet me omnia,
 propter quæ missus sum, hic explere; & postea quàm compleuero, recipi me ad eum,
 à quo missus sum. Cum ergo fuero assumptus, mittam tibi aliquem ex discipulis
 meis, ut curet ægritudinem tuam; & uitam tibi, atque his, qui tecum sunt,
 præstet.

HANC epistolam Gelasius papa primus inter Apocryphas reiecit scripturas.
 Ioannes Damascenus libro quarto De fide orthodoxa cap. 17. scribit D. N. Iesum
 uultus sui effigiem huic Abgaro, eam anxie efflagitanti, misisse. Euagrius libro
 quarto historiae ecclesiasticæ narrat, Edessam urbem huius sacræ imaginis uirtute ab
 oppugnatione Perfarum, & incendio flammaram per eos excitato mirum in modum
 liberatam. idem quoque refertur in quinta actione secundi concilii Nicæni. Gela-
 sius distin. 15. utranque epistolam in Apocryphis numerat.

IESV CHRISTI. Generatio, siue Liber generationis Iesu Christi, (qui in
 hebraico Matthæi euangelio appellatur ספר תלדות ישוע המשיח Sopher thol-
 doth Iescua Hamasciach, hoc est Liber generationum Iesu Messia) occasionem
 præbuit sacris interpretibus inquirendi, num hic titulus, Liber generationis Iesu
 Christi, totum huius euangelij opus significaret, aut solam hanc saluatoris genea-
 logiam, in principio euangelij positam, indicaret, iuxta Mosis consuetudinem, qui
 genealogiam primi parentis nostri Librum generationis Adam appellauit. Chryso-
 stomus existimat, Matthæum hoc titulo noluisse complecti summam totius histo-
 riæ euangelicæ, quemadmodum multi scriptores suis titulis integra operum argu-
 menta comprehendere consueuerunt, sed initium duntaxat, & fontem, ex quo re-
 liqua historia euangelica nascitur, quæ à carnali Christi generatione in hac genea-
 logia descripta principium sumit. Quidam uerò affirmant hoc titulo concludi sum-
 mam & argumentum uniuersum totius euangelij: quod Matthæus ideo Librum ge-
 nerationis Iesu Christi appellauit, quia, cum ipse hebræus esset, & hebræis hebrai-
 cè scriberet, uisum est illi historiam suam inscribere à Christi generatione, quam
 in principio uoluminis enarrabat, seruata in hoc hebræorum consuetudine; quili-
 bros suos plerumque ab his rebus, quæ in exordiis referuntur, nomina imponunt;
 Moysem imitatis, qui, ut, Philo Iudæus in libro De mundo restis est, primum Pen-
 tateuchi uolumen inscripsit Librum Geneseos, hoc est generationis; quia eius ini-
 tium mundi generationem contineret. Mihi autem uidetur Matthæum non solum
 hebræorum more, sed etiam iuxta cæterorum scriptorum consuetudinem comple-
 xum fuisse hoc titulo non tantum carnalem Christi generationem, sed & omnem ip-
 sius uitam, prædicationem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, cate-
 raque eius gesta omnia, atque euentus; quoniam dictio illa תלדות Hartholdoth,
 id est Generationum, quæ in titulo ponitur, apud hebræos duo significet; hoc est
 generationes, & euentus. unde Hebræorum Rabbini quoties exponunt locos illos ex
 diuinis scripturis, **HIC EST LIBER GENERATIONIS ADAM, & ISTAE SUNT
 GENERATIONES ABRAHAM, & his similes locos, aiunt: UBICUNQUE** inuenieris
 uocabulum תלדות tholdoth, hoc est Generationum, locus ille docet de natiuita-
 tibus, & de euentibus illius, cuius illic fit mentio. erit ergo **LIBER
 GENERATIONVM IESV CHRISTI** titulus comprehendens omnes Christi operatio-
 nes, & euentus ab incarnatione ipsius usque ad ascensionem, quæ toto hoc euange-
 lio describuntur. Faustus, Manichæorum episcopus, ut refert Augustinus in libris
 aduersus illum editis, multis uariisque cauillationibus oppugnauit hunc titulum;
 afferens illum neque ad totum corpus euangelij, neque ad ullam eius partem per-
 tinere; sed eo tantum indicari carnalem quandam Christi genealogiam, quam ipse
 ab omni prorsus euangelio rescindendam putabat, ceu falsò confictam, & Mat-
 thæi

thæ euangelio temere, & ab incerto autore ueluti equinum caput humano collo impositam. Huius insanas blasphemias in septimo huius operis libro ex Augustini sententijs fortissimè confutauimus.

IESV CHRISTI Infantia, siue De infantia saluatoris liber. Vide infra in dictione Matthæus.

IESV CHRISTI Magia. plures ab hæreticis & impostoribus libros sub titulo saluatoris nostri Iesu fuisse editos, non solû Hieronymus in tertio decimo Ezechielis commentario testis est, sed & Augustinus in primo libro De consensu Euangelistarum affirmat fuisse gentiles quosdam temporibus suis, qui iactarent se uidisse, ac legisse libros aliquot Christi ad Petrum, & Paulum, in quibus scripta esset summa totius artis Magicæ: ex cuius peritia Christus, dum uiueret, tot tantaq; miracula edidisset. Quorum insaniam Augustinus quatuor argumentis eodem in loco breuiter refellit. Primo, quòd hi, qui tales se legisse libros affirmant, nunquam talia miracula, quamuis anxie conati, facere potuerint, qualia Christum delibris talibus fecisse dicunt. Secundo, quòd isti diuino iudicio sic errent, ut eosdem libros asserant ad Petrum, & Paulum tanquam epistolari titulo prænotatos, fortè in talem errorem prolapsi, quòd pluribus in locis simul eos cum Christo depictos uiderint; cum tamen etiam pueris notum sit Paulum, quandiu Christus in carne mortali uixit, neque Christo fuisse discipulum, neque familiarem. non igitur potuit libros, quos ante mortem eum scripsisse dicunt, ad Paulum, tanquam familiarissimû, scribere, qui post ascensionem domini cœpit tunc primû eius esse discipulus. Tertio, quòd qui putant Christum magicis artibus tanta potuisse, & uniuersum terrarum orbem in se unum conuertisse, non animaduertunt per magicas artes nequaquam fieri potuisse, ut Christus antè, quàm nasceretur, tot prophetas diuino spiritu impleret; qui talia eum facturum prænucciarent, qualia in orbe terrarum præsentia nunc uidemus. nam etsi magicis artibus fecisset, ut coleret etiam mortuus; magus tamen esse non poterat antè, quàm natus. Quarto, quia stultè credunt Christum composuisse libros; qui nihil unquam scripserit, sed tantû alijs de se scribenda reliquerit, ita exigentè ipsius doctrinæ præstantissima sublimitate: quam non decebat atramento delebili in caducis chartarum folijs, uel in tabulis sensu carentibus scribi, sed in uiuis & sempiternis discipulorum suorum mentibus stylo diuini spiritus perpetuo duraturam insculpi: unde etiam apud ethnicos nobilissimi philosophi Pythagoras, & Socrates nihil literarum monumentis mandarunt, existimantes inuenisse se perfectissimum docendi modum, si præcepta bene beateq; uiuendi non in paginis scripta, sed in animis auditorum suorum impressa relinquerent.

IESV CHRISTI Sacerdotiû, siue Liber de legali Iesu Christi sacerdotio. exstat in græco Suidæ lexico in dictione IESVS libellus quidam integrè insertus, De legali Iesu Christi sacerdotio, repertus in archiuis urbis Tyberiadis tempore Iustiniani imperatoris à Theodosio, Iudæorum principe, & Philippo Argentario Christiano: in quo diffusè narratur Christum tam ob uitæ sanctimoniam, quàm ob generis nobilitatem ex duabus tribubus Iuda & Leui inuicem permistis deductam, fuisse ab omnibus leuitis iudicatum sacerdotij Mosaici honore dignum, & sic demum à sacerdotibus in collegium sacerdotum receptum. Apponitur autem sub finem libri Apologia, quæ eiusdem libelli auctoritatem defendit, & Christum legali sacerdotio functum ostendit tum ex Iosephi testimonio, tum ex uarijs utriusque testamenti locis. Hieronymus Hentennius libri huius, qui proximis annis magno legentium plausu Lutetiæ, & Basileæ ter fuerat excusus, confutationem conscripsit, & Paulus P. IIII. in indice damnatorum uoluminum poni iussit.

IEZABELA, Achabi regis Israel uxor, cum animaduertisset maritum uehementer desiderare uillam Nabuthi Israelitæ, regijs fundis contiguam, neque illam uel precio, uel precibus à Nabutho impetrari posse, scripsit ad Israelis præcipuos secretas epistolas; quibus iubebat, ut, indicto ieiunio, concionem aduocarent, & in eâ primum locum Nabutho propter illustre genus attribuerent: deinde, subornatis tribus uiris, nihil non ausuris, horum testimonio conuictum eum blasphemiam in Deum

A Deum ac regem, populo lapidandum obijcerent, atque hoc modo de medio tollerent. Nabutho igitur per hunc modum contra ius fasq; faxis obruto, Iezabela occisi uillam marito tradidit possidendam. pro quo tam impio scelere ipsa non multò post occisa est, & à canibuseo loco deuorata, ubi canes Nabuthi cadauer absumperant. Vide librum tertium Regum cap. 21.

ANNOTABIS autem in his Iezabellæ epistolis uerbum illud, **BENEDIXIT DEO ET REGI**, intelligendum esse contrario sensu pro Maledixit; sicut & illa uerba uxoris Iob execrabilia, **BENEDIC DEO, ET MORERE**, id est Maledic; & illud item ipsius Iob dicentis, **NE** fortè peccauerint filij mei, benedicentes Deo in cordibus suis; & illud Sathanæ ad Deum de Iob, **NISI** in faciem benedixerit tibi. est enim uerbum Benedic apud hebræos de numero illarum dictionum, quæ tam in bonam, quàm in malam partem accipiuntur; sicut apud græcos Anathema, quod & donarium Deo in templo appensum, & extremam detestationem significat. & apud latinos Sacer, & Sacrum in malam partem interdum accipiuntur pro execrando & detestabili. iuxta quam significationem dixit Virgilius:

*- Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?*

& Iuuenalis, *Intestabilis, & sacer esto.*

Sunt & qui dicant iudæis usque adeo fuisse inuisum maledictionis & blasphemiam nomen, ut illud propria uoce exprimere non audentes, per contrariam benedictionis uocem significauerint.

INSCRIPTIO Equitis, insidentis equo albo, duplex est; alia uisibilis in uestimento, super femore sedentis exarata; altera incomprehensibilis, quam nemo nouit, nisi ipse eques. quarum Ioannes in Apocalypsi mentionem facit his uerbis: **ECC**E equus albus, & qui sedebat super eum fidelis; & uerax, habens nomen scriptum; quod nemo nouit, nisi ipse: & uestitus erat ueste tineta sanguine: & uocatur nomen eius *ὁ λόγος τῆ θεῆς*, id est Verbum Dei: & habet super uestimentum, & super femur suum nomen scriptum *Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων*, id est Rex regum, & dominus dominorum. Hæc Ioannes de gemina equitis inscriptione: quarum quæ uisibilis est, in femore impressa, iuxta Arethæ Cæsariensis interpretationem sic exponitur. Vestimentum quidem carnem Christi designat; femur uerò naturam carnis, quod uerè humana sit, & non phantastica. nam ad huius designationem femur accipitur in diuina scriptura. Sermonis igitur scopus est per hoc significare, quòd cû uerbum hypostaticè sit unitum naturæ humanæ, & humanam carnem uerè susceperit de uirgine; nihilominus omnipotens est, utpote cœlestium rex, & dominus terrestrium ac subterraneorum. quam imperij omnipotentiam, humanitati filij Dei communicatam, uolens exprimere Paulus in epistola ad Philippenses, dixit: **PROPTER** quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine IESV omne genua flectatur cœlestium, terrestrium, & inferiorum.

ALTERA inuisibilis inscriptio, continens nomen, quod nemo nouit præter ipsum, significat incomprehensibilitatem infinitæ, & ob id incognoscibilis & ineffabilis substantiæ filij Dei. de qua Salomon inquit: **Q**UOD est nomen eius, & nomen filij eius, si nosti? Quanquam enim ex uarijs creaturarum similitudinibus emendicemus appellationes quasdam, quibus Deum, quatenus ipsum per speculum, & in enigmate cognoscimus, nominemus uel per affirmatiua nomina, qualia sunt sapiens, bonus, Sol, lux, uita, rex, dominus; uel per negatiua, ut sunt inuisibilis, immutabilis, incorporeus; essentia tamen ipsa, ut in se est, nec uerbis explicari, nec scriptis exprimi, neque ulla potest cogitatione comprehendi. solus enim ille, qui infinitus est, seq; solus comprehendit, hanc nominis sui incognoscibilis, hoc est essentiæ suæ, quæ per nomen incognoscibile significatur, notitiam sibi reseruauit, nemini eius incomprehensibilem immensitatem reuelans; sicut ipse ad Moysem testatus est, inquit: **E**GO dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum *יהוה* non indicaui eis. Dicitur autè hoc nomen nemini fuisse reuelatum, non quòd uox ipsa Iehouâ aut ignota sit, aut lingua exprimi non possit, cum & cer-

R tis

tis literis scripta sit, & à Pharaone impurissimo homine expressa fuerit; sed quòd Dei A natura, maximè per ipsum nomen significata, à nulla creatura exprimi possit, cum sit infinita; & ob id distinctè, apertè, & exactè à nullo possit agnosci, & nominari. Sunt qui existiment hoc loco per nomen, quod nemo nouit, nisi ipse, intelligendum esse nomen hoc Iehouà propter similitudinem significationis, quam habet cum epithetis, quæ Ioannes attribuit sedenti super equum, appellans eum fidelem & ueracem. dicitur autem fidelis & uerax, qui perstat in sententia, seruat promissa, & opere complet pollicitationes suas. quam quidem significationem retinet ipsa uox Iehouà, deducta à radice יהוה haia, quæ significat fuit; & Esse fecit. unde Iehouà significat eum, qui est, & aliquid esse facit. iuxta quem sensum dixit Deus ad Moysem: NOMEN meum Iehouà non indicaui eis. hoc est, Ego nondum me reuelauit per impletionem earum rerum, quas pollicitus sum Abraham, Isaac, & Iacob. nunc uerò reuelabo me nomine Iehouà; hoc est, præsentem & manifesta impletionem promissionum mearum, & iuxta significationem nominis mei Iehouà faciam esse quod promisi. B promisi autem me daturum terram Chanaan filiis Israel: hanc mox exhibens, manifestabo nomen Iehouà, ea nunc esse faciens, quæ ego uerax & fidelis pollicitus sum. Habes de hac re infra in Pontificalis uestimenti inscriptione, litera P. & libro tertio in Expositione elementaria.

I NVOLVTVS LIBER, græcè βιβλίον ελι σφόμενον, hoc est, Liber, qui uoluitur, siue conuolubilis, commemoratur in Apocalypsis capite sexto. ubi Ioannis postremum totius orbis excidium prædicens, inquit: SOL factus est niger, tanquam saccus cilicinus; & Luna tota facta est sicut sanguis; & stella de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à uento magno mouetur; & cælum recessit sicut Liber inuolutus. & Esaias, iisdem penè uerbis idem argumentum pertractans, de hoc libro sic scribit: TABESCET omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut Liber cæli; & omnis militia eorum defluet, sicut defluunt folia de uinea, & de ficu. Obscura profectò est hæc hebraica libri metaphora, & C tam græcis, quam latinis auribus insueta ac dura. proinde sciendum est, quòd apud hebræos ex antiqua consuetudine libri, præsertim facti, alterius sunt formæ, quam sint libri nostri, ex multis folijs compaginati. habent enim unum duntaxat folium, siue membranam oblongam, quæ circa cylindrum, siue axem ligneum circumuertitur instar lineæ telæ, radio textorio circumuoluta. Videntur autem huiusmodi libri aliquam præferre cælorum imaginem: quia sicut axem illum ligneum, qui in medio uoluminis est, plures ipsius membranæ, siue orbes, siue spiræ altera super alteram ambiunt, & concludunt: ita hanc terram, quæ medium totius uniuersæ axem tenet, plures cælestes orbes alter super alterum collocati, orbiculariter circumdant, & claudunt. Quomodo autem, & qua de causa cælum sit in suprema sæculi die instar libri iuxta Esaiam complicandum, uel iuxta Ioannem instar libri recessurum, duplex est patrum sententia, utraque, ut arbitror, orta ex ambiguitate uerbi hebraici יהוה nagolu; quod in hoc Esaiæ loco anceps est, & tam circumuoluerè, quam euoluere, siue tam complicare, quam explicare significat. qui ergo hanc uocem יהוה nagolu in sensu euoluendi & explicandi accipiunt, hunc locum legunt sic: Explicabuntur tanquam liber cæli. asserunt autem cælum, quod nunc obuolutum est, in fine mundi euoluendum & aperiendum esse, ut manifestentur nobis omnia consummata illius gloriæ præmia, quæ nunc ab oculis nostris remota sunt. Ita quoque hunc locum exposuit Arethas, Cæsareæ episcopus, in commentarijs Apocalypseos, inquit: ARBITRAMVR ueteri consuetudine usum fuisse Apostolum: Hebræus enim ea re, quæ circum euoluitur, usus est, sicut fieri solet in libris, qui apud nos sunt; quorum euolutio non obscuracionem, sed eorum, quæ scripta sunt, manifestationem efficere solet. Clemens item Romanus post Petrum pontifex in secundo & tertio libro Recognitionum hunc locum fusius enarrans, sic scribit: DVO SVNT cæli, unum superius ambiens uisibile firmamentum; & illud est perpetuum & æternum cum his, qui habitant ibi: alterum hoc uisibile inferius, quod in consummatione sæculi resoluetur, & transibit, ut illud cælum, quod est antiquius & excelcius, appareat,

A appareat. cum enim expletus fuerit numerus animarum, quæ prædestinatae sunt, & mundi huius tempora ad finem peruenerint; tunc istud uisibile cælum euoluetur, ut liber: ut illud, quod superius est, appareat; & animæ beatorum, corporibus suis reddita, inducantur in lucem. propter hanc enim præsentem hominum uitam factum est istud uisibile cælum, ut esset interiectio quædam & diuisio, ne quis fortè indignus habitationem cælestium, & Dei ipsius sedem uideret; quæ his solis, qui mundi sunt corde, uidentia præparantur. nunc enim, id est agonis tempore, inuisibilia esse placuit ea, quæ uincens ad præmium destinata sunt. sicut enim texta ouorum, quamuis pulchrè facta & diligenter formata uideatur, necesse est frangi, & resolui, ut inde pullus procedat, & illud, pro quo totius oui forma expressa uidetur, appareat: ita & huius mundi necesse est transire statum, ut status ille regni cælestis effulgeat. Hactenus Clemens. cui Iustinus philosophus & martyr in libro Quæstionum à gentibus positarum iisdem ferè uerbis subscribit. Qui uerò huic uoci **B** יהוה nagolu significationem attribuunt Conuoluenti, & complicandi, cælos aiunt ob uarias causas complicandos. Andreas, Cæsariensis episcopus, in expositione Apocalypsis putat per hanc circumuolutionem intelligi hyperbolicòs mœsticiam cælestium uirtutum, qua in die illa condolebunt super his, qui à fide Christi exciderunt. sicut enim alibi legimus cælum extentum sicut tabernaculum; ita nunc præ amaritudine dicitur circumuolutum sicut liber. Origenes in Tomis libri Geneseos, quemadmodum refert Eusebius libro sexto De præparatione euangelica, dixit uniuersum cælum esse quasi librum quandam apertum, significationes omnium futurarum rerum & humanorum euentum, sed absque ulla humanæ libertatis coactione, continentem, dicente Moysè: POSUIT Deus stellas in firmamento, ut sint in signa. hoc est, ut significant rationes futurarum rerum, à diuina prouidentia ordinatas. Cum ergo adimpleta fuerint, & euenerint omnia, quæ stellæ humano generi diuinitus ordinata denunciant; tunc cæli complicabuntur ut liber. hoc est, à denunciatione futurarum rerum cessabunt, neque ultra uenturos successus significabunt. Hieronymus autem ait cælos in die iudicij complicandos, ut post diem illam non ultra scribantur in cælis peccata malorum. Thomas Aquinas, præsentem locum pertractans, inquit hunc esse prophetae sensum, quòd sicut in libro complicato aliquid legi non potest; ita nec in cælo poterunt Iudæorum astrologi & augures præuidere calamitates, quæ ab Assyrijs, & Chaldæis, & alijs gentibus Iudaicus populus accepturus est. Ambrosius in commentarijs Apocalypsis iuxta allegoriam explanans illud Ioannis, COELVM RECESSIT TANQUAM LIBER INVOLVTVS, per, Cælum, uetus testamentum interpretatur, quod Iudæis est tanquam liber inuolutus: quia spiritalem intelligentiam, quæ Christum in ueteri testamento demonstrat, intelligere nolunt. Cælum itaque, sicut liber inuolutus, recessit; quia uetus testamentum Iudæos dereliquit, & ad gentes transiit. Ticonius Afer cælum allegoricè pro ecclesia accipit: quoniam sicut liber inuolutus mytheria quidem intus, sed foris non apparentia, continet; sic ecclesia in illa suprema Antichristi persecutione, suis tantum cognita, & extraneis abdita, recedet ab oculis impiorum, cladem illius persecutionis prudenter euitans, ac latenter.

I OANNIS Apostoli ad septem ecclesiarum episcopos epistolæ septem, iussu Christi conscriptæ, uidelicet ad episcopos ecclesiarum Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Tyatiræ, Sardis, Philadelphiarum, & Laodicearum: quarum argumenta leguntur in secundo & tertio capite Apocalypseos, ut in commentarijs eiusdem loci Victorinus martyr annotauit. Origenes homilia 20. in Numeros, & homilia 13. in Lucam existimat hosce septem episcopos, ad quos Ioannes scribens, Angelos appellat, fuisse uerè angelos, non tantum nomine, & officio, sed etiam natura.

I OANNIS Apostoli, & Euangelistæ epistola ad Parthos. huius mentionem faciens Augustinus in secundo libro quæstionum euangelicarum quæst. 39. ait: DICTVM est à Ioanne in epistola ad Parthos, DILECTISSIMI nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus, scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus; quia uidebimus eum, sicuti est. Hoc quidem testimonium utrum Augustinus ex

prima catholica Ioannis, ubi ad literam hoc idem integrè legitur, citauerit; uel an ex alia quapiam epistola, ad Parthos scripta, adduxerit: non satis perspectum habeo. **A** Vide librum primum in Ioannis epistola.

IOANNIS Actus memorat Philastrius in catalogo hæreseon capite quinquagesimo quarto, inquiens: HABENT Manichæi beati Ioannis Euangelistæ Actus, & Petri, & Pauli similiter ab ecclesia reprobatos; quia in his signa & prodigia magna apostolos fecisse narrent, ita ut pecudes, & bestia, & canes loquerentur; & animas hominum, uelut canum & pecudum, esse dicant. Iacobus, Genuensis archiepiscopus, in libro annuarum festiuitatum profert librum quendam apocryphum Ioannis Euangelistæ De transitu & assumptione Mariæ uirginis: ex quo etiam eiusdem solemnitate historiam summarè collectam recitat. sed arguit ipsius operis uanitatem Augustinus in sermone 35. de sanctis. ubi de corporali morte Mariæ uirginis loquens, sic ait: SED nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorum de Mariæ morte quippiam dixisse apertè. & quid de his dico, cum nec is, qui hanc accepit ante crucem domini in suam, id est Ioannes euangelista, de hoc aliquid posteris retinendum scriptis mandauerit? nullus enim fidelius narrare potuit, (si illud Deus manifestare uoluisset) quàm ille utique, qui hanc nutriendam suscepit. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus uoluit manere occultum. **B** Vide infra in Maria.

IOANNIS Apocalypsin Alogiani hæretici non à Ioanne Apostolo, sed à Cerintho hæretico editam crediderunt. & propter hoc ipsam, ut opus pestilentissimi nebulonis, uitandam censuere. Epiphanius libro secundo aduersus hæreses. Vide infra libro sexto Hæresi.

IOANNIS Apocalypsis iuxta Cerinthum, de hoc opere Gaius, Origenis discipulus, in dialogo disputationum suarum ita scribit: CERINTHVS per reuelationes quasdam, quas uelut ab Apostolo magno conscriptas, & per Angelos ei reuelatas putaret, talia quædam portenta nobis inducit; Post resurrectionem terrenum futurum esse regnum Christi in Hierusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis & uitiis subiectam conuersationem habituros. contra fidem quoque scripturarum quosdam mille annos designat; in quibus multa quidem & alia corruptionis opera, & nuptiarum festiuitates dicit futuras, ad eos, qui libidini sunt dediti, decipiendos. **C**

IOANNIS MACCABAEI, summi pontificis, Commentarius, siue Liber dierum sacerdotij Ioannis. ex hoc autor primi libri Macc. gesta aliquot Ioannis, Mathathia filij, excerpit; cuius postremum caput primi Maccabæorum meminit his uerbis: CAETERA sermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum uirtutum, quibus fortiter gessit, & ædificij murorum, quos extruxit, & rerum gestarum eius, ecce hæc scripta sunt in libro dierum principatus & sacerdotij eius. **D** Extat hoc opus græcum Lugduni in bibliotheca, quæ fuerat Sanctis Pagnini, uiri trium linguarum peritissimi, sub titulo LIBRI QUARTI MACCABAEORVM. Vide supra libro primo, in sectione Apocryphorum.

IONATHAS, Pontifex, & dux Iudæorum, scripsit pro ineundo fœdere cum Lacedæmonijs ad Spartanos epistolam, quæ habetur 1. Maccab. 12.

IOSEPH Oratio, siue Sermo, uel Narratio, uel Disputatio Iosephi, filij Iacob patriarchæ, scriptura fuit apud ueteres tam hebræos, quàm Christianos non parum habens autoritatis: quam Origenes non contemnendam scripturam appellauit; fortè, quòd quædam in ea legisset placitis suis congruentia. nam in secundo tomæ explanationis in Ioannem huius præcipuè testimonijs utitur ad confirmandam assertionem de incarnatione quorundam angelorum, quos ipse credit ad imitationem seruatoris nostri humanam animam & corpus assumpsisse, ita scribens: QVOD SI QVIS approbat etiam mysticam illam, quæ apud hebræos habetur, Ioseph orationem; is illinc simile huic dogma accipiet, scilicet quosdam ex angelorum natura in hominum naturam descendisse, ait enim in hac oratione Iacob, Ego enim, qui uobiscum loquor, Iacob & Israel, Dei sum angelus, & spiritus principalis; &

Abraham

A Abraham & Isaac ante omne opus creati sunt. ego autem Iacob non ab hominibus Iacob uocatus, sed Israel est nomen meum; uocatusque sum Israel à Deo, Vir uidentem Deum. ego enim sum primogenitus omnis animalis, quod à Deo uita usum accipit. & cum uenirem ex Mesopotamia Syria, exiuit Vriel, Dei angelus; meque in terram descendisse dixit, & inter homines habitauisse, atque appellari Iacob nomine. me porrò æmulatus est, ac mecum pugnavit, & luctatus est, dicens fore, ut nomen suum meo nomini, atque ei, quod omne euangelium anteiret, antepone-retur. eique nomen suum expressi: principatumque in Dei filiis obtinet. nam tu Vriel es, à me octauus. ego quoque sum Israel, exercitus domini archangelus, sumque in Dei filiis præfectus mille militum. non ne sum ille Israel in Dei conspectu primus minister? & Deum meum nomine immortalis inuocaui. Sed longius à proposito aberrauimus, assumpta de Iacob disputatione, testeque nobis producta non contemnenda scriptura. Hæc Origenes; qui in Tomis explanationum in Genesim ostendens ex hac eadem narratione, quòd in astris cæli, ueluti in libris, omnes humanorum euentuum prænotiones legi possint à peritis fiderum inspectoribus, sic inquit: VNIVERSVM cælum est quasi liber quidam apertus, omnia futura in se conscripta continens. idcirco in oratione Ioseph sic intelligi potest, quòd à Iacob ad filios dicitur; Legi in tabulis cæli quæcunque contingent uobis & filiis uestris. Hæc eadem uerba, ex hac ipsa scriptura nominatim desumpta, referunt Eusebius Cæsariensis libro sexto euangelicæ preparationis, & Procopius Gazæus in expositione primi capitis libri Geneseos. Athanasius in sua Synopsi totam hanc narrationem reicit inter Apocrypha scripta.

IOTA & Apex in hebraico Matthæi euangelio appellantur יוֹד אֶפֶס Iod, & Okez, id est Iod, uel Apex; in græco uerò ἰωτα ἐν ἡ μίση νεφέλη, hoc est Iota unum, aut unus apex. de his Christus apud Matthæum obiter loquens ait: AMEN dico uobis, donec transeat cælum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit

Matth. 5.

C à lege, donec omnia fiant. uolens his uerbis uehementer exprimere perfectam totius legis obseruationem in se ipso usque ad minima & leuissima præcepta implendam. hæc enim Iod, & apices minimæ legis particulæ significabant. cum enim duo sint in lege præceptorum genera, Morale alterum, alterum Cæremoniale; Christus utrumque impleuit. nam cæremonialia, quæ nihil erant nisi umbra & figura uenturi Christi, Christus ipse aduentus sui fulgore obscurauit. Moralia uerò solus ipse in se ipso & à se ipso iuxta uoluntatem legislatoris Dei perfectissime adimpleuit, quia solus innocens fuit, & absque peccato: deinde & hæc eadem nobis spiritu gratiæ suæ concessit implere. Verum, quoniam Apicis nomine tam apud Græcos, quàm apud Latinos duo significantur, puncta uidelicet, ac supræma literarum summitates; occasionem præbuit hic locus inquirendi, quid Apex nunc significet, puncta ne, an literarum summitates. Christianus Druthmanus in commentarijs super Matthæum hac de re ita scribit: APEX titulata dicitur, quæ apud antiquos super quibusdam literis ponebatur, siue differentiæ causa, siue ut ostenderetur geminandam esse literam. Verbi gratia, Populus quando gentem significabat, non ponebatur; quando uerò Populus arborem significabat; tunc ponebatur apex desuper, ut admoneret lectorem, ab usitato intellectu recedendum, & longam esse syllabam. Geminationis quoque causa ponebatur, ut in Alleluia, quia duo LL ibi esse debent, scribebatur unum L, & apex desuper. exinde intelligebatur geminandam esse literam L. in syllaba quoque IA similiter super I apex ponebatur, ut ostenderet geminandum esse illud T. Ostendit ergo dominus tales differentias non prætereundas in scriptura diuina: quia, si negligerentur, sensus quoque unã interiret. Hæc ille. Alij ex Latinis autumant per Apices hic intelligi oportere puncta illa; quæ passim in codicibus hebraicis scribuntur ad formandos uocalium literarum sonos: afferuntque horum punctorum notas non solum Christi temporibus, sed etiam longè antea fuisse, attestantibus id multis hebræorum doctoribus, ex quibus aliqui inuentionem uocalium punctorum referunt ad uiros synagogæ magnæ; in qua fuerunt Aggæus, Zacharias, Malachias, Daniel, Hananias, Azarias, Ezras, & Nehemia: alij uerò

R 3 centent

centent inuentionem hanc esse à Deo, qui legem tradidit Moyfi in monte Synai unâ cum literis & uocalibus punctis. Horum sententiæ maior doctorum uirorum pars repugnat; de quorum numero Augustinus in primo libro de sermone domini in monte per Apices exponit particulas in summo literarum positas. Isidorus Apices dicit esse lineolas in cacuminibus literarum; Euthymius lineas obliquas; Thomas uocat uirgulas in summitate literarum ductas, quæ assemiles hebraicarum literarum figuras distinguunt. quam quidem sententiam uerissimam existimo, tum quia uox illa Syra, siue Chaldaica ܟܦܝܟܝܘܢ Okez, magis fastigium rei, quam punctum significet: tum quia satis constat temporibus Christi, & longè post hebræorum literas caruisse uocalibus punctis; quos, ut scribit Elias in præfat. libri Maforeth Hammaforeth, Rabbinus urbis Tyberiadis, præ cæteris in lingua sancta exercitiores, inueniunt, ac legi addiderunt anno ab ultima ductas, de uastatione 436. hoc est anno Christi 476. cuius etiam rei argumenta sunt, quod nec Epiphanius, nec Hieronymus ullam prorsus horum punctorum fecerunt mentionem; quanquam sæpe occasionem & necessitatem habuerint loquendi de ipsis, si tunc temporis illa fuissent. & uetustissimi hebræorum codices etiam si nunc puncta habeant, aliquando tamen ea non habuisse, tum ex atramenti dissimilitudine, tum ex situ ipsorum deprehenduntur. Utebantur autem ueteres Iudæi in scribendo solis ferè semper, ut aliàs dictum est, consonantibus; quas ex uulgata loquendi consuetudine iuxta uarietatem regionum pronuntiabant. Testatur hoc in epistola ad Euagrium Hieronymus; qui differens, an ubi in Genesi dicitur, MELCHISEDEK, REX SALEM, Legendum sit Salem, uel Salim, sic ait: NON refert, utrum Salem, uel Salim legas, cum uocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi; & pro uoluntate lectorum, atque diuersitate regionum eadem uerba diuersis sonis, atque accentibus proferant. Vide hac de re libro tertio, in expositione Elementaria.

Gen. 14. d

IUDICIALES LIBRI, siue Libri in iudicio aperti. de his inquit Daniel capite septimo: **IUDICIVM** sedit, & libri aperti sunt. Librorum apertio significat apertionem cordium, & humanarum mentium, quæ nunc nobis inscrutabiles sunt, in die iudicij futuram; quando ante tribunal Dei in omnium conspectu cuiusque opera siue bona, siue mala patefient. Cum autem Deus libros apud se clausos esse uult usque ad supremam illam diem: hoc exemplo nos admonet, ne occultas & incomptas fratrum nostrorum mentes, atque cogitationes, quas Deus moralibus in hoc sæculo occultari uoluit, temere iudicemus; sed illi iudicandas relinquamus, qui solus nouit hominum corda, iuxta Pauli præceptum, dicentis: **ITAQVE** nolite ante tempus iudicare, quousque ueniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

I Cor. 4. n

IUDAE ISCARIOTIS Euangeliû Caiani hæretici maximè uenerati sunt. In quo quidem laudatur magnificè Iudas, quod Christum, magistrum suum, tradiderit Iudæis iuxta eam, quam habebat, diuinæ determinationis notitiam. nouerat enim Iudas, quod per mortem Christi redimeretur mundus, & regnum Sathanæ euerteretur: & ob id festinavit tradere Christum, ut nobis per crucem eius salutem pararet. Epiphanius libro primo Panarij aduersus Caianos, & Theodoretus libro primo hæreticarum fabularum, testes sunt.

IUDAS MACCABAEVS collegit cõmentarios belli sacri, quod Mathathias pater aduersus reges Asiæ pro patria libertate, ac diuinis legibus suscepit, & ipse post patrem gloriosè confecit. hos non obscurè subindicat autor secundi libri Maccabæorum cap. 2. his uerbis: **IUDAS** ea, quæ didicerat per bellum, quod nobis acciderat, collegit omnia, & sunt apud nos. quæ si desideratis legere; mittite qui ad uos deferant.

IUSTORVM LIBER (quem sacræ literæ appellant סֵפֶר הַיּוֹשֵׁעַ Sepher Chaiasciar, & **LXX.** ubique uerterunt $\beta\iota\beta\lambda\iota\omicron\nu\ \tau\omicron\ \iota\upsilon\sigma\tau\omicron\varsigma$, hoc est Librum iusti) magna fuit apud diuinos scriptores autoritatis. ex quo in libro Iosue producit testimonium de miraculo Solis stantis in medio cœli his uerbis: **NON** scriptum est hoc in libro

Ios. 10.

A libro iustorum, Steteruntq; Sol & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis? & libro Regum secundo cap. 1. habetur: **PRAECEPIT** Dauid, ut docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro iustorum. Quidam existimant hunc esse librum sempiternæ prædestinationis, in quo scripti sunt omnes iusti, quos Deus in æterna præscientia prænouit esse saluandos; testante id psalmo 63. in quo legitur, **DELEANTVR** de libro iustorum, & cum iustis non scribantur. Hieronymus in Quæstionibus super libris Regum (si tamen opus illud Hieronymi est) tradit hunc esse librum Samuelis, id est primum & secundum uolumen Regum, quod in eo scribantur gesta iustorum, Samuelis uidelicet, Dauid, Nathan, Gad, & aliorum iustorum. Quidam Hebræorum, quibus non uidetur uerissimile, ut idem liber in testimonium propriæ sententiæ adducat se ipsum; existimant hunc esse librum duodecim prophetarum; quia uerba citata in libro Iosue scripta sunt in oratione Abacuchi in hunc modum: **SOL & Luna** steterunt in habitaculo suo. quæ quidem sententia uera esse non potest, eo quod liber duodecim prophetarum scriptus sit post tempora Iosue ferè annis mille. Proinde Rabbi Salomon docet hunc esse uolumen totius legis, in quo scripta sunt gesta iustorum Abraham, Isaac, Iacob, & Moyfis; præsertim uerò admonitio illa ad filios Israel, ut se in arte bellica, in qua tunc præcipuum locum tenebant, arcus & sagittæ se exercerent, memores illius præcepti; **MANVS TVAE IN CERVICIBVS INIMICORVM TVORVM**; quod in Genesis continetur uolumine. Sunt etiam qui credant hunc esse librum Exodi, quia in eo dixerit Deus ad Moysem: **SCRIBE** hoc ob monumentum; & trade auribus Iosue; quoniam delebo memoriam Amalech de sub cœlo. Theodoretus, Cyrensis episcopus, in quæstionibus in Iesum Naue, autumat hunc esse uetustissimum commentarium, ex quo historia libri Iosue ab incerto autore per compendium collecta fuerit.

Abac. 3.

Gen. 49.

Exod. 17.

L



LAMVEL, rex Hebræus, scripsit bipartitam quandam instructionem, quæ in ultimo Prouerbiorum capite recitatur: cuius prior pars breuem regis institutionem habet; posterior uerò continet institutionem matrisfamilias, uiginti duobus carminibus comprehensam; iuxta ordinem uidelicet ac numerum hebraicarum literarum; ita ut singuli uersus à singulis literis incipiant. Iudæi arbitrantur hunc Lamuelem fuisse Salomonem, idcirco לַמּוֹעַל Lamuel, hoc est Apud nos Deus, appellatum, quia in diebus eius fuerit Deus cum Israël.

D magno zelo templum Deo maximo erexit, & diuinum cultum propagauit.

LEX Cordi inscripta (quam Deus per Ieremiam fidelibus suis pollicitus est, **LEX** inquit: Post dies illos dabo legem meam in uisceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam) est lex euangelicæ gratiæ, hoc est diuini amoris uita & ardens experientia, scripta non in tabulis lapideis, quemadmodum lex illa uetus, de qua tantopere Iudæi gloriantur; neque in paginis caducis atramento delebili, sed in tabulis cordis carnis ac mollibus; non calamo, sed digito Dei uiuo; hoc est spiritu sancto; qui præcepta amoris fidelium cordibus ita impresit, ut qui hanc legem tenet, omnia, ut inquit Paulus; legis mandata impleat; nec opus habeat longis adhortationibus, quibus ad bene beateque uiuendum accendatur. charitas enim per se ardens, & perpetuo erga Deum & proximum dilectionis incendio exæstuans nescit esse ociosa, sed in opera sancta sponte sua prorumpit. Chrysostomus, hoc idem ferè sentiens; ait, conscriptionem hanc legis, de qua propheta loquitur, esse instaurationem, & lucidiorem expressionem illius antiquissimæ ac primæ omnium legis, quam Deus in primo humani generis sæculo sine ullo scripto electis suis tradidit.

Ierem. 31.

cum

cùm enim perbeati illi uiri Adam, Abel, Henoc, Nohe, Abraham, Iob integerrima A
uita pollerent; nullis indigebant libris, aut scriptis; sed corda librorum uice illis
erant; & pro paginis, ac membranis erant iis animi, atque mentes incorruptæ; in
quibus Deus non atramento, sed illustrationis suæ gratia leges suas, tanquam in
uiuis & animatis libris, scribebat, omnia suggerens, quæ forent ad piam sanctamq;
uitam necessaria. sed postquam progressu temporis humanum genus in uitiorum
barathrum delapsum est, omnem diuini spiritus conscriptionem de corde aboleuit.
unde & tabulæ, & libri postea in locum abolitæ legis subrogati sunt; ut per eos ad
reminiscentiam deperditæ disciplinæ homines excitarentur. sed, cùm ea parum pro-
fuisent, aduenit tandem legifer noster Christus; qui legem Dei, ab exordio mundi
sine scripturis traditam, iterum iuxta Ieremiæ uaticinium humanis cordibus per
spiritum sanctum insculperet.

LIBER Desideratus à Iob. huius recordatur ipse Iob capite decimo nono, in-
quies: **Q**UIS mihi tribuat, ut exarentur sermones mei in libro uel stylo fer- B
reo, & plumbea lamina, uel celte sculpantur in silice? & iterum capite trigesi-
mo primo, idem aliis uerbis repetens, addit: **Q**UIS mihi tribuat, ut desiderium
meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat; ut in humero meo il-
lum portem, & circumdem illum, quasi coronam mihi, & per singulos gradus meos
pronunciem illum, & quasi principi offeram eum? Liber hic, tantopere à bea-
to Iob expetitus, nihil aliud significat, nisi apertam innocentia suæ demonstratio-
nem; quam ipse optat à Deo, rerum omnium inspectore, patefieri. cùm enim an-
niteretur ostendere se non pro admisis flagitijs torqueri, sed ad probationem uir-
tutis, & examen patientiæ tribulationibus exerceri; neque id incredulis amicis per-
suadere posset, qui eum, ut hypocritam, iusto Dei iudicio plesti assenerabant; li-
brum à Deo scribi desiderat. hoc est Apologiam & Iustificationem integritatis suæ,
Deo reuelante, literis mandari, & ad memoriam posteritatis transmitti precatur,
non ad gloriæ ostentationem, sed ad consolationem piorum; ut, his auditis, agno- C
scant sæpe Deum electis suis aduersitates ad exercitium pietatis immittere. Notan-
dum est autem, quò ad phrasin attinet, plumbi laminam non ita referri ad styllum,
ut sit sensus, stylo ferri & plumbi, siue ferreo & plumbeo stylo literas sculpi in silice:
(siquidem stylo plumbeo lapides excindi non possunt) sed est sensus, stylo ferreo in-
sculpi literas, mox plumbea lamina in lapide efformandas. qui enim literas marmo-
ri inscribit, primùm celte, uel ferreo stylo eas excauat; deinde laminis plumbeis,
aut æneis uacua literarum spacia replet, ut earum notas magis reddat conspicuas;
sicut Romæ spectari potest in inscriptione M. Agrippæ tertium consulis; quæ adhuc
in frontispicio templi Pantheon uisitur.

LIBER Legis, ab Helchia repertus, de quo scribitur in quarto libro Regum
cap. 22. & in secundo Paralipomenon cap. 34. hac occasione inuentus est.
Cùm Manasses, impius rex, qui Hierosolymitano regno quinquaginta quinque annis
præfuit, penitus aboleuisset libros legis domini, & occidisset prophetas & sacerdo- D
tes, qui eam docebant; ac ceteros pios uiros, qui impietatem suam sequi noluerant:
uir quidam, zelo sanctarum legum incensus, abdidit exemplar legis diuinæ in pen-
tralibus templi. cùm autem Iosias, rex pijsimus, anno ætatis suæ 26. regni autem
18. misisset ad Helchiam pontificem, patrem Ieremiæ prophetæ, ut pecuniam, quæ
erat in abditis templi, proferret ad instaurandas ruinas templi: ille aurum diligen-
ter perquirens, librum quoque legis sacræ inuenit, & ad regem misit. qui cùm di-
uinas comminationes, & imminentes urbis calamitates, quæ in illo descriptæ erant,
audisset; scissa ueste iussit ire Helchiam pontificem, & Sapham scribam ad consulend-
um Oldam prophetissam, si quo consilio, aut auxilio ea clades effugi posset. Sunt
qui existimant hunc librum non fuisse codicem Mosaicæ legis, sed aliud quoddam
propheticum uolumen: quia cùm Manasses post penitentiam suam, & libertatem
adeptam ex Babylonica captiuitate reuersus esset in regnum; templum purgauit, ido-
la abiecit, & cultum Dei restituit, quemadmodum in secundo Paralipomenon legi-
mus. nec uerisimile est eum non instaurasse legem domini, quæ caput est & fons to-
tius

A tius diuini cultus. credibile est etiam Iosiam, utpote uirum religiosissimum, le-
gem, iam à Manasse instauratam, frequenter non solum audisse & legisse, sed etiam
probè nosse. quapropter si liber nuper inuentus, & ante eum lectus continuisset le-
gem Mosaicam, cuius lectioni iam assueuerat rex; non oportuerat eum ad uerba
libri, ueluti ad rem inopinatam, & tum primùm auditam, adeò uehementer per-
turbari, ut uestem disrumperet, & ad Oldam prophetissam mitteret sciscitatum de
sensu eius scripturæ. Chrysostomus homilia nona in Matthæum, & Rabbi Salomon
putant hunc fuisse librum Deuteronomij, quem Manasses, senio grauatus, & morte
præuentus, inuenire non potuit. cuius narrationem tum primùm audiens Iosias,
cùm peruenisset ad uerba capitis 28. quæ prædicebant Iudæis supremum excidium,
& diurnam captiuitatem, siquando Deum dereliquissent; tanto animi dolore cor-
reptus est, ut cum fletu & lacrymis uestem scinderet, & omnem populum cogeret
iuramentum præbere, se deinceps omnia præcepta eius libri integrè seruaturum.
B Inuentus est itaque liber Deuteronomij, multis antea annis absconditus, anno ab or-
be condito ter millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo. quem cùm rursus
temporum iniuriæ perdidissent, demum Christiani inuenere luto obrutum, paulò ante
Chrysostomi ætatem. quod & ipse homilia septima in priorem ad Corinth. annorauit.

LIGNORVM duorum scriptura. de hac legitur apud Ezechielem capite
trigesimo septimo in hunc modum: **F**ILI hominis fume tibi lignum unum, &
scribe super illud Iudæ, & filiorum Israel sociorum eius. & tolle lignum alterum, &
scribe super illud Ioseph, Ephraim, & cunctarum domus Israel, ac sociorum eius. &
adiunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu
tua. Scriptura hæc symbolum fuit coniunctionis totius populi hebræi inter se di-
scordantis, & dispersi & auulsi sub uno rege Melsia. Historia nota est, quòd sub Ro-
boam, filio Salomonis, decem tribus ad Ieroboam, filiū Nabath, de tribu Ephraim,
filij Ioseph, concesserint, sicut scriptum est in tertio Regum cap. 12. & post hæc po-
puli duo extiterunt, Iuda uidelicet, & socij eius tribus Benjamin, & decem tribus,
C quæ Ioseph, uel Ephraim uocabatur: & hæc duæ gentes post regem Iosiam dispersæ
sunt inter gentes: & post Sedechiam utrunque regnum exterminatum fuit. Ex hac
igitur duorum lignorum imagine prædicit propheta populos hos duos non solum li-
berandos, sed iterum coniungendos in unum regnum Melsiæ, & coituos consensu
summo in unum regem legitimum, ut prorsus unum sceptrum uideatur, & sit. ex
ligno enim sceptrum regni symbolum fiebat. priore ligno inscribitur Iuda & socij,
id est Benjamin. inscriptio alterius erat Ephraim. Voluit autem propheta uerbo
Dei adiungere hoc signum, ut aures per conspectum oculorum commoueret effica-
cius. uisa enim attentionem impetrant orationi loquentis. sic in lege ueteri multæ
caremonia adhibebantur, ut his ritibus simplices, & pueri commoti interrogarent,
quid ea sibi uellent, & intelligerent. sic & caremonia multæ in ecclesia institutæ
sunt, ut ex his interiorem, & abditam Dei uoluntatem imbecillitas ingenij nostri co-
gnoscat. Volunt aliqui hæc duo ligna miraculo in unum coaluisse. quod si recipi-
D tur; parabola erit efficacior. Significabat hoc symbolum unionis duorum lignorum,
per unionem duorum lignorum crucis Christi coituos in unam ecclesiam sub uno
rege Christo duos populos, Gentilem, & Iudæum summo animorum consensu. un-
de Paulus, **F**ECIT, inquit, utraque unum, reconcilians inimicitias in semet ipso, Eph. 2. a
pacem his qui erant prope, &c.

LINVS, de septuaginta duobus Christi discipulis unus, cuius nomine Paulus
Timotheum in posteriore ad ipsum epistola salutat, primus post Petrum Rom.
ecclesiæ pontifex, natione Hetruscus, scripsit græco sermone De Petri, & Pauli ago-
ne libros duos, itemq; epistolas aliquot. Moritur Romæ sub Galba imperatore an-
no Christi septuagesimo post expletos pontificatus sui annos undecim, menses tres,
dies duodecim.

LITERA Occidens (de qua Paulus in posteriore ad Corinthios epistola scri-
bens, ait: **L**ITERA occidit, spiritus autem uiuificat) est lex Moysi, cui passim
ascribit Apostolus non solum, quòd animam occidat, sed etiam quòd concupiscen- 2 Cor. 3. b
tia

tia fomitem excitet ad peccandum; quod abundantiam pariat peccatorum; quod iram & indignationem inducat, mortemque inferat, & damnationem ministret. sic enim scribens ad Romanos, inquit: OCCASIONE accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. & iterum, Lex iram operatur. ubi enim non est lex, nec prauaricatio. & Lex subintravit, ut abundaret delictum. item, Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. item, Mandatum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum. & in secunda ad Corinthios uocat eam ministram mortis, & ministrationem damnationis. & in epistola ad Galatas Scripturam maledictionis appellat, non ob id, quod lex mala sit, ac suapte natura noxia, uel auctoris sui malignitate mortifera, quemadmodum olim Manichæi, legis destructores, dicebant; sed propter alias longè diuersas causas, quas orthodoxi patres ex Pauli doctrina didicerunt. Origenes inquit per literam, quæ occidit, intelligendam esse omnem tropicam & figuratam diuinæ scripturæ locutionem, omnemque umbratilem ueterum cæremoniarum præceptionem, iuxta nudum literæ sensum intellectam, sicut ipsa eius uerba sonant. quo sane modo litera eos occidit, qui, spiritalem sensum in eis latentem spernentes, solam externam & carnalem intelligentiam sectantur. quoniam, ut ait Paulus, in octauo capite epistolæ ad Romanos, sapere secundum carnem mors est; sapere autem secundum spiritum, uita & pax. ueluti si quisquam omnia, quæ scripta sunt in Cantico canticorum, carnaliter accipiat iuxta libidinosam carnalis amoris concupiscentiam, & non secundum casti ac diuini amoris affectum: hic ex peruersa literæ intelligentia occiditur. uel si quis circumcisionem, sacrificia, cæterasque legis umbras, quas Deus fœdere sempiterno seruari iubet, adhuc iuxta literam credat esse faciendam, & non magis secundum spiritum implenda: is à Christi gratia in iudaismum labitur, & se ipsum interimit. Est autem, ut idem inquit Origenes homilia 7. in Leuiticum, non solum in ueteri testamento, sed etiam in nouo testamento huiusmodi occidens litera; quæ occidit eum, qui non spiritualiter, quæ dicuntur, aduertit. si enim secundum literam sequaris hoc ipsum, quod dictum est: qui non habet gladium, uendat tunicam suam, & emat gladium. ecce & hæc litera euangelij est; sed occidit. si uero spiritualiter eam suscipias; non occidit: sed est in ea spiritus uiuificans. Chrysostomus ait, literæ occidentis uocabulo significari legem Mosaicam; spiritus uero uiuificantis nomine, gratiã, quæ per baptismum confertur. quia lex delinquentes damnat ac punit: gratia uero peccatores absoluit, & iustificat. lex si prehenderit homicidam; tollit eum è uiuis: gratia si acceperit homicidam; illuminat, ac uiuificat. ligna Sabbato colligentem litera legis occidens lapidat. innumerabiles homicidas, ac latrones recipit gratia uiuificantis spiritus, & baptizatos seruat. lex è uiuo reddit mortuum: quem capit gratia, è mortuo facit uiuum, inquit, VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS, ET ONERATI ESTIS: ET EGO REFICIAM VOS. non dixit, Puniam uos, sed Reficiam uos. nam in baptismo delentur peccata, delentur priora, uiuificatur homo; & in corde eius, uelut in tabula, scribitur omnis gratia. Augustinus in libro De spiritu & litera, in quo hanc Pauli sententiam copiosissimè tractat, per legem intelligit ipsam præcipuè decalogi legem: quæ quanquam iusta & optima sit; occidere tamen, & iram, & peccatum, & maledictionem operari dicitur: quia dum peccatum ostendit & prohibet, occasionem præbet spiritualis interitus duobus potissimum modis; hoc est, peccandi desiderium augendo, & peccati prauaricationem aggrauando. Primò enim cum lex uetat peccatum, ex hac prohibitionem auget concupiscentiam, malorum omnium fontem; quæ suapte natura nititur in uetitem semper, cupitque negata. nam quemadmodum aquæ impetus, si in eam paritem, ad quam sua uiolentia rapitur, non cesset influere, uehementior fit obice opposito; cuius cum molem euicerit, maiore cumulo præcipitatus, per prona prouoluitur: ita hoc ipsum, quod concupiscitur, ardentius desideratur, dum uetatur; acrius torquet, dum non habetur; & iocundius fit, cum obtinetur. & hoc est, quod Paulus indicare uoluit, cum dixit: OCCASIONE accepta, peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam. & iterum, Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit

A seduxit me, & occidit. Deinde lex perpetrati sceleris grauitatem cumulat & exaggerat, propterea quod multo sit grauius in peccatum decidisse, ubi lex peccatum ostendit, atque prohibuit, quam antea: quia ubi lex non est, ibi nec prauaricatio est, ut inquit Apostolus. at cum per legem cognitio peccati patefacta est; tunc eius, qui sciens uolensque peccat, maius & grauius crimen existimatur. & ob hæc causam dixit Paulus: Lex subintravit, ut abundaret delictum: & per mandatum fit supra modum peccans peccatum. His igitur de causis non immeritò lex litera occidens dicitur. spiritus uero gratiæ meritò uiuificans dicitur: quia concupiscentiam, quam lex auget, minuit, peccandi desiderium extinguit, & contrarium huic benefaciendi desiderium per fidem inspirat, & per charitatem, in cordibus nostris diffusam, desiderium bonum bonis operibus explet.

L Y S I A E, Antiochi regis Syriæ familiaris & comitis, epistola ad populum Iudæorum habetur in secundo Maccabæorum cap. 11.

B L V C A S Euangelista, euangelij & actuum apostolicorum scriptor, à plerisque ueterum creditus est auctor epistolæ, quæ nomine Pauli apostoli ad Hebræos inscribitur; inter quos præcipuum fuisse Tertullianum, Hieronymus in catalogo scriptorum eccl. testatur. quam sententiam prorsus falsam ostendemus in septimo huius operis uolumine. Tertullianus memoriæ prodidit, presbyterum quendam Asianum, Pauli studiosum. pio quidem, sed mendaci zelo finxisse Actus quosdam Pauli, & Teclæ falsò Lucæ titulo inscriptos, eumque, cum de falsitate in iudicio conuinceretur, confessum id se amore Pauli inductum fecisse. Dicitur etiam Lucas post scriptam à se Christi seruatoris uitam, etiam imaginem ipsius ac matris eiusdem pennicillo & coloribus pinxisse, & utriusque icones Antiochenæ ecclesiæ reliquisse. cuius rei mentionem faciens Simon Metaphrastes in uita D. Lucæ sic scribit: Hoc autem inter cætera gratissimum est, quod ipsum quoque assumptum typum humanitatis Christi, ac signum eius, quæ illum peperit; Lucas primus omnium cæra & lineamentis pingens, ut ad hæc usque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tanquam non satis esse existimans mente & spiritu cum his esse, quos desiderabat, nisi etiam per imaginem ac typum uerfaretur cum eis. quod feruentissimi amoris indicium est. Hactenus ille. Nicephorus Callisti, ecclesiast. historiæ lib. 14. & 15. de imagine Deiparæ uirginis, à Luca depicta, loquitur in hunc modum: PVLCHERRA Augusta templum in urbe Constantinopolitana extruxit, τὸν ὀρθῶν, hoc est Viæ ducum, appellatum: ubi ex Antiochia transmissam matris Dei imaginem dedicauit: quam D. apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc uiuente, & tabulam ipsam uidentem, gratiamque adeò illi formæ suæ immittente. Hæc imago primùm in eoloëo, qui Tribunal dicitur, fuit: ubi ea, quæ nunc quoque fiunt, miracula peracta sunt. Hæc Nicephorus: Vidimus olim Venetiis in ædibus Titiani, celebratissimi nostrorum temporum pictoris, exemplar huius sacræ picturæ, ex archetypo D. Lucæ; ut credebatur, exceptum: in quo spectabantur omnes illæ notæ, quas idem Nicephorus expressit in secundo eiusdem historiæ uolumine: ubi staturam, formamque sanctissimæ uirginis ex Epiphaniij sententia describens, hæc assert: MARIA uirgo statura fuit mediocri, quamuis sint, qui eam aliquantulum staturam mediocrem excessisse dicant: colore fuit frumentum referente, capillo flauo, oculis acribus, subflauas & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens: supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; nasus longior; labia florida, & uerborum suauitate plena; facies non rotunda, uel acuta, sed aliquanto longior; manus simul & digiti longiores. erat denique fastus omnis exers, simplex, minimeque uultum fingens. uestimentis natiui coloris contenta fuit. id quod etiam sanctum capitis eius uelamen ostendit.

M



MARCVS, Alexandria episcopus, atque euangelista, (quem Lucas in Actis apostolicis capite duodecimo Ioannem nominat, Mariæ filium) post euangelium, à se ex ore Petri apostoli, cuius comes & interpret fuit, collectum, scripsit breui uolumine Barnabæ Apostoli, & consobrini sui uitam; quam Beda presbyter ex græco eloquio in latinum sermonem transtulisse creditur. Meminit huius operis Iacobus, archiepiscopus Genuensis, in libro annuarum festiuitatum. Sunt & qui eum alia literarum monumentis mandasse referant; quorum

nec ipsi titulos recensent, nec nos alicubi annotatos inuenimus.

Dan. 5.

MANVS in pariete Babylonicæ regis apparentis scriptura, tria duntaxat habuit chaldaica uerba, eaque infaustissimi ominis nuncia, uidelicet מנא MENE, id est Numerauit, uel, ut græci legunt, ἐμέτρησε Mensus est. תקל THEKEL, quod est Appendit. פרות PHERES, hoc est Diuisit.

HARVM conscriptionis occasionem, & interpretationem simul, Daniel in quinto sui uoluminis capite refert fuisse talem. Cum intra Babylonem Balthassar, Assyriorum rex, à Cyro Persarum & Dario Medorum regibus obsideretur; ipse, profus neglectis hostibus, in aula quadam ampla cœnans, magno apparatu discumbebat, accumbentibus simul concubinis, & purpuratorum præcipuis. cumque iam mero incaluisset, iussit afferri sancta uasa, quæ Nabuchodonosor ex templo Hierosolymitano in suum templum reposuerat: & cum in eis unâ cum pellicibus suis potaret, multaque in Deum contumeliosa uerba iactaret; repente ex aduerso pariete manus prominere uisa est, cuius digiti prædicta uerba, in eo paulatim descripta, relinquebant. Quo portento maxime perterritus rex, cum à magis & diuinatoribus suis scripturæ sensum diu multumque perquisisset, neque inuenire potuisset; tandem, accito Daniele, luctuosam ab eo uerborum interpretationem assecutus est, in hunc modum. QUANDO QUIDEM, inquit Daniel, ò rex, Deum omnium maximum, qui te ad tanti regni fastigium euexit, superbe contempsisti, & aduersus eum impias uoces ore sacrilego profudisti, & in sacris eius uasis unâ cum pellicibus tuis bibere non es ueritus; ob hæc iratus Deus denunciât tibi hoc scripto, qualem sis habiturus regni uitæque exitum. sic enim singula eius uerba interpretanda sunt:

MENE, id est Numerauit, significat numerasse Deum dies tam uitæ, quam regni tui; & utriusque finem mox adesse.

THEKEL, hoc est Appendit, significat appendisse Deum in libra iustitiæ suæ opera tuæ; & in altera quidem libra lance, quæ depressior erat, apparuisse pondus enorme superbie, luxus, blasphemie, & tyrannidis tuæ: in altera uerò, quæ leuissima erat, apparuisse te minus habere pietatis erga Deum, & iustitiæ erga homines, quam par foret regi, eique potissimum regi, quem Deus tot regnis, populisque præfecerat.

PERES, quod est Diuisit, significat diuisisse Deum cunctas opulentissimi regni tui opes, & iam eas per partes in Medos & Persas distribuisse. Atque hæc fuit scripturæ huius occasio, & recta interpretatio. quam quidem fuisse uerissimam, ipse prædictionis euentus statim proximè sequenti nocte comprobauit. dum enim Balthassar, partim prodigij horrore percussus, partim somno uinoque oppressus, iaceret à cubiculariis suis, qui iam antea in eius necem conspirauerant, obruncatus est; & urbs per proditionem Medis, ac Persis tradita.

NON prætereundum hoc loco arbitror, quòd Hebræorum Rabbini ex huius scripturæ interpretatione ansam acceperunt excogitandi nouum quoddam in sacras literas expositionis genus, kabalisticum ab illis appellatum: quo non solum sententias, & integras diuinæ scripturæ orationes explanant, sed & syllabas, & singulas quasque

Kaballistica expositionis species.

EVONAM

A que literas separatim expedientes examinant, & uariis tam historicis, quam mysticis sensibus exponunt, sumpto hinc argumento, quòd quemadmodum licuit Danieli singulas dictiones per singulas integras orationes explicare; ita ceteris synagogæ Rabbini licitum est consimili exemplo syllabas, & ipsas quoque dictionum literas, alteram ab altera diuisas, interpretari per aliquas dictiones, quas literæ illæ significant. Sed de hoc interpretandi genere satis superque scripsimus infra in libro de modis exponendi sanctas scripturas, dum elementariæ expositionis Methodum tractarem: ad quem locum lectorem, harum rerum curiosum, remittimus.

MARIA, uirgo beatissima, domini ac dei nostri Iesu Christi mater, scripsisse fertur breuissimam quandam epistolam ad Ignatium martyrem, Ioannis apostoli discipulum, & tertium post Petrum Antiochenæ ecclesiæ episcopum. is enim cum ardore incredibili teneretur uisendi, & coram alloquendi matrem domini, scripsit ad illam satis breuem epistolam in hunc modum.

Christiferae Mariae suus Ignatius.

ME, neophytum, Ioannisque tui discipulum, confortari, & consolari debueras. de Iesu enim tuo percepi innumera dictu, & stupefactus sum ex auditu. à te autem, quæ semper ei fuisti familiaris & coniuncta, & secretorum eius conscia, desidero animo fieri certior de auditis. scripsi tibi etiam alias, & rogavi. Valeas: & neophyti, qui mecum sunt, ex te & per te & in te confortentur. Amen.

cui epistolæ mater Dei hac responsione satisfecit.

Ignatio, dilecto discipulo, humilis ancilla Christi Iesu.

DE IESU, quæ à Ioanne audisti, ac didicisti, uera sunt. illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis uotum firmiter teneas, & mores & uitam uoto conformes. Veniam autem unâ cum Ioanne, te, & qui tecum sunt, uidere. sta, & in fide uiriliter age. nec te commoueat persecucionis austeritas; sed ualeat, & exultet spiritus tuus in Deo salutaris tuo. Amen.

MEMINIT Ignatii epistolæ D. Bernardus in psalmum nonagesimum sermone septimo his uerbis: MAGNVS ille Ignatius, auditor discipuli, quem diligebat Iesus, martyr noster, cuius preciosis reliquiis nostra est ditata paupertas, Mariam quidem in pluribus, quas ad eam scripsit, epistolis CHRISTIFERAM consalutat. egregius planè titulus dignitatis, id est commendatio honoris immensis. Dionysius Carthusianus in commentariis, quos edidit in librum Dionysij Areopagitæ De diuinis nominibus, ita scribit de epistola Ignatii: SANCTVS Ignatius in una epistolarum suarum ad sacratissimam uirginem feruidè rogat eandem, ut pro consolatione & confortatione sui, & plurium neophytorum dignetur uenire ad se. Vtriusque uerò

epistolæ Marcus Michael, presbyter Cortonensis, in libro de uiris illustribus recordatur hunc in modum: SCRIPSIT Ignatius ad diuersos epistolas quatuor; primam ad Ephesios, secundam ad Magnesios, tertiam ad Colossenses, quartam ad Romanos. Extant & epistolæ eius ad Ioannem Euangelistam, præceptorem suum, & ad Mariam, beatissimam uirginem, & domini nostri saluatoris humillimam matrem; ad quem & ipsa responsiuam & breuem epistolam reddere humiliter non dedignata est.

MARIAE Interrogationes magnæ, & eiusdem Interrogationes paræ, libri sunt execrandis impietatibus & blasphemis à Gnosticis & Stratioticis hæreticis repleti. in quibus inter alia detestandæ fœditatis mysteria ritus traditur Cœnæ dominicæ tanta apud eosdem hæreticos abominatione celebratus, ut animus eloqui horreat, & manus refugiat scribere. sed, ut ex hoc appareat, in quantum prodigiosa cecitatis profundum, & diabolicæ dementiæ barathrum ruant qui Gnosticos, sic ab omnium rerum, quam profitebantur, notitia dictos, imitantur, hoc est qui suo ingenio & sapientia freti, ab ecclesiastica disciplina, & sanctorum patrum traditioni-

bus recedunt; non grauabor breuiter referre quæ de hoc Epiphanius in primò Panarij scribit aduersus Gnosticos. hi ergo in prædicto Magnarum interrogationum uolumine habent, dominum Iesum Christum reuelasse Mariæ uirgini ritum synaxeos & dominicæ communionis, à Gnosticis postea obseruatum in hunc modum. Conueniebant omnes in idem cœnaculum uiri & fœminæ. ibi cum largè & opiparè cœnassent; mariti, abiecta omni uerecundia, uxores suas in publicum exponebant, inuitabatque alter alterum in uxoris suæ complexum his uerbis: Surge frater, & fac dilectionem cum fratre tuo. cum autem inuitatus oblata fœminæ commisceretur; uterque propriis manibus uirilis feminis fluxum excipiebat. mox id ipsum expansis palmis, & protentis more supplicantium manibus, Deo offerebat, adiecta hac præcatiuncula, Offerimus tibi hoc donum, corpus scilicet Christi. statimque semen ipsum ore assumentes, & edentes addebant: Hoc est enim corpus Christi, & hoc est Pascha, id est passio: ideo patiuntur corpora nostra, & consitentur hoc modo passionem Christi. Eodem quoque modo, ubi contigisset fœminam in sanguinis fluxu esse, collectum ab ea menstruum Deo offerebant; & mox edentes dicebant: Et hic est sanguis Christi. Vtebantur autem ad huius turpissimæ feritatis confirmationem non solum prædictis Interrogationum uoluminibus, sed, quod uix credi potest, etiam diuinarum scripturarum testimonijs; ita permittente Deo, ne leuiter credamus ijs, qui dogmata sua, ecclesiæ traditionibus aduersa, ex diuinis literis utcunq; detortis annuntiant astruere exemplo Gnosticorum, qui de hac prodigiosa turpitudine interpretabantur, quod dictum est à Christo, CUM uideritis filium hominis redeuntem, ubi erat prius. hoc est, defluxum humani feminis eò reuertentem, unde exierat. itemque illud, NISI manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem. hoc est, in humano semine, & sanguine menstruo. eodem referebant quod Salomon dixit, BIBE aquam de cisternis tuis. & quod habetur in psalmo primo, TANQUAM lignum plantatum secus decursus aquarum fructum dabit tempore suo, exponebant de membro genitali, quod in defluxu feminis dat fructum uoluptatis. & illud, FOLIUM eius non defluet, idcirco additum dicebant, ne finerent feminis guttas in terram defluere; sed ut collectum ederent. similiter quod in Apocalypsi legitur de arbore ferente duodecim fructus in anno per menses singulos, quæ est lignum uitæ, figuratè interpretabantur de sanguine mulieris menstruo, singulis mensibus fluente. Hæc Epiphanius. Augustinus uero in libro de hæresibus ad Quod uult Deum scribit, Manichæos ætate sua, apud Carthaginem huic execrabili superstitioni addictos, consueuisse eucharistiam fumere ex farina, & humano concumbentium semine conspersam.

MARIAE Stirps, uel Prosapia, ut loco superius citato refert Epiphanius, liber est apud Gnosticos celebris, horrendam & perniciosam doctrinam continens: in quo inter cætera portenta narratur, Zachariam sacerdotem in penetralibus templi ingressum, ut incensum coram Deo adoleret, uidisse formam quandam asinino capite præditam. quam uisionem cum reuelare uellet, & populum admonere, ne asinum adoraret; is, qui uisus est, uocis & linguæ usum illi ademit, sed ademptum paucis post diebus restituit. eo recepto, Zacharias uisionem prodidit Iudæis. illi indignati ipsum obruncarunt. Hac de causa commotus hebræorum legislator, sacerdoti præcepit, ut ingrediens ad sacra peragenda, tintinnabula uestimento appensa gerat: quo sonitu admonitus asininus ille Deus se occultet, ne forma eius, in tempestiuè conspecta, interitum afferat spectatori. Serapion, Thmuenus episcopus, in libro aduersus Manichæos affirmat ex huius libri occasione Christianos olim accusatos ab Ethnicis, quod Iudæis permitti, asinum, Iudæorum numen, colerent. Tertullianus tamen in Apologetico autumat, Gentiles uenisse in hanc suspicionem ex scriptis Cornelij Taciti: qui in quinto historiarum libro referens originem hebræicæ religionis ait, Iudæos ex Aegypto pulsos, cum in uasta Arabiæ solitudine siti macerarentur, ab asinis syluestribus, qui fortè de pastu ad potum petebant, aquarum fontes didicisse; & beneficij memores, bestiam diuinis honoribus coluisse; eiusque effigiem postea in templo consecrassè; atque inde præsumptum à gentibus, Christiana-

nos

A nos, ut Iudaicæ religioni propinquos, asinum pro deo uenerari. unde & quidam iumentorum locator ausus est Tertulliani temporibus apud Carthaginem ante stabulum iumentorum, uelut suæ artis insigne, appendere tabulam, in qua depictus esset homo togatus, dextera librum tenens; de cuius capite asinina prominere aures: in pedibus uero asini ungues spectarentur cum hac inscriptione, DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITIS, id est asiniunguis.

MARIAE Transitus, siue Liber de transitu S. Mariæ, à Gelasio inter Apocrypha scripta reicitur. Iacobus, archiepiscopus Genuæ, in libro Annuarum festiuitatum refert se incidisse in uolumen quoddam apocryphum eiusdem argumenti & tituli, diuo Ioanni Euangelistæ ascriptum: in quo scriptum esset, Mariam uirginem anno uigesimo quarto ab ascensione filij sui ex hac uita migrasse, & omnes apostolos, momento temporis per aera raptos, morienti affuisse; atque eius cadauer, publico funere, & solemnibus exequijs elatum, lapideo monumento condidisse; eamque post diem tertium renixisse; & integro corpore, deducentibus angelis, in cœlum euolasse; Thomam uero, cum abfuisset, & rediens credere recusaret, zonam, qua corpus uirginis præcinctum erat, è sublimi demissam, accepisse resurrectionis, & corporeæ in cœlum assumptionis argumentum. Augustinus serm. 35. de sanctis huius operis inscriptionem, narrationem, & auctoritatem refellit his uerbis: VIRGO MARIA quo ordine hinc ad suprema transierit, nulla catholica narrat historia. non solum autem respuere apocrypha, uerum etiam ignorare dicitur hæc ecclesia. siquidē sunt nonnulla sine auctoris nomine de eius assumptione conscripta; quæ, ut dixi, ita cauentur, ut ad confirmandam rei ueritatem minimè legi permittantur. hinc sanè pulsantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra reperitur, nec assumptio eius cū carne, ut in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia. sed dignum non est de corporis eius notitia sollicitū quempiam esse, quam non dubitat super cœlos elatam cū Christo regnare. sed nec inuenitur apud Latinos aliquis tractatorum de eius morte quippiam dixisse apertè. Et quid de his loquor, cum nec ipse, qui hanc accepit ante crucem domini in sua, id est Ioannes Euangelista, de hoc posteris aliquid scriptis retinendum mandauerit? nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestari uoluisset. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus uoluit manere occultum. Vera autem de eius assumptione sententia est, ut secundum apostolum siue in corpore, siue extra corpus ignorantes assumptam, super angelos eam esse credamus. Hæc de transitu, & assumptione Mariæ Augustinus, qui ab hac sententia palam dissentire uidetur in libello De assumptione Mariæ, qui sub eius nomine inter scripta noni tomi computatur. Hieronymus, siue Hieronymi comes Sophronius in sermone De assumptione uirginis, libri huius mentionem faciens, ita scribit: SI VENERIT in manus uestras illud apocryphum De transitu Mariæ uirginis, dubia pro certis non recipiatis; quod multi latinorum pietatis amore, & studio legendi charius amplectuntur. monstratur autem sepulcrum eius usque ad præsens in uallis Iosaphat medio. Hæc idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore. quomodo autem, uel quo tempore, aut à quibus personis sanctissimum corpus eius inde ablatum fuerit, uel ubi transpositum, utrumne resurrexerit, nescitur. quamuis nonnulli astruere uelint eam iam resuscitatam, & beatam cum Christo immortalitate in cœlestibus uestiri. ueruntamen, quid horum uerius censeatur, ambigimus. melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire uelimus auctoritate nostra. sed, & utrum redierit in puluerem terræ, certum non habemus. Tritemius in catalogo recenset librum De transitu sanctæ Mariæ inter opera Melitonis, Sardensis episcopi, cuius initium est, MELITO, CHRISTI SERVVVS. quem tamen Hieronymus, enumerans Melitonis scripta, prætermisit.

BEDA presbyter de hoc libro in Retractionibus Apostolicorum actuum exponens illud, Omnes dispersi erant per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apostolos, ita scriptum reliquit: SI, dispersa ecclesia, Apostoli remanserunt in Hierusalem,

ut

Act. 8.4

ut Lucas ait; constat, quia mendacium scripsit ille, qui ex persona Melitonis, episcopi Asiæ, librum componens de obitu beatæ genitricis Dei, dicit, quod secundo post ascensionem domini anno Apostoli fuerint omnes toto orbe ad prædicandum in suam quisque prouinciam diuisi: qui uniuersi, appropinquante obitu beatæ Mariæ, de locis, in quibus prædicabant uerbum Dei, eleuati in nubibus rapti sunt Hierosolymam, ac depositi ante hostium domus eius; inter quos etiam Paulus, nuper ex persecutore ad fidem Christi conuersus, qui assumptus est cum Barnaba in ministerium gentium. Quæ scriptura etiam specialiter de Ioanne Apostolo refert, quod eo tempore Ephesi prædicauerit. quæ cuncta uerbis beati Lucæ contradicunt; quibus narrat Apostolos, cæteris fidelibus ab Hierosolymis propulsis, remansisse ibidem, & prædicasse per omnia, donec ecclesia per totam Iudæam, & Samariam, & Galilæam pacem haberet: quod in uno anno perfici potuisse nulli dubium est. Qui etiam manifestè insinuat Paulum non secundo post ascensionem domini anno, sed longo post tempore in ministerium gentium cum Barnaba ordinatum. Absit autem, ut credamus beatum Ioannem Apostolum, cui dominus in cruce matrem uirginem uirgini commendauit, post unum annum recessisse, & eam reliquisse solam, ac tanto tempore deiectam, ut etiam corpus suum defunctæ timeret ab hostibus esse comburendum; eumque, propter quam raptus est in nubibus, ad se rediisse uelut oblitum siue incuriosum sui sollicita precaretur, dicens: Rogo te, fili Ioannes, ut memor sis uerbi magistri tui domini mei Iesu Christi, qui me commendauit tibi. ecce enim uocata ingrediar uiam uniuersæ terræ. audiui autem consilia Iudæorum, dicentium, Expectemus diem, quando moriatur, quæ portauit Iesum Nazaranum, & corpus eius comburamus. nunc ergo fili curam habeto exequiarum mearum. Hac ideo commemorare curauit, quia nonnullos noui præfatio uolumini contra autoritatem beati Lucæ incauta temeritate assensum præbere. Hactenus Beda.

MATTHÆVS Euangelista fingitur esse autor duorum librorum; quorum alter De ortu, siue stirpe Mariæ, alter De infantia saluatoris inscribitur: qui Valentinorum, & Gnosticorum commenta sunt. his libris inepti quidam autoritatem afferere cupientes, præfationes addiderunt sub nomine Chromatij, & Heliodori episcoporum ad Hieronymum, & Hieronymi ad ipsos confictas; quæ utrunque opus testarentur à Hieronymo in gratiam eorundem episcoporum ex hebraico Matthæi uolumine translatum, & ab hæreticorum falsationibus expurgatum. sed cum in his libris eadem nunc extant aniles fabulæ, quas Irenæus in primo aduersus Valentinorum hæreses, & Epiphanius primo Panarij sectione tertia ex iisdem uoluminibus refellunt, palam apparet impostorum deceptio. Gelasius dist. 15. inter libros ab ecclesia damnatos utrunque abiicit.

MATHIÆ Apostoli Euangelium inter alia non canonica euangelia enumerat Origenes homilia prima in Lucam, eiusdem Traditiones Clemens in secundo libro Stromiatum citat: & in septimo eiusdem operis libro scribit Marcionem, & Basilidem ex harum autoritate hæreses suas firmasse. Eusebius in tertio libro historia ecclesiastica capite uigesimo quinto, inter libros ab hæreticis confictos recenset Mathiæ euangelium.

MEMORIALIS Liber, siue Monumenti, hebraicè ספר זכרון Sepher zicaron. huius propheta Malachias capite tertio recordatur, inquit: ATTENDIT dominus, & audiuit, scripsitque librum coram se timentibus dominum, & cogitantibus nomen eius. Liber hic significat particularem memoriam, & considerationem, quam Deus habet de electis suis. Impij uidentes eos affligi, putant illos Deo esse in obliuionem. at propheta ait, quod Deus tantam curam gerit eorum, & attendit, & audit, ut numeret, ac scribat omnes gemitus suorum, ne in obliuionem ueniant: librumque semper ante oculos habet; ut quando tempus opportunum uenerit, non opus sit aliquo suggerente: sicut & apud Esaiam in manibus scripsisse dicit. Proinde nemini in afflictionibus desperandum. diabolus enim tentat nos, sicut amici Iob, dicens, quod Deus nostri oblitus est, nec nostra considerat. unde dicunt, Usque quò obliuisceris in finem? quibus respondet Deus se habere

A habere librum memorialem sempiternæ recordationis, quem nulla unquam delebit obliuio.

MENANDER, inter antiquos Græciæ comicos poeta celebratissimus, (cuius aliquot fabulas, præsertim uerò Andriam, & Perinthiam Terentius latinus fecisse fatetur) scripsit, ut Athenæus in Dymno sophistis testis est, comædias quadraginta nouem: è quarum una Paulus Apostolus, ut Hieronymus ad Magnum Oratorem scribens testatur, cum Corinthios à colloquijs seductorum dehortaretur in priore, quam ad eos conscripsit, epistola. uersum iambicum senarium accepit huiusmodi.

Φθέρουσιν ἡσὶ χρηδ' ὀμιλιαι κακὰι. hoc est,
Corrupturunt bonos mores colloquia mala.

I Cor. 15.

CLARUIT olimpiade cxv. cuius anno primo primam fabulam, cognomento orgen, publicè exhibuit: moriturque; anno primo olimpiadis cxxxi.

BMERETRICIS magnæ inscriptio (de qua Ioannes in Apocalypsi dicit: VIDI mulierem sedentem super bestiam, & super frontem eius nomen scriptum, BABYLON, MAGNA MATER FORNICATIONVM, ET ABOMINATIONVM TERRAE) significat ueterem Romam, cum adhuc idolorum immunditijs & abominationibus deseruiret, impudentissimè & absque ullo rubore scelera execranda perpetrasset; & inter alia sanguinem quoque martyrum, qui eam obiurgabant, quò liberius deorum suorum fornicationibus frueretur, crudeliter effudisse. Hac Arethas, Cæsariensis episcopus, in Apocalypsis commentarijs.

Apoc. 17.

MMORTIS Liber est certissima & immobilis Dei notitia, eos agnoscens, & in numero habens, quos diuina iustitia occulto, sed tamen iustissimo iudicio ab æterno & in æternum reprobauit, & ad pœnam æternam non sine præcedenti demerito damnauit: in quo quidem uolumine scripti sunt omnes mali ac reprobati, quos Deus præsciuit extra charitatem & gratiam, sine pœnitentia morituros. quem tamen librum licet diuinæ scripturæ nudis & apertis uerbis non expresserint, & aliqua theologorum scholæ non recipiant: ex multis tamen locis necessitatem eius latentè indicantur. cum enim sacræ literæ passim doceant extare apud Deum, cuius oculis omnia nuda & aperta sunt, librum uitæ, hoc est perspicuam & infallibilem prædestinationis atque prædestinatorum scientiam, & conscriptionem; necesse est etiam, cum oppositorum eadem sit cognitio, esse in Deo, quæ nihil latere potest, reprobationis ac reproborum omnium claram notitiam, certamque conscriptionem: & hac Liber mortis appellatur. in quo numeratim descripta sunt nomina, & mala merita, atque peccata reproborum omnium; quos Deus ita promeritos perpetuæ damnationi addixit. de quibus Augustinus in 28. cap. Soliloq. sic Deum alloquitur: Mors peccatorum pessima, illorum, inquam, quos antè, quàm faceres cœlum & terram, secundum abyssum multam iudiciorum tuorum occultorum, semper autem iustorum præsciuiti ad mortem æternam: quorum dinumeratio nominum & meritorum prauorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi. IOANNES quoque in sua reuelatione testatur nomina reproborum in diuina præscientia numerari, cum de impijs loquens dixit: Et occisi sunt in terramotu nomina uirorum septem millia. unde & diuus Hieronymus in commentarijs Esaiæ explicans illud, COMPLICABUNTUR COELI, UT LIBER, dixit cœlos in die iudicij fore instar libri complicandos, ut non ultra scribantur in eis peccata malorum. & quemadmodum seruator noster, inquit, GAUDETE, QUONIAM NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN COELIS, intelligere uoluit eos, quorum nomina scripta sunt in libro uitæ: ita Ieremias eos, qui scripti sunt in libro mortis, significare uoluit per illos, quos asseruit scriptos esse in terra, cum dixit: DOMINE, omnes, recedentes à te, in terra describentur. Vtrùm autem ex hoc libro mortis quidam deleri possint, ut seruentur; & iterum rescribi, ut damnentur: non leuis est apud theologos præcipuè scholasticos difficultas. quæ facile dissoluitur, si, quemadmodum aliàs diximus, in libro uitæ aliquos scriptos esse intus, aliquos foris, ita & nunc dicamus, librum mortis scriptum esse intus, & foris; & aliquos in eo scriptos

Apoc. 11.

Esa. 34.4

Luc. 10.6

Ier. 27.

T tos

tos esse intus & foris, aliquos uerò exterius tantum. Illi intus & foris conscripti sunt A quos Deus secundum æternam & firmam sapientiam præsciuit uel in malo perueraturos usque ad finem, uel saltem in iniquitatibus ex hac uita decessuros: quos secundum præscientiam sempiternæ damnationis, & secundum propositum perpetuæ miseræ ab æterno irreuocabiliter reiecit, & indelebili proscriptione proscripsit; ut Cain, Iudas, Esau, Pharaon, Antiochus, atque alij reprobi; qui quidem ex intima huius libri scriptura deleri minimè possunt. nam licet aliquando ex extrinseca libri circumscriptione aut ad tempus deleantur, aut deleri uideantur, dum temporalem quandam presentis iustitiæ gratiam utcumque exercent, cum Cain sacrificia offerentes, cum Iuda Christum in statu altissimæ perfectionis sequentes, cum Esau & Antiocho penitentes, & misericordiam multis cum lacrymis obsecrantes: intus tamen indelebiter scripti permanent. Illi autem in hoc libro extrinsecus tantum scripti sunt, quos Deus præsciuit aliquando & ad tempus in sceleribus permanuros, sed postea per penitentiam fore saluandos, quemadmodum Paulus, Petrus, & Augustinus: qui quanquam essent in libro mortis, & ad tempus circumscripti, & ex libro uitæ exterius delati ob letale ac mortiferum infidelitatis crimen; non tamen erant intus in libro mortis in æternum indelebiterq; conscripti, & ex intimis libri uitæ paginis delati; sed erant in interiori parte eiusdem libri uitæ ascripti, & annumerati inter illos, qui, ut Augustinus ait, nequaquam perire possunt; quibus omnia cooperantur in bonum, & ipsa etiam peccata: qui cum cadunt, non colliduntur; quia Deus supponit manum suam, custodiens ossa eorum, ut unum ex his non conteratur. non quod eorum peccata, peccata non sint, & morte, atque æterna damnatione digna; sed quod ipsi, post lapsum sceleris grauitatem, & uirium suarum imbecillitatem agnoscentes, facilius surrexerunt, acrius penituerunt, cautius incesserunt, & ardentiori studio, ac ualidiori conatu regnum Dei quasi uiolenter raperere annisi sunt. Mentionem faciunt Iudæi huius, de quo nunc diximus, Libri mortis in secundo ordine Thalmudicorum uoluminum, tractatu octauo: ubi fabulantur Deum quolibet anno decem primis Lunæ Septembris diebus scribere bonos in libro uitæ, malos uerò in libro mortis.

MOSIS Ascensio, græcè *Ἀνάβασις τοῦ Μωϋσέως*, liber est, de quo dicitur Iudam Apostolum in sua catholica epistola sumpsisse testimonium archangeli Michaelis, altercantis cum Sathana de cadauere Moysi. Recordatur scripturæ huius Origenes libro 3. Periarchon cap. 2. his uerbis: PRIMO quidem in Genesi serpens Euam seduxisse describitur: de quo in Ascensione Moysi (cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas) Michael archangelus, cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait diabolo, inspiratum serpentem causam extitisse præuocationis Adæ, & Eue. Hæc ille. Inscribitur autem, ut arbitror, hic liber ASCENSIO Moysi, quia continet ascensum Moysi de campestribus Moab super montem Nebo, in uerticem Phasga, contra Iericho; item colloquia Moysi iam iam morituri cum Deo peracta, & eiusdem sepulcrum angelorum manibus in occulto loco effossum; disceptationem quoq; Michaelis & diaboli, de qua Oecumenius in cōmentarijs epistolæ Iudæ sic scribit: DICITUR Michael archangelus ministeriū præbuisse in sepeliendo Moysi. id non ferebat diabolus, sed accusationem afferebat propter cædem Aegyptij, quasi Moses ipse esset: & propterea non permittebat; ut ille honorificam consequeretur sepulturam. cum autem in hac controuersia haberet Michael occasionem, ut diabolum maledicto impeteret propter illius impudentiam, non hoc fecit, sed id tantum in eum intulit, INCREPET TE DEVS, O DIABOLE. Hactenus Oecumenij uerba. Hieronymus in commentarijs epistolæ ad Titum de libro ambigens, unde hoc apostolus accepit, DE QUIBUS, inquit, scripturis Iudas testimonium hoc assumpsit, non facile patet. sed tamen sciendum, quia simile his aliquid in Zacharia propheta reperimus. ipse etenim dicit: QVIA ostendit mihi dominus Iesus sacerdotem magnum, stantem coram angelo domini; & Sathan stabat à dextris eius, ut aduersaretur ei. & dixit dominus, INCREPET DOMINVS IN TE, SATHAN. Hæc ille. Origenes homilia 35. in Lucam citat librum quandam secretiorem eiusdem fermè argu-

menti:

A menti: in quo introducuntur iustitiæ & iniquitatis angeli, super Abrahæ interitu & salutæ disceptantes, dum utræque turmæ suo eum nolunt cœtui uindicare. Clemens in sexto Stromatum allegat ex Assumptione Moysi uisionem quandam Iosue, & Caleph, qui Moysen, dum assumeretur, uiderunt inter angelos gloria illustratum. Athanasius in Synopsi hanc Moysi Ascensionem unà cum alia huic affini scriptura, cui titulus est TESTAMENTVM MOYSIS, inter Apocrypha reiecit. Alios quoque libros, nomine MOYSIS, fuisse ab hæreticis, qui Sethiani dicuntur, confictos, testis est Epiphanius in primo Panarij Sethianorum hæresim confutans: ubi etiam aduersus eos inducit auctoritatem uoluminis cuiusdam peruerusti, quod IOBELEVS, uel GENESIS EXACTIVS EXPLICATA inscribitur, profapiam & genealogias filiorum Adami longo sermone exponens.

N



B ATHAN Propheta, spiritu Dei sancto afflatus, ex tribu fuit, & profapia Thock, urbe Gabath Galilææ oriundus. hic, ut Epiphanius in uitis prophetarum tradit, pridie, quam David cum Bersabee, uxore Vriæ, peccaret, flagitium illud præsciuit, statimq; Hierosolymam uersus iter arripuit, regem ab ea fœditate abstracturus: sed, cum in uia hominem nuper exanimatum offendisset, neque pati posset inhumatum cadauer bestijs dilaniandum relinquere, effossa humo illud sepelijt. in quo pio officio cum dies iam aduersperascens illum oppressisset, nocte eadem David ardorem conceptæ libidinis expleuit. propheta autem, re agnita, moerens ac dolens, unde uenerat, redijt. ubi uerò David Vriam, Bersabee maritum, dolo malo peremit, iterum iussu Dei Hierosolymam contendit; C ibiq; conficto eleganti apologo de diuite, agnam uicini pauperis rapiente, regem in agnitionem admisi piaculi deduxit, grauiter obiurgauit, & ad penitentiam conuertit. nec multò post in patriam suam reuersus, ibi diu uixit; ibiq; tandem longo senio confectus decessit, relictis ad posteros duobus historiæ uoluminibus: quorum priore Davidis regis Hierosolymitani getta, posteriore uerò Salomonis Hierosolymorum regis acta conscripserat. Meminit horum uoluminum primus liber Paralipomenon capite ultimo, & secundo Paralip. capite nono.

D NECHEMIA CHECALEIA חִנְיָהּ בֶּן־חַזְבַּהּ siue Nehemias, Neceliæ filius, genere Iudæus, Artaxerxis, Persarum ac Medorum regis, pincerna, præter eum 2 Macc. 2. librum, qui inter diuina scripta recensetur sub titulo SECUNDI ESDRÆ, scripsit commentariorum ac descriptionum librum unum. in quo diligentissimè ea omnia complexus est, quæ Iudæis, ex captiuitate Chaldaica redeuntibus, contingere; præcipuè uerò inuentionem ignis sacri, quem sacerdotes, excisa urbe sancta, in profundissimum puteum defoderant, & bibliothecæ à se extractæ apparatus, ac librorum omnium tam sacrorum, quam profanorum locupletissimam copiam in ea congregatam. Meminit horum commentariorum liber secundus Maccabæorum capite secundo.

NICODEMVS Pharisæus, & in Israël magister, qui ad audiendum Christum noctu accedebat, dicitur scripsisse euangelium de passione & resurrectione domini; quod à sancta ecclesia reprobatum. eius initium est, ANNAS ET CAIPHAS. NICOLAITAE, Sectatores Nicolai Antiocheni diaconi Apostolici, quorum facta pessima Ioannes in Apocalypsi detestatur, libros quosdam perniciose superstitionis scripserunt sub nomine IALDABOTH, efformantes in ipsis nomenclaturas infinitas & barbaras principum & potestatum in unoquoque cœlo habitantium. Epiphanius libro primo Panarij hæresi 25. ac Gelasius distin. 15. ipsius Nicolai scripta cum damnatis scripturis annumerant. Apoc. 2. b.

T • NOMEN

Apoc. 3.

Apoc. 14.

Apoc. 22.

NOMEN DEI, frontibus sanctorum inscriptum, commemoratur à Ioanne in Apocalypsi his uerbis: *QUI uicerit, scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hierusalem, & nomen meum nouum. & rursum alio in loco, Et uidi, & ecce agnus stabat in monte Sion, & cum eo numerus centum quadraginta quatuor millium, habentium nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. & iterum in eodem uolumine, THRONVS DEI, & agni in illa erit; & serui eius seruient illi; & uidebunt faciem eius, & nomen eius in frontibus ipsorum.* Nomen Dei, electorum frontibus inscriptum, iuxta Arethæ Cæsariensis explanationem duplex est: unum, quod cordibus sanctorum in præsentia uita imprimitur, significans cognitionem, & imitationem eorum, quæ Dei nomine significantur, hoc est notitiam diuinæ bonitatis, ac iustitiæ, meditationem quoque eorum, quæ Deus in cœlesti Hierusalem præparauit diligentibus se. illi igitur, qui in hoc sæculo Dei, ac supernæ Hierusalem immortalia bona indelebili memoria retinent, nomen Dei & Hierusalem, cordi & animo insculptum, gestant, & futuræ gloriæ pignus possident. Alterum nomen est, quod etiam nouum appellatur, sanctorum frontibus in alia uita superadditum, hoc est diuinæ uisionis merces, & lumen diuini splendoris, à beata & gloriosa trium personarum essentia in animis & ex animis in corpora sanctorum diffusum, afferens secum incorruptibilem felicitatem, omnium delectationum affluentia redundantem. illi igitur nomen agni, & nomen patris eius in frontibus descriptum gerunt, qui beata luce ipsius diuini uultus in cœlesti patria obsignantur.

NOMEN, & Numerus nominis bestię. de hoc Ioannes in Apocalypsi capite tertio, *ET FACIT*, inquit, ut nemo possit emere, aut uendere, nisi habeat charactèrem, aut nomen bestię, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum bestię: numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenta sexaginta sex. Character bestię, Nomen bestię, & Numerus nominis eius, unum & idem sunt. quicumque autem bestię, hoc est diaboli, uel Antichristi operibus communicat charactèrem; notam, nomen, & numerum nominis eius in se ipso gestat impressa. Ut autem scias, quid significet Numerus nominis bestię, quæ Antichristum hoc loco denotat; animaduertendum est, quod Græci ex literis alphabeti numerum suum conficiunt, unde qualibet græca dictio totidem numeris, quot literis, constat. cognitis igitur numeris alicuius græcæ uocis, literas quoque, ex quibus ipsa uox componitur, faciliè cognoscitur. cum itaque Numerus nominis Antichristi sit 666. literæ; includentes hunc numerum, continebunt in se numerum Antichristi. Quales autem hæc literæ sint, & quæ ex ipsis resultent nomina, pro comperto haberi non potest. ueteres tamen autores exercitij gratia uaria ex his nomina collegerunt; quæ huc ascribere, non intempestiuum fuerit.

NOMEN Antichristi secundum Irenæum, & Hippolytum est **TEITAN**, id est Gigas; cuius literæ hunc numerum reddunt: T, 300. E, 5. I, 10. T, 300. A, 1. N, 50. summa uerò erit 666.

SECUNDVM Ticonium Nomen Antichristi est **ΛΑΜΠΕΤΙΣ**, id est Illustris. literæ uerò numerales, quæ nomen conficiunt, hæc sunt: Λ, 30. Α, 1. Μ, 40. Π, 80. Ε, 5. Τ, 300. Ι, 10. Σ, 200. summa 666.

Iuxta Aretham Nomen eius est **ΛΑΤΕΙΝΟΣ**, id est Lateinus. cuius literæ hos habent numeros: Λ, 30. Α, 1. Τ, 300. Ε, 5. Ι, 10. Ν, 50. Ο, 70. Σ, 200. summa 666.

Ex sententia Primasij Nomen eiusdem Antichristi est **ANTEMOS**. elementa uerò numerorum hæc: Α, 1. Ν, 50. Τ, 300. Ε, 5. Μ, 40. Ο, 70. Σ, 200. summa 666.

OCTAVIUS

O



OCTAVIUS AVGVSTVS, à quo tradit Lucas Euangelista in capite secundo exiisse edictum, ut describeretur uniuersus orbis, multa uarij generis opuscula composuit: ex quibus sunt

RESRIPTA Bruti de Catone,
HORTATIONES ad philosophiam,
DE uita sua, uel de rebus Cantabricotenus bello à se gestis, libri tredecim,
HEROICI carminis, cuius argumentum & titulus

B est **SICILIA**,

EPIGRAMMATON ex temporalium, liber unus,

TRAGOEDIA, cui titulus est **AIAX**; quam cum magno impetu incepisset, postea, non succedente stylo, aboleuit: quærentibusque amicis, quidnam ageret Ajax? respondit, Aiacem suam in spongiam incubuisse.

RELIQVIT item familiarium epistolarum uolumen.

SED & librorum, qui ad Romanam religionem pertinebant, ita fuit diligens indagator, & conseruator, ut fatidicorum librorum græci latiniq; generis, qui nullis, uel parum idoneis autoribus uulgò ferebantur, supra duo millia undique contracta cremauerit, solis Sibyllarum libris ab incendio reseruatis; ex his quoque delectu habito, & iis, qui nothi uidebantur, exustis. residuos condidit duobus forulis auratis sub palatini Apollinis basi. Hæc Suetonius in Augusto.

C **CELEBRATVR** quoque apud Christianos autores Inscriptio & titulus ab eodem Augusto in ara capitolina insculptus; quam ipse, primus omnium, seruatori nostro Christo, quamuis eum ignorans, erexit. cuius rei mentionem facit Nicephorus libro primo historiæ ecclesiasticæ capite decimo septimo in hæc uerba: **CAESAR AVGVSTVS**, quamplurimis præclare feliciterque gestis rebus clarus, primusque ipse Monarcha renunciatus, proeiectione iam atate ad oraculum Pythij Apollinis uenit: & sacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, dæmoni oblato, quæsuit, Quisnam post se Romanum administraturus esset imperium. At cum nullum redderetur responsum; alterum quoque adiecit sacrificium, denique rogauit, Quid ita oraculum, pluribus uerbis uti solitum, nunc tandem obtinisset. Tum illud parua interposita mora, ad hunc modum respondit:

*Παῖς ἑβραῖος ἠλεῖται με, θεὸς μακάρεσσιν ἀνάξιος
Τὸν δὲ δόμον προλιπέυτε, ἢ αὐτὸς αἶδος ἐνδαί.
Λοιπὸν ἀπίθι σιγῆν ἐν βωμῶν ἡμετέρων.*

D

hoc est,
*Me puer hebreus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.*

TALI responso accepto, Cæsar Romam est reuersus, atque ibi in capitolio aram maximam extruxit cum eiusmodi latina inscriptione, **ARA PRIMOGENITI DEI**. Refert hoc idem Suidas in Augusto.

O **G** regis Basan Liber, cuius Moses meminit in uoluminibus Numerorum capite undecimo, & Deuteronomij capite tertio, enumeratur à Gelasio dist. 15. inter damnatas scripturas.

O **NIAS**, Lacedæmoniorum rex, scripsit epistolas duas de amicitia & societate cum Iudæis ineunda; unam ad Ionathan, summum pontificem Iudæorum; cuius exemplum extat primo Maccabæorum, capite undecimo: alteram ad Simonem, summum sacerdotem Iudæorum, quæ habetur 1. Maccab. 14.

T 3 PALAE-

P



PALÆSTINÆ Chorographiam, siue Descriptionem terræ sanctæ citra Iordanem, cuius meminit historia Iosue capite decimo octauo, conscripserunt unus ac uiginti uiri Iudæi; quos Iosue quarto decimo anno post ingressum filiorum Israel in terram promissionis misit ex singulis septem tribubus, quæ sine possessione remanserant, tres ad perambulandum & describendum omnes regiones Chananæorum, quæ sunt citra Iordanem à monte Libano usque ad terminos Aegypti, quæ nondum diuisa fuerunt. (nam usque ad id tempus solæ quinque tribus possessiones suas acceperant, nempe tribus Ruben, tribus Gad, & dimidia tribus Manasse trans Iordanem; Iuda uerò, & Ephraim, & dimidia tribus Manasse citra Iordanem) illi igitur unus & uiginti uiri, cum essent agri mensores, & terrarum æstimatores peritissimi, descripserunt omnem prouinciam cum suis urbibus, oppidis, montibus, uallibus, cæterisque planis locis in uolumine geographico satis amplo; quod iuxta numerum septem tribuum diuisere in septem tabulas, siue portiones magnitudine quidem inæquales, sed fructuum ac prouentuum summa & precij æstimatione pares. unde & Beniaminia tribus, quæ regionem obtinuit omnium angustissimam, pulchritudine tamen, & soli ubertate, atque urbium nobilitate potiore habuit, ut Iosephus testis est, cæteris æqualem. Reuersi igitur æstimatores terræ post septimum mensem, librum descriptionis ad Iesum attulerunt: qui, eo diligenter inspecto, uniuersam illam prouinciam inter septem illas tribus forte distribuit, anno ab orbe condito bis millesimo octingentesimo trigesimo quarto.

PATRIARCHARVM duodecim filiorum Iacob testamentum est liber peruetustus; quem, ex hebræo in græcum translatus, latinè uertit Robertus, Lincolnensis episcopus. Narrantur in eo plurima tum prophetica oracula, tum adhortamenta ad uirtutem, ac Dei cultum; quæ singuli patriarcharum in extrema uita die, aduocatis ad se filiis suis ac nepotibus, etocuti sunt. multa quoque ex libro Henoch inseruntur in ipso uaticinia, De his, quæ euentura fuerant filiis, ac nepotibus duodecim patriarcharum; De futuris hebræorum sceleribus, & pœnis; De mundi saluatore ab hebræis occidendo; De hebræorum euerfione, captiuitate, ac dispersione inter gentes perpetua. Meminit huius operis Origenes homilia 15. in Iosue, & Procopius Gazaus in commentariis 38. capituli Geneseos.

PAULVS APOSTOLVS præter quatuordecim epistolas, in sacro canone receptas, & à nobis in superiori uolumine enumeratas, dicitur etiam reliquisse infra notatas scripturas, uidelicet

EVANGELIUM.

AD Laodicenses epistolam unam

AD Corinthios epistolam tertiam

AD Theffalonicenses epistolam tertiam

AD Lucium Annæum Senecam epistolas sex,

APOCALIPSEOS, hoc est Reuelationis, uel Anauaseos, id est Ascensionis, uel De suo ipsius raptu, librum unum.

DE suis actibus librum unum

PAULI & Teclæ actus librum unum.

DE quibus quidem scripturis, quæ apud uetustos autores inueni, hæc sunt.

PAULI Euangelium. de hoc ipse Paulus in posteriore epistola ad Timotheum scribit: MEMOR esto, dominum Iesum resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum euangelium meum, in quo laboro. quæ uerba plerique ueterum sic exponunt, ut putent Paulum, quotiescunque in epistolis suis dixerit, iuxta euangelium

Agelium meum, de Luca significare euangelio; quòd ipsum Lucas, Paulo docente, didicerit. existimant alij, Paulum euangelium appellasse suum, ut ipsum discerneret à multis falsis euangeliis pseudoapostolorum, quæ sine ulla certa autoritate circunferebantur: à quibus non immeritò suum discernit uerum, indubitatum, & in concilio Hierosolymitano ab apostolis approbatum. nec desunt qui dicant, Apostolum per Euangelium suum nihil aliud intellexisse, quàm Euangelicam doctrinam, à se uiuæ uocis oraculo prædicatam.

PAULI ad Laodicenses epistola. hanc apostolus Colossensibus commendat, ita scribens in calce epistolæ, quam ad ipsos dedit: SALVATE fratres, qui sunt Laodicea: & cum lecta fuerit apud uos epistola hæc, facite, ut & in Laodicensium ecclesia legatur; & ea, quæ Laodicensium est, uobis legatur. Diuus Thomas affirmat autorem huius epistolæ fuisse Paulum, qui eam ad Laodicenses miserit; & hanc non fuisse ab ecclesia in canone diuinarum scripturarum receptam, uel quòd

B de eius autoritate non planè constaret, uel quòd ea esset ab hæreticis deprauata, uel quòd temporis iniuria periisset, uel quòd ipsa eadem contineret, quæ in alijs Pauli epistolis haberentur. Chrysostomus arbitratur hanc non esse epistolam, quam Paulus Laodicensibus miserit, sed quam Laodicenses Paulo miserint, eo quòd non dixerit Apostolus, Ea, quæ ad Laodicenses, uobis legatur, sed *uoi τιν ἐν Λαοδικείας*. hoc est, Et illam, quæ ex Laodicea scripta est, legatur. Theophylactus putat hanc esse priorem epistolam Pauli ad Timotheum, quæ, ut græca exemplaria testantur, missa est per Tychicum Diaconum, ex Laodicea, metropoli Phrygiæ Pacatiana. Epiphanius, Salamina episcopus, libro primo aduersus hæreses, asserit hanc epistolam non esse Pauli; producitque testimonium, à Marcione hæretico ex epistola ad Laodicenses citatum, in hæc uerba: VNVS Deus, una fides, unum baptisma:

C in epistola ad Ephesios, capite quarto. Tertullianus in libro aduersus Marcionem quinto indicat Marcionem ipsum fuisse in hac sententia, ut crederet epistolam, quæ iuxta nos inscribitur AD EPHESIOS, fuisse à Paulo non Ephesius, sed Laodicensibus scriptam, & inscriptam. Philastrius in catalogo hæreseon, capite octogesimo nono tradit epistolam à quibusdam, ut Pauli, receptam, sed in ecclesijs non fuisse consuetudinem, ut apud populum publicè legeretur, propter sententias quasdam ambiguas temerè à quibusdam insertas. Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, LEGVNT, inquit, quidam & ad Laodicenses epistolam, sed ab omnibus exploditur. Extat, ut audiuius, epistola hæc Lutetia in peruetusto codice bibliothecæ Sorbonicæ. ipse quoque eam uidi Patauij in bibliotheca D. Ioannis à Viridario: ex qua etiam subiectum exemplar descripsi.

PAULVS Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, fratribus, qui estis Laodicea, gratia uobis, & pax à Deo patre nostro, & domino Iesu Christo. GRATIAS ago Christo per omnem orationem meam; quòd permanentes estis & perseverantes in operibus bonis, promissionem expectantes in die iudicij. neque disturbent uos quorundam uaniloquia insimulantium ueritatem, ut uos auertant à ueritate euangelij, quod à me prædicatur. & nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me, ad perfectum ueritatis euangelij sint deseruientes, & benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis uitæ æternæ. & nunc palàm sunt uincula mea, quæ patior in Christo, in quibus lætor & gaudeo. & hoc mihi est ad salutem perpetuam, quod factum est orationibus uestris, administrante spiritu sancto, siue per uitam, siue per mortem. est mihi uiuere uita in Christo, & mori gaudium: & ipse in nobis faciet misericordiam suam, ut eandem dilectionem habeatis, & sitis unanimes. Ergo dilectissimi, ut audistis præsentiam domini, ita sentite, & facite in timore: & erit uobis uita in æternum: (est enim Deus, qui operatur in uobis) & facite sine peccato quæcunque facitis: & quod optimum est, dilectissimi, gaudete in domino Iesu Christo; & cauete omnes sordes in omni lucro. omnes petitiones uestre sint palàm apud Deum. estote firmi in sensu Christi; & quæ

quæ integra, & uera, & pudica, & casta, & iusta, & amabilia sunt, facite; & quæ audistis, & accepistis, in corde retinete: & erit uobis pax. Salutant uos omnes sancti. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro. Amen. Hanc facite legi Colossensibus, & eam, quæ est Colossensium, uobis.

Hoc igitur est epistolæ ad Laodicenses exemplar: quod an ipsius Pauli sit, dubitare me facit tum prædictum testimonium, ab Epiphano ex libro Marcionis citatum, quod in hac epistola non habetur; tum etiam, quod quicquid est in hac Laodicensium epistola, idem in epistola ad Colossenses habetur, & copiosius. quare non oportebat Paulum præcipere Colossensibus, ut hæc quoque apud illos legeretur. Suspicio hoc exemplar illud idem esse, de quo Theodoretus in commentariis epistolæ ad Colossenses ita scripsit: QUIDAM existimant Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses epistolam: itaque fictam etiam epistolam proferunt. diuinus autem Apostolus non dixit, Eam, quæ est ad Laodicenses; sed, Eam, quæ est ex Laodicea. illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem, eos uel accusasse, quæ fiebant Colossis; uel eodem morbo etiam laborasse: & ideo dixit hanc quoque epistolam eis esse legendam.

P A V L I ad Corinthios epistola tertia. sunt qui existiment Paulum præter duas epistolas ad Corinthios, quæ in Canone habentur, aliam quoque ad eisdem scripsisse epistolam, inter canonicas non enumeratam; argumento sumpto ex eo, quod Paulus in quinto capite prioris ad Corinthios dicit: SCRIPSI uobis in epistola, Ne commisceamini fornicariis. non utique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis iam ex hoc mundo exisse. nunc autem scripsi uobis non commisceri, & c. Chrysostomus arbitratur Paulum hinc non aliam quandam epistolam ab hac diuersam, sed hanc ipsam nominasse epistolam, uolens his uerbis corrigere quod paulò antè in ea scripserat, cum dixisset: OMNINO auditur inter uos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. & uos inflati estis, & non magis lucum habuistis, ut tollatur de medio uestri qui hoc opus fecit. & deinde, NESCITIS, quòd modicum fermentum totam massam corrumpit. expurgate uetus fermentum, & c. Credibile igitur erat Corinthios suspicari uitandos esse omnes fornicarios, non solum eos, qui corporeæ libidinis foeditate contaminantur, sed illos etiam, qui spiritualem fornicationem sectantur: quæ fit, quotiescunque anima recedit à Deo per quaecumque peccatum, siue illud infidelitas sit, siue auaritia, siue ebrietas. Hanc igitur uanam eorum suspensionem excludens Paulus, ait: SCRIPSI uobis in epistola, Ne commisceamini fornicariis & c. ac si diceret, Ne quid erretis in eo, quod hinc paulò supra iusserim, à uobis fugere consuetudinem infami libidine contaminatorum. non hoc sentio, quod postulauit, ut uniuersos mundi huius tam corporales, quam spirituales fornicarios uitetis; neque cum illo spiritualiter fornicante, hoc est idololatriæ, aut auaritiæ, quæ est idolorum cultus, feruienti, consuetudinem habeatis. nec enim, si conemini, tota uobis Græcia, immo totus orbis, relinquenda fuerit; cum istiusmodi fornicarij nusquam non occurrant. quanquam id quoque cupiam, si liceat. nunc quod fieri non potest, non exigo. illud autem nunc scripsi, & in hac epistola uobis scribo; ut, si quis Christianus palam huiusmodi uitii infectus sit, quæ plurimum absunt ab instituto Christiano, utputa scortatione, auaritia, simulacrorum cultu, maledicentia, temulentia, rapacitate, adeò uitetis hominis familiaritatem, ut ne cibum quidem cum illo capere dignemini, donec respiscat.

P A V L I ad Thessalonicenses epistola tertia. Origenes in epistola, quam, teste Rufino, ad amicos suos in Alexandria scripsit, sic loquitur: NIHIL mirum mihi uidetur, si adulteratur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta est epistola Pauli apostoli. quidam enim sub nomine Pauli apostoli falsam epistolam scripserunt, ut conturbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies domini, & seducerent eos. propter hanc epistolam in secunda epistola, quam ad Thessalonicenses scripsit, hæc dixit: ROGAMVS autem uos, fratres, per

A per aduentum domini nostri Iesu Christi, & per uestram congregationem in ipsum, ut non moueamini citò à sensu uestro, neque terreamini, neque per spiritum, neque per uerbum, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies domini, Nemo uos seducat ullo modo. Hucusque Origenes.

P A V L I ad Senecam, & Senecæ ad Paulum epistolæ. de his apud uarios probatæ fidei autores scriptum inueni, quòd Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Stoicæ sectæ philosophus, Photini Stoici discipulus, patruus Lucani poetæ uir uitæ continentissimæ, quem Hieronymus in catalogo sanctorum enumerat, scripsit epistolas octo ad Paulum Apostolum, sibi amicissimum; ante cuius martyrium biennio ferè ipse quoque à Nerone crudelissimo discipulo suo occisus est. Huic Paulus rescripsit sermone, ut creditur, latino epistolas sex paruas ac familiares, scribens ad eum non ut ad regeneratum, & ut planè fidelem, sed ut amicum, & qui Christianos non odio, sed beneuolentia prosequeretur, & qui disciplinam probaret eorum. Videtur autem Seneca stylum suum aliquantulum in his epistolis obumbrasse de industria, & dissimulasse; ut, si fortè in alienas manus epistolæ uenissent, etsi inscriptæ nomine Senecæ, potuissent nihilominus in periculo non uideri Senecæ. periculum enim erat, & contra imperatoris tunc edictum, Christiani, aut Iudæi familiaritate uti. Attestantur his epistolis nonnulli ex uetustissimis patribus; in primis uerò Linus, secundus post Petrum Pontifex, qui in principio libri De passione Pauli, loquens de amicitia Pauli, & Senecæ sic ait: CONCURSUS de domo Cæsaris fiebant ad eum. sed & institutor imperatoris adeò fuit illi amicitia copulatus, uidens in eo diuinam scientiam, ut se à colloquio illius temperare uix posset, quo minus, si ore ad os illum alloqui non ualeret, frequentibus datis & acceptis epistolis, ipsius dulcedine, & amicabili colloquio, atque consilio frueretur. & diuus Hieronymus in libro De uiris illustribus Senecam inter ecclesiasticos scriptores enumerans, inquit. SENECAM non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me illæ epistolæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, in quibus cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. & Augustinus in epistola ad Macedonium 53. harum epistolarum mentionem faciens, ait: MERITO ait Seneca, (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum Apostolum leguntur epistolæ) OMNES ODIT QUI MALOS ODIT. Hæc illi de Senecæ, & Pauli epistolis; quæ quoniam breues admodum sunt, & paucis cognitæ; non ab re futurum arbitror, si eas hoc loco ascribam.

Paulo Annæus Seneca salutem.

C R E D O tibi, Paule, nunciatum, quod heri cum Lucillo nostro de apocriji, & alijs rebus habuimus. erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum. nam in hortos Salustianos feceramus; quo in loco occasione nostra aliò tendentes hi, de quibus dixi, nobis adiuncti sunt. Certè quòd tui præsentiam optamus. & hoc scias uolo: libello tuo lecto, id est de plurimis literis aliquas epistolas, quas ad aliquam ciuitatem, seu caput prouinciæ direxisti, mira exhortatione uitam moralem continentes, usque resecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te, certè aliquando ex te, & per te. tanta enim maiestas earum est rerum, tantaque generositate clarent, ut uix suffecturas putem ætates hominum, quibus institui perficij possint. Bene te ualere frater cupio. Vale.

Paulus Senecæ salutem.

L I T E R A S tuas hilaris heri accepi: ad quas rescribere statim potui, si præsentiam iuuenis, quem ad te missurus eram, habuissem. scis enim, quando, & per quem, & quo tempore, & cui quid dari committij debeat. Rogo ergo, ne te putes neglectum, dum personæ qualitatem inspicio. sed quòd literis meis uos resectos scribis;

scribis; felicem me arbitror tanti uiri iudicio. neque enim diceris Censor, Sophia, ac magister tanti principis & etiam omnium, nisi quia uera dicis. Opto te diu bene Valere.

Paulo Annæus Seneca salutem.

QUAEDAM uolumina ordinavi, & diuisionibus suis statum eis dedi. ea quoque legere Cæsari sum destinatus. & si modò fors prosperè annuerit: eris forsitan & tu præsens. sin aliàs: reddam tibi diem; ut inuicem hoc opus inspiciamus. Deceueram non prius edere ei hanc scripturam, nisi prius tecum conferrem, si modò impunè hoc fieri potuisset: ut scires & te non præteriri. Vale Paule charissime.

Paulus Senecæ salutem.

QUOTIESCUNQUE literas tuas audio, præsentiam tui cogito; nec aliud existimo; quàm omni tempore te nobiscum esse. cum primùm itaque uenire cœperis, inuicem nos & de proximo uidebimus. Bene te ualere opto.

Paulo Annæus Seneca salutem.

NIMIO tuo angimur secessu. quid est, uel quæ res te remoratum faciunt? si indignatio domini, quòd à ritu & seclæ ueteri recesseris, & alios rursus conuerteris: erit postulandi locus, ut ratione factum, non leuitate hoc existimet. Vale.

Paulus Senecæ, & Lucillo salutem.

DE his, quibus, uel quæ mihi scripsistis, non licet harundine, & atramento eloqui: quarum altera res notat, & designat aliquid; altera euidenter ostendit, præcipuè cum sciam inter uos esse, sicut apud nos, & in nobis, qui me intelligunt. Honor habendus est omnibus, & tanto magis his, qui indignati, occasionem captant: quibus si patientiam ostendemus; omni modo eos ex quacunque parte uincemus: si modò hi sunt, qui pœnitentiam sui gerant. Bene ualete.

Paulo Annæus Seneca salutem.

PROFITEOR bene me acceptum in lectione literarum tuarum, quas Galatis, Corinthijs, & Achæis misisti. spiritus enim sanctus in te, & supra te excelsos, sublimiores, ualdeq; uenerabiles sensus exprimit. uellem itaque, cum res eximias proferas, ut maiestati earum cultus sermonis non desit. & ne quid tibi, frater, surripiam, aut conscientia meæ debeam, confiteor Augustum sensibus tuis permotum: cui, lecto literarum tuarum, exordio, hæc uox fuit: Mitari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, Solere deos ore innocentium effari; addens ei exemplo Vaticanæ hominis rusticuli: cum duo uiri apparuissent in agro Reatino, qui Castor, & Pollux sunt nominati, diuinitus instructus fuit. Vale.

Paulus Senecæ salutem.

LICET non ignorem Cæsarem nostrarum rerum admiratorem & amatorem esse. permittes; tamen te non lædi, sed admoneri. puto enim te grauiter fecisse, quòd in notitiam perferre uoluisti, quòd ritui & disciplina eius sit contrarium: cum & ille gentium deos colat. Quid tibi uisum sit, ut hoc eum scire uelles, non uideo: sed nimio amore meo facere te hoc existimo. rogo te de futuro, ne id agas. cauendum est enim, ne, dum me diligis, offensam domino facias: cuius quidem offensa,

nec

A nec oberit, si perseuerauerit; neque, si non sit, proderit. si est regina; non indignabitur: si mulier est; offendetur. Bene Vale.

Paulo Annæus Seneca salutem.

SCITO te non tam mei causa commotum literis, quas ad te de editione epistolarum tuarum Cæsari feci, quàm natura rerum: quæ ita mentes hominum ab omnibus artibus & moribus reuocat, ut non hodie admirer. quippe ut is, qui multis documentis hoc iam notissimum habeam. igitur nouè agamus. tu, siquid facillè in præteritum actum est, ueniam irrogabis. Mihi tibi librum de uerborum copia. Vale Paule charissime.

Paulus Senecæ salutem.

QUOTIES tibi scribo, & nomen meum tibi præfero, grauem & seclæ meæ incongruam rem facio. debeo enim, ut sæpe professus sum, cum omnibus omnia esse; & idem obseruare in tuam personam, quòd lex Romana honori senatus concesserit, scilicet in epistola ultimum locum eligere, ne cum aporia & dedecore cupiam efficere, quòd mei arbitrij fuerit. Vale deuotissime Magister. Data quinto Kal. Iulij Nerone quarto, & Messalla Consulibus.

Paulo Annæus Seneca salutem.

A VE MI Paule charissime. si mihi, nominiq; meo uir tantus & dilectus omnibus modis, non dico fueris iunctus, sed necessario mixtus: aptè actum erit de Seneca tuo. cum sis igitur uertex & altissimorum omnium montium cacumen; haud te indignum in prima facie epistolarum nominandum censeas, ne tam tentare me, quàm ludere, uidearis; quippe cum scias ciuem esse te Romanum. nam qui meus, tuus; apud te locus; qui tuus, uelim ut meus. Vale Paule charissime. Data x. Kal. Aprilis, Apriano & Capitone Consulibus.

Paulo Annæus salutem.

A VE MI Paule charissime. Putas ne me haud contristari, & non luctuosum esse, quòd de innocentia uestra subinde sumatur supplicium? dehinc, quòd tam obnoxios uos reatui omnis populus iudicet, putans à uobis effici, quòd in urbe contrarium sit? sed feramus æquo animo, & utamur foro, quòd fors concessit, donec inuicta felicitas finem malis imponat, Tulit & præcorum ætas Macedonem Philippi filium, & Dionysium; nostra quoque Caium Cæsarem: quibus quicquid libuit, licuit. incendium urbs Romana unde sæpe patiat manifestè constat. sed si effari humilitas humana potuisset, & impunè his tenebris loqui liceret: iam omnes omnia uiderent. Christiani, & Iudæi quasi machinatores incendij supplicio affici solent. Crassator iste, quisquis est, cui uoluptas carnificina est, & mendacium uelamentum, tempore suo destinatus est: & sicut optimi cuiusque caput pro uno donatur capite; ita unum pro multis dabitur caput, & hic deuotus pro omnibus igni cremabitur. centum triginta duæ domus, Insulæ quatuor sex diebus arsere: septimus pausam dedit. Bene te ualere opto. Data quinto Kal. Aprilis, Frigio, & Basso Consulibus.

Paulo Annæus Seneca salutem.

A VE MI Paule charissime. Allegoricè, & ænigmaticè multa à te usquequaque opera conduntur: & ideo rerum tanta uis & muneris tibi tributa, non ornamento uerborum, sed cultu quodam decoranda est. sapius te dixisse retineo, multos, qui talia affectent, sensus corrumpere, & rerum uirtutes euitare. cæterum hoc mihi

V 2 concedas

concedas uelim: latinitati morem gere, honestis uocibus speciem adhibe, ut generosi muneris concessio, dignè à te possit expediri. Bene Vale. Data V. nonas Iulij, Leone, & Sauino Consulibus.

Paulus Senecæ salutem.

PERPENDENTI tibi ea sunt reuelata quæ paucis diuinitas concessit. certus igitur ego in agro iam fertili semen fortissimum fero, non quidem materiam, quæ corrumpi uidetur, sed uerbum stabile Dei, deriuamentum crescentis, & manentis in æternum. Quod prudentia tua affecuta est, indeficiens fore debet: Ethnicorum, Israelitarumque obseruationes censeo uitandas. Quæ propemodum adeptus es, regi temporali, eiusque domesticis, atque fidis amicis insinuabis. quibus etsi aspera & incaptibilis erit persuasio, tua, cum plerique eorum minimè flectantur insinuationibus tuis: sermo tamen Dei illis instillatus, nouum in his hominem pariet ad Deum hinc properantem. Vale Seneca charissime nobis. Data Kal. Augusti, Leone, & Sauino Consulibus.

SCRIPSI in has epistolas breues commentariolos Iacobus Faber, Viennensis episcopus.

PAULI Raptus, siue Apocalypsis. Epiphanius in primo libro Panarij Caiatorum hæresin refellens, **R**URSUS, inquit, Caiari alium libellum finxerunt ex nomine Pauli, nefariis actionibus refertum; quo etiam Gnostici appellati utuntur; quem **A**SCENSVM PAULI uocant, occasione inuenta ab eo, quod Apostolus dicit, se ascendisse usque ad tertium cœlum, & audiuisse arcana uerba, quæ non licet homini loqui. & hæc inquit sunt arcana uerba. Augustinus tractatu nonagesimo octauo in Ioannem confutans horum insaniam, hæc addit: **Q**UIDAM spiritualium ad ea peruenerunt, quæ non licet homini loqui. qua occasione uani quidam Apocalypsin Pauli, quam sana non recipit ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumptione finxerunt, dicentes hanc esse, unde dixerat raptum se fuisse in tertium cœlum, & illic audisse ineffabilia uerba, quæ non licet homini loqui. Vt cunque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset, **Q**UAE adhuc non licet homini loqui: cum uerò dixerit, **Q**UAE non licet homini loqui; isti, qui sunt, qui hæc audeant impudenter, & infeliciter loqui?

PAULI Actuum recordatur Eusebius in tertio historiae ecclesiasticae capite uigesimo quinto. **P**OST HÆC, ait, canonica uolumina scriptura est, quæ dicitur **A**CTVS PAULI; & libellus, qui appellatur **P**ASTORIS; de quibus quammaximè dubitatur. Clemens Alexandrinus in sexto uolumine Stromatum, ex ignota quadam Pauli scriptura tale profert testimonium: Hoc Paulus apostolus declarat, dicens, Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sybillas, quomodo unum deum significant, & ea, quæ sunt futura; & Hystapen sumite, & legite, & inuentis Dei filium, multo clarius & apertius scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi reges instruent aciem, qui habent odio, &c.

PAULI, & Teclæ Actus. Gelasius dist. 15. recenset inter reprobas scripturas Actus Pauli, & Teclæ. suspicor hanc esse scripturam, de qua Hieronymus in catalogo scriptorum sub titulo **L**VCÆ hæc habet: **I**GITUR periodus Pauli, & Teclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. quale enim est, ut Lucas, indiuiduus comes apostoli, inter ceteras eius res hoc solum ignorauerit? Sed & Tertullianus, uicinus Apostolorum temporibus, refert presbyterum quendam in Asia **συνδασιν** apostoli Pauli conuictum apud Ioannem, quod autor esset libri; & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse. Fuit huius libri argumentum, ut ex tertio libro Epiphanius aduersus hæreses, ex libro secundo Ambrosij de uirginibus, & ex octauo libro historiarum Vincentij, episcopi Beluacensis, conicitur huiusmodi. Paulo apud Iconium predicante, uirgo Tecla, audita eius de Virginitate concione, repente nuptiis exoluitur; & sponsum suum, iuuenem, urbis primarium, forma & diuitiis inlytam, relinquit; & Paulo adhaerens,

Arens, ei se comitem peregrinationis dedit. in qua cum à persecutoribus grauiam mortis discrimina subire cogeretur; nunc aquis immersa, nunc in ignes deiecta, nunc feris obiecta, tandem his omnibus, Paulo protegente, liberata, simul cum ipso Romam incolumis peruenit.

PETRVS APOSTOLVS præter duas catholicas epistolas, in sacro canone receptas, scripsisse fertur Christianæ doctrinæ libros quinque ex his ut ex Hieronymo refert Sophronius.

PRVMS *Κήρυγμα*, hoc est **P**RAEDICATIO inscribitur.

SECVNDVS *Ευαγγέλιον* **E**VANGELIUM.

TERTIVS *Πράξεις*, id est **A**CTVS.

QUARTVS *Αποκάλυψις*, id est **R**EVELATIO.

QUINTVS *Κρίσις*, id est **I**VDICIUM.

EX his primum duntaxat, & quintum apud ueteres in autoritate fuisse reperi.

B quippe quorum testimoniis usi sunt uetustissimi patres, præsertim Clemens Alexandrinus, & Origenes; quorum ille in 6. Stromaton fragmentum citat, ex quo habere possis aliquod specimen huius libri in his uerbis: **P**ETRVS IN **P**RAEDICATIONE dicit, Cognoscite unum esse Deum, qui fecit omnia principium, & finis habet potestatem, & qui non cadit sub aspectum; qui omnia uidet; qui cum capi non possit, omnia capit; nullius indigens, ipsius indigent omnia, & per quem sunt omnia; qui comprehendere non potest, æternus, ab interitu alienus, non factus; qui omnia fecit uerbo uirtutis suæ, hoc est filio. hunc Deum colite, non ut Græci, ut pote quod eundem, quem nos, colunt Deum; qui sunt uiri probi apud Græcos, sed non perfecta & absoluta agnitione, ut qui à filio datam non didicerunt. quoniam dum feruntur ignorantia, & Deum nesciunt, ut nos perfecta cognitione, cum potestate; quam dedit eis ad usum, forment ligna, & lapides, & ferrum, & aurum, & argentum: & ex ipsorum materia factos deos colunt: & quæ eis dedit in cibum, uolucres aeris, & maris natatilia, & terræ serpentes, & feras, cum agri pecoribus, & quadrupedibus, hominibus sacrificant, & mortua mortuis afferentes, tanquam diis, in Deum sunt ingrati. neque colite, ut Iudæi: etenim illi soli se Deum nosse putantes, nesciunt se adorare angelos, & archangelos, menses & Lunam; & nisi Luna apparuerit, non agunt sabbatum, quod dicitur primum, neque neomeniam, neque azima, neque magnum diem: Quare uos quoque sanctè & iustè quæ uobis tradimus, discentes, seruate, nouè Deum per Christum colentes. inuenimus enim in scripturis, sicut dicit dominus, Ecce facio uobis testamentum nouum, non ut feci patribus uestris in monte Horeb. nobis enim dedit nouum testamentum. quæ enim Iudæorum & Græcorum, sunt uetera. nos uerò, qui nouè ipsum tertio genere colimus, sumus Christiani. Hactenus Petri uerba: quæ quidem Origenes tomo decimo tertio in Ioannem, per epilogum resumens, apertius exponit. inquirendum tamen esse dicit de libro hoc, uerusne sit, an suppositicius, an mistus.

DE opere autem, cui titulus est **I**VDICIUM PETRI, Rufinus in explanatione Symboli ad Laurentium sic scribit: **I**N **N**OVO uerò testamento libellus, qui dicitur **P**ASTORIS, siue **H**ERMATIS, & **I**VDICIUM **S**ECVNDVM **P**ETRVM, omnia quidem patres legi in ecclesiis uoluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.

DE Euangelio Petri Serapion, qui anno domini ducentesimo Antiochiæ fuit episcopus, particularem librum conscripsit ad fratres Rhosi Ciliciæ, per occasionem huius scripturæ in hæresin declinantes: in quo arguens quædam falsa in ipso contenta, sic loquitur: **N**OS **E**NIM fratres & Petrum, & alios Apostolos recipimus, sicut & Christum. quæ autem sub eorum nomine falsa ab aliis conscripta sunt, uelut gnari eorum sensus ac sententiæ declinamus, scientes, quod talia nobis non sunt tradita. ego enim, cum essem apud uos, putabam omnes rectæ fidei esse inter uos; & nondum decurso libello, qui mihi offerebatur, in quo nomine Petri conscriptum euangelium ferebatur, dixi: Si hoc est solum, quod inter uos inimicitiam, similitatemque uidetur inferre, legatur codex. nunc autem comperto, quod hi, qui co-

dicem illum legi debere asserunt, prospectu cuiusdam occultæ hæreseos hoc fieri A
poposcerunt, sicut mihi dictum est; festinabo iterum venire ad uos. horum enim
cuius hæreseos fuit Martianus, qui etiam sibi ipsi contrarius exitit, non intelli-
gens quæ loqueretur, quæ etiam uos intelligetis, ab his, qui hoc ipsum euange-
lium secundum illius traditionem didicerant, & successores extiterunt sententiæ
eius, quos nos Δοκίμους, hoc est Opinatores, uocamus. Hæc Serapionis uerba
ex Eusebio collecta.

DE ACTIBVS Petri, & cæteris eius libris Eusebius in tertio historiæ ecclesiasti-
cæ, capite tertio sic habet: ILLE uerò libellus, qui dicitur ACTVS PETRI, &
quod nominis eius EVANGELIUM nuncupatur, sed & quæ dicitur eius PRAEDI-
CATIO, & eius APOCALYPSIS, in scripturis canonicis non habentur; sed nec ali-
quis quidem ueterum uti eorum testimoniis inuenitur. & libro tertio capite uige-
simo quinto. POSTHÆC, inquit, diuina uolumina scriptura est, quæ dicitur
Actus Pauli, & libellus, qui appellatur Pastoris, & Petri Apocalypsis: de quibus B
maximè dubitatur.

CAETERVM Origenes, à quo citatur testimonium ex Actibus Petri Tomo uige-
simo in Ioannem, idem in libro primo Periarchon meminit alterius libri, qui
DOCTRINA PETRI inscribitur, hunc in modum: si quis uelit nobis proferre ex
illo libello, qui Petri doctrina appellatur, quod saluator uidetur ad discipulos dice-
re, NON SIT DAEMONIUM INCORPOREVM: respondendum est ei, quòd liber
ille inter ecclesiasticos non habetur; & ostendendum, quia neque Petri est ipsa scrip-
tura, neque alterius cuiusquam, qui spiritu Dei fuerit inspiratus.

PETRI ITINERARIUM, sub nomine Clementis editum, Gelasius distinctione 15.
inter libros suspectæ fidei collocat.

PETRI, ET PAULI martyrium Linus Papa duobus uoluminibus conscripsit.

PHYLACTERIA Angelorum inter damnatas numerantur scripturas à Ge-
lasio distinctione quinta decima his uerbis: PHYLACTERIA omnia, quæ non C
ab angelis, ut hæretici confingunt, sed magis sunt à dæmone conscripta, Apocry-
pha sunt. quæ sanè uerba intelligi possunt de magicis amuletis; quæ aduersus ex-
cantationes, hostium incurfus, fulminum casus, & alia huiusmodi discrimina su-
perstitiosi quidam collo appensa gestant. hæc enim ueteres aliquando Phylacteria
nuncupasse testis est Epiphanius libro primo aduersus hæreses. de his extat decre-
tum Grægorij Papæ apud Burchardum, episcopum Vormaciensem, libro decimo
cap. 23. in hæc uerba: SI QVIS HARIOLOS, HARVSPICES, VEL INCANTATO-
RES OBSERUAVERIT, AUT PHYLACTERIIS VSVS FVERIT, ANATHEMA SIT.

PHYLACTERIA Scribarum, & Phariseorū, quæ in hebraico Matthæi euan-
gelio uocantur *תפלות* Totaphot, Rabbini Hebræorū תפלות thepilin appellant,
Græci φιλανθηρία, hoc est Conseruatoria, sic dicta ἀπὸ τῆς φυλάττω, eo quòd memoriam
ab obliuione seruarent; Hieronymus uerò Pictatiola, id est albas tabellulas, breui-
simis sententiolis inscribendis accommodatas nuncupat. Erant autem Phylacteria hæc, D
de quibus Christus ambitiosam phariseorum, & scribarum Phylacteria dilatantium
hypocrisim taxat, chartulæ, seu membranæ, seu libelli quidam perexigui, uerbis di-
uinæ legis conscripti; quos pharisei, & scribæ in fronte gestabant. Cum enim, ut in-
quit Chrysofomus, Iudæi facillè obliuiscerentur mandatorum Dei, iussit Deus ea in
tabellis describi, & fronti manibusque appendi, inquiens, Ligate ea in signum in ma-
nu uestra, & sint ut frontalia ante oculos uestros. nam quemadmodum matres
obliuiosis pueris filo digitum alligantes, reducunt eos in memoriam eorum, quæ illis
mandata sunt: sic Deus Iudæis, tanquam infantulis, iussit hæc manibus & fronti alligari;
& uolens hoc modo admonere, ut in lege domini diu noctuque meditarentur,
& mandata eius opere complerent. Cæterum Pharisei, hoc perperam interpretantes
putabant, sicut & nunc putant, satis esse ad assiduam legis obseruationem, si capiti &
brachiis hosce Thephilin alligarent. sic enim de continua obseruantia totius legis
scribit Rabbi Dauid Kimki in psalmum primum, exponens sententiam illam, ET IN
LEGE DOMINI MEDITABITVR DIE, AC NOCTE, inquiens, MEDITABITVR die

Dent. II.

Psal. I

LEGE DOMINI MEDITABITVR DIE, AC NOCTE, inquiens, MEDITABITVR die

ac

A ac nocte, id est occupatus semper erit in studio legis. Quòd si obiicias, Qui fieri
potest, ut quis dies & noctes totus sit in meditanda lege; quod cū fiat, non super est lo-
cus, quando quis reliqua opera, quæ sunt curæ domesticæ, procuret? Respondent sa-
pientes hebræorum in hunc modum: Quicumque seruat præceptum de applicandis
Thephilin, huic scriptura tantum tribuit, ac si disceret dies ac noctes. Hierony-
mus in commentarijs in Matthæum scribit, hunc morem gestandi Thephilin etiam
temporibus suis uiguisse apud Babylonios, Persas, & Indos. in quorum locum re-
fert Chrysofomus homilia septuagesima tertia in Matthæum, multas ex Christianis
fœminis suo sæculo consueuisse euangelium, ex collo dependens, præferre; quò fa-
cilius euangelica præcepta sibi in memoriam reuocarent. Porro, quidnam in hisce
phylacterijs scribi soleret, diuersa est Christianorum, & Hebræorum sententia. Hiero-
nymus, Chrysofomus, & Theophylactus asserunt decalogum legis, siue decem dua-
rum tabularum præcepta in his conscribi consueuisse. Lyranus ex sententia Rabbi-
norum testatur esse Iudæorum sanctionem, ut in Thephilin exarentur duodecim pa-
fuch, id est uersus, siue sententiæ ex libro Deuteronomij; quinque uidelicet ex sexto
capite, & septem ex undecimo eiusdem uoluminis capite, quæ sunt hæ.

Ex Deuteronomij capite sexto.

- 1 AVDI Israel dominus Deus noster. Deus unus est. & diliges dominum Deum
tuum in toto corde tuo, & tota anima tua, & tota fortitudine tua.
- 2 Et erunt uerba ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.
- 3 Et repetes ea filijs tuis, & loqueris cum eis, quando sedebis in domo tua, &
quando ambulabis per uiam, & quando accumbes, & quando surges.
- 4 Et ligabis ea in signum in manu tua; & erunt, ut frontalia in oculis tuis.
- 5 Et scribes ea in postibus domus tuæ, & in portis tuis.

Ex Deuteronomij capite undecimo.

- 1 ET erit, si obediendo obedieritis præceptis meis, quæ præcipio uobis, ut dili-
gatis dominum deum uestrum in toto corde uestro, & tota anima uestra.
- 2 DABO pluuiam uestram tempore suo temporaneam, & ferotinam: & colliges
frumentum tuum, & uinum tuum, & oleum tuum.
- 3 Et dabo herbam in agro tuo pro iumentis tuis: & comedes, & saturaberis.
- 4 CAUTE uobis, ne forte seducatur cor uestrum, & recedatis, & colatis deos alic-
enos, & incuruetis uos eis.
- 5 ET irascatur furor domini in uos, & restringat cœlos, & non sit pluuia, & terra
non det fructum suum, & pereatis citò de terra bona, quam dominus dat
uobis.
- 6 ET ponite uerba mea ista in corde uestro, & ligate ea, tanquam signum in ma-
nu uestra: & sint, ut frontalia, in oculis uestris.
- 7 ET docete ea filijs uestris, ut loquantur de eis, quando sedebis in domo tua, &
quando ambulabis per uiam, & quando accumbes, & quando surges: & scri-
bes ea in postibus domus tuæ, & in portis tuis.

HÆC de scriptura Thephilin. De modo autem & ritu, quo hæc scribi debeant,
Rabbini multa præcipiunt. de quibus, ne quid legentium curiositati desit, pauca
quædam adducam, quæ olim in ordine Thalmudicorum uoluminum legi in tractatu
תפלות Roschasciana. ex quibus si nihil aliud boni lector hauriet, saltem ridicu-
las Iudæorum ineptias discet prorsus contemnere. sunt autem hæc. Tutaphoth,
siue Thephilin, hoc est Phylacteria, uel Conseruatoria sunt membranulæ, in quibus
scribuntur sententiæ quædam Biblicæ, & necesse est, ut fiant de iumento, aut fera
munda. sicut dicit scriptura, ut sit lex domini in ore tuo. oportet etiam scribere
manu sua dextera, etiam si possit uti utraque manu sua. Quòd si manu sinistra
tantum

tantum uti possit, illi erit loco dexteræ, & qui non ualet rectam facere lineam absque A tracta linea, licitum est, ut lineam trahat, super quam scribat. Debet autem membranula esse integra sine foramine, ne atramentum fluat per eam. & si aboleatur una literarum, & puer indoctus, qui non est stolidus, possit legere ipsam; idonea erit: si non; inepta fuerit. Nec oportet, quod spacium relinquatur sursum, nisi quod sufficiat pro erectione h̄ lamed. infra uerò fiat iuxta mensuram longitudinis p̄ kof, & j̄ nun. Porrò scripturam ipsam non scribant nisi ex eo latere membranæ, ubi carnem tetigit. Oportet etiam includere scripturas quatuor lineis per circuitum schedæ. at non est opus, ut inter scriptas lineas fiant lineæ, & non debet homo ire per cœmeterium, quando habet Thephilin in capite suo, neque ad illud accedere per spacium quatuor cubitorum. Locus in quo sunt Thephilin, aut etiam liber legis, prohibitum est in eo dare operam Veneri, nisi prius ea exportauerit, aut reposuerit ea intra uas aliquod, & rursum uas illud reposuerit intra uas aliud. & cum sic uas reposuerit intra uas, licebit ea quoque reponere sub cervicali inter stratum & puluinar. B Hæc Iudæi iuxta mortuam literam interpretantes, tali superstitione præceptum domini obseruant. cum potior & uerior eius sensus sit, ut legem Dei corde & animo feruent, eamque manibus & opere compleant. Epiphanius libro primo Panarij hæresi 15. asserit Phylacteria Phariseorum, de quibus in euangelio loquitur Christus, nullum esse scripturæ genus, sed latas quasdam purpuræ notas, conspiciuis palliorum locis prætextas, quod & ipsa euangelij phrasis indicat, dicens: DILATANT enim phylacteria, & fimbriaspalliorum magnificent. per fimbrias intelligens oras & margines palliorum; per phylacteria uerò ipsorum purpureas notas, quales & in pectore, & à tergo Dalmaticarum apponuntur.

Matt. 23.

PHILIPPVS Apostolus euangelium sortitus est à Gnosticis hæreticis, appellatione sua confictum. de quo Epiphanius in primo Panarij hæc habet: PROFERUNT autem Gnostici in nomine Philippi sancti apostoli confictum euangelium, in quo scriptum est, Quoniam reuelauit mihi dominus, quid oporteat animam dicere, C in eo, quod ascendit ad cœlum, & quomodo singulis supernis uirtutibus respondere; nam cognoui me ipsam, & collegi me ipsam undequaque, & non seminavi liberos principi, sed radicaui radices ipsius, & collegi membra dispersa, & noui te, qui es. ego enim ex supernis sum, &c. Gelasius dist. 15. Actus Philippi refert in catalogo Apocryphorum.

POPULORVM scriptura de hac iuxta septuaginta editionem in psalmo 86. legitur: DOMINVS narrabit in scriptura populorum, & principum horum, qui generati sunt in ea. Euthymius, hunc locum exponens, EX PROPHE TARVM, inquit, scripturis Christus docebit, quæ ad se pertinent. ait enim Lucas, Et traditus est ei liber Esaiæ propheta, & explicato libro, inuenit locum, ubi scriptum erat. Spiritus domini super me, & cætera. huiusmodi igitur prophetarum scripturam populorum scripturam appellat, & scripturam principum eorum, ueluti quæ & Iudæorum populis, & eorum principibus data erat, & illorum propria D erat possessio, qui in ea generati sunt, hoc est nati in Syon. Hæc ille. Iuxta hebraicam ueritatem sic legitur: DOMINVS numerauit scribens populos, ipse natus est in ea semper. quod Iudæi sic exponunt. Tanta erit populorum multitudo in futura Hierusalem, ut solus Messias, in cuius scientia scriptus est omnium Iudæorum numerus, eam dinumerare possit: utpote qui in ea urbe natus est ad regnandum in ipsa semper, & sine fine.

Luc. 4. c

Esa. 61. 4

Exod. 28.

PONTIFICALIS Vestimenti inscriptio triplex erat scilicet in capite, in humeris, & in pectore. Prima spectabatur in lamina aurea, mitræ siue diademati Pontificis super frontem præfixa; cui erat inscriptum nomen Dei quatuor hebraicis literis iod, he, uau, he; quod hebræis ineffabile reputatur. Secundam scripturam continebant duo ingentes smaragdi, quos Pontifex in utroque humero singulos gestabat auro inclusos & astrictos: in quorum dextro erant insculpta sena maiorum patriarcharum nomina, hoc est Iuda, Ruben, Gad, Afer, Nephtholim, Dan. In sinistro uerò alia sena posteriorum patriarcharum nomina, uidelicet Si-

meon,

A meon, Isachar, Zabulon, Manasse, Ephraim, Benjamin. Tertiam scripturam præfererebat Pontifex ante pectus in quadrato quodam monili, ex auro & quatuor coloribus intertexto; quod Rationale uocabatur: cui inserti erant duodecim diuersi coloris lapides miræ magnitudinis ac precij per quatuor ordines; ita ut in singulis uersiculis terni collocarentur lapides, & in singulis lapidibus singula duodecim patriarcharum nomina, secundum ætates ipsorum scripta erant. Harum inscriptionum causas & mysticas significationes autor libri sapientiæ paucissimis uerbis perstringens, IN SAp. 18. VESTE, inquit, podêris, quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum; & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta: & magnificentia Dei in diademate capitis illius scripta erat. Philo in tertio libro De uita Mosis, & in libro De monarchia secundo, Iosephus Antiquitatum libro tertio, & Hieronymus in epistola ad Fabiolam paulò altius exordientes, & rem latius explicantes, tradunt harum inscriptionum occasiones, & significata esse huiusmodi.

B VNIVERSVS Pontificis uestitus sex constabat ornamentis; hoc est duabus tunicis, thorace, monili, zona, & diademate. porrò ex duabus Tunicis interior erat linea ex candidissimo bysso, exterior tota hyacinthina, tintinnabulis, & malogranatis aureis circa infimam ipsius oram appensis. Thorax, siue superhumeralis ex quatuor coloribus, scilicet hyacintho, bysso, cocco, purpura, & auro fuit intextus. Monile, quod & Rationale dictum est, duodecim gemmis distinctum de collo Pontificis ante pectus pendebat. Diadema, siue Thiara, aurea lamina ornatum, & nomine Dei inscriptum, imponebatur capiti Pontificis: cuius thoracem Zona circa pectus usque ad talos demissa stringebat. Hic fuit Pontificis amictus. Quod autem significat tam integer, quam per partes, hoc est. Totum indumentum, totius refert mundi similitudinem; ut Pontifex, totius uniuersi orbis imaginem portans in uestibus, sciat se esse totius mundi mediatorem apud Deum; & non tantum pro familiaribus amicis, ciuibusque suis rem diuinam faciat; sed pro toto humano genere, & pro omnibus naturæ partibus, cælo, atque elementis; aut gratiarum agat actiones, aut supplicationes offerat Deo omnium conditori; præterea ut studeat uita, doctrina, & uirtutibus mundi totius ordinem, ornatum, atque concentum nulla ratione carentem exprimere: fiatque quodammodo microcosmos, hoc est paruus mundus, ita maioris mundi speciem representans in moribus; sicut ipsam gestat in uestibus. At partes singulæ uestimenti singulas orbis partes representant. Bysina Tunica, quia bysso ex terra gignitur, terram ostendit. Hyacinthina Tunica aerem, a lunari orbe usque ad terras protensum, propter coloris similitudinem demonstrat. Tintinnabulorum ex ipsa pendentium sonitus, & aureus fulgor indicant fulgura, & tonitrua in aere progenita. Thoracis ornatus, gemmis refulgens, cœli syderis pulchritudinem figurat. nam duo orbiculares smaragdi in singulis humeris singuli Solis Lunæque, alterius diurni, alterius nocturni syderis typum gerunt. In Rationali duodecim gemmæ discoloris, ternæ distributæ in quatuor ordines, signiferum circulum nobis innuunt, in quatuor D partes ternis signis constantes, diuisum. Zona exemplar habet æquinoctialis circuli, quem mundi cingulum astronomi nuncupant. Diadema uerò, quod regium insigne est, in summo totius corporis fastigio positum, & Dei nomen in lamina aurea continens, cœlum empyrium, ac Dei sedem subindicat, omni creaturarum ambitu sublimiorem; ex qua rex regum, omnibus præsidens, cuncta, quæ infra sunt, sapientissimè moderatur. Significat etiã Diadema omnem Pontificis ornatu superminens, quod summi sacerdotij potestas & honor non solū priuatis hominibus est eminentior, uerum etiam cunctis regibus & mundi imperatoribus. Hæc sunt, quæ sub Pontificali ueste latent, ænigmata: nunc, quid sibi uelint ipsius inscriptiones, uideamus.

NOMEN DEI, aureæ laminæ insculptum, (quod Græci τετραγράμματον, hoc est Quadrilaterum uocant, quia his quatuor literis scribatur, יהוה) apud Hebræos existimatur ineffabile, uel quod literæ, quæ nomen componunt, insonæ sint, & nullam per se ipsæ articulata uocem possint exprimere; uel propter diuinæ maiestatis reuerentiam, cuius propriissimum nomen neque audire, neque nominare fas putant. unde quoties in sacris literis illud legere contigerit, per aliud nomen,

X hoc

hoc est Adonai, quod Dominus interpretatur, pronunciant. Clemens Alexandri-
nus libro quinto Stromaton hebraicam huius nominis יהוה prolationem esse dicit
IEHOVA; quod etiam secundum ipsum exponitur, Qui est, & qui futurus est.
Theodoretus quæstione decimaquinta in Exodum eiusdem nominis expressionem
esse dicit apud Samaritanos Iate, apud Iudæos uerò Ia. Hieronymus in expositio-
ne Psalmi octauo hoc ipsum nomen explicat per dictionem Iaho. Philo autem as-
serit hoc ipsum nomen Iehoua, quod Ens, uel, Qui est significat, Deo iustissime
tribui; quia nulla uox rationabilius ac uerius Deo conueniat, quam Esse; sic enim
se ipsum ipsemet appellauit, quando interroganti Moyse, Quod est nomen tuum? re-
spondit, Ego sum, qui sum; uel, ut hebræus habet אני אהיה אשר אהיה Ani
ehieh, ascer-ehieh. id est, Ego ero, qui erò. quod idem est apud Hebræos, qui-
bus proprium est futura pro præsentibus usurpare. Atque ex hoc loco natum cen-
set Augustinus, Chisamensis episcopus, nomen Tetragrammaton, quo se diuinitas
ipsa ab essendo nominauit, quia primam uocem uerbi substantiui Est Hebræi sic scri-
bunt היה haia, hoc est Fuit; cui in futuro tertiæ personæ additur iod, sitque היה
ihieh, id est Erit. atque hoc ipsum est nomen quadrilaterum, duntaxat protrac-
ta iod, ut fiat uau. putatque idem episcopus loco eius, quod nunc est uau, fuisse iod;
quia facilis sit à iod ad uau transitus propter maximam similitudinem literarum affinita-
rem. Indicat igitur Entis nomen, in aurea lamina sculptum, supremum illud ma-
ximumque omnium Ens; principium esse & uinculum rerum omnium, quarum
Pontifex imagines induit, continens & confringens partes omnes uniuersi, nec si-
niens eas dissolui, dilabique; nihilque esse in mundo, quod sine auxilio eius posse
esse; qui est omnis essentia, omnisque uitæ plenitudo; à quo omnia uiuunt, mouen-
tur, & sunt ab eo profecta; qui que totum in se esse complectitur, quasi quoddam
essentia pelagus infinitum & immensum; quod fuit quidem semper, estque, & erit
semper, immo uerò semper est. nam Fuit, aut Erit, diuisiones sunt fluxæ naturæ,
& temporis; Deus uerò & naturæ, & temporis rationem transcendit. quod & ue-
teres illi Aegyptij, quanquam Ethnici, agnoscentes, his uerbis, ut Eusebius in un-
decimo libro de Præparatione euangelica testis est, Deum in templis suis descripse-
runt: EGO SVM QVOD FVIT, QVOD EST, QVOD QVE FVTVRVM EST. VELVM
MEVM NEMO VNQVAM REVELAUIT. hoc itaque Dei nomen laminæ impressum
significabat. Cæterum nomina duodecim filiorum Israel duodecim gemmis ante
pectus in rationali, & iterum duobus smaragdis super humeros Pontificis erant in-
sculpta, ut Moyses inquit, ob recordationem; hoc est, ut summus sacerdos, ingre-
diens sancta sanctorum, recorderetur se peccata præsertim populi sui ferre in hume-
ris; & pro ipso primum, deinde pro aliis nationibus expiationes, & sacrificia fa-
ciat. Rursus hæc eadem nomina, scripta in anteriori parte Thoracis, qui cælum
designat, mysticè demonstrant sola filiorum Israel nomina, & eorum, qui ab illis
non secundum carnem, sed secundum spiritum, promissionem, & fidei hæredita-
tem descendunt, scripta esse in coelis, & ad ipsos tantum pertinere gratisimam il-
lam saluatoris annunciationem, GAUDETE, ET EXVLTATE, QVIA NOMINA VE-
STRA SCRIPTA SVNT IN COELIS. & hoc est, quod Salomon dixit, MAGNALIA
parentum fuisse in Rationali descripta. hoc est magna & illustria patriarcha-
rum, & ipsorum spiritalis posteritatis facta fuisse scripta in coelis, quorum Ra-
tionale erat exemplar, non atramento, neque ut homines scribere solent, sed apud
sempiternam Dei memoriam, eo modo, quo Deus consuevit eos scribere in libro
Vitæ, quos uoluit esse ciues conscriptos æternæ ciuitatis. Sed & nomina sena pa-
triarcharum, exarata in singulis utriusque humeri smaragdis, Solem, & Lunam si-
gnificantibus, æternitatem indicant Israelitici seminis tam diu duraturi, quam diu
Solis, ac Lunæ sempiterna sydera permanebunt. Vide, quæ de Pontificali uestitu
annotauimus libro tertio in Methodo diuinæ scripturæ sciographica, ubi & pictu-
ram posuimus singularum pontificii ornatus partium.

PONTIUS PILATUS, Iudææ præses, cum saluatorem nostrum, indicta
causa, in gratiam Iudæorum damnasset, cupiens ostendere, se id pro magna
causa,

Luc. 10. 4
Sap. 18.

A causa, & extra ordinem iuris iustissime fecisse, titulum & causam damnationis Chri-
sti cernici eius apposuit, quatuor uerbis hebraicè, græcè, & latinè quambreuisissime
expressam, ad hunc modum:

יהושע הנצרי מלך היהודים

ΙΗΣΟΥΣ ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

IESVS NAZARAENVS REX IVDÆORVM.

Ioh. 19. 6

B HVNC titulum Pilatus, suo quidem iudicio ignominiosissimum, re autem ue-
ra gloriosissimum, in excusationem ac defensionem detestandæ sententiæ in Iesum à
se prolata excogitauit, ueluti apologiam iniustitiæ suæ ad omnes totius orbis na-
tiones tribus linguis conscriptam; confidens se apud omnes tueri posse, quasi sedi-
tiosum regni que affectatorem, ac Romani imperij hostem occidisset. Cæterum lon-
gè aliud intendebat spiritus sanctus, qui Pilatum ad hanc scriptionem adegerat,
nempe significare per hunc titulum nomen & regni titulum, quod Christus per
crucem suam mox erat accepturus super omnes Iudæos, hoc est iuxta nominis Iu-
daici interpretationem, super omnes confitentes; qui Deum uerum toto terrarum
orbe confitentur, & colunt; & quod illæ potissimum gentes sub imperio Christi es-
sent ituræ, quarum linguæ in titulo regni ipsius includerentur. unde & annitenti-
bus Iudæis immutare titulum, Pilatus inquit, QVOD SCRIPSI, SCRIPSI, Ioh. 19. 6
C fortiter restitit; ita uolente Deo, qui titulum regni Christi decreuerat immutabi-
lem & incorruptum permanere in perpetuum. Hunc titulum post trecentos & tri-
ginta annos adhuc integrum, unà cum dominica cruce ab Helena Constantini
matre in ruinis Hierosolymitanæ urbis inuentum, scribit Rufinus in decimo libro
ecclesiast. historiae capite octauo. Cruce Christi, quando fuit re-
perta.

D FERUNTUR & alia quædam sub nomine Pilati scripta, in quibus primum locum
tenent ACTA PILATI. quæ, ut Eusebius in nono libro historiae ecclesiasticæ nar-
rat, ab inimicis Christiani nominis conficta sunt, studio & opera Maximini impe-
ratoris, qui cum uellet uideri iustus de causis persequi Christianos, euulgari iusit.
Acta quædam ueluti ad Pilatum de Salvatore nostro habita; in quibus aduersus
Christum omne blasphemiarum genus congestum esset. quæ acta per omnes regni
sui prouincias, prælato adicto, mitti præcepit, & per urbes singulas, per uicos, per
agros etiam proponi. præceptoribus quoque puerorum tradi iusit, ut pro his,
quæ ad meditandum, uel ediscendum dictare solent, hæc traderent pueris memo-
riæ commendanda, & per totam diem in scholis recitanda, & in triuuiis decantanda.
Hoc tam impudens figmentum Eusebius in primo eiusdem historiae facile con-
futat ex temporum ratione. quarto nanque consulatu Tyberij, qui consulatus se-
ptimo anno imperij eius fuit, piaculi in saluatorem commissi tempus, falsa hæc Pi-
lati Acta perscribunt. quo in tempore euidenter ostendit, ne missum quidem ad Iu-
dææ procuracionem fuisse Pilatum; testante id Iosepho, probatissimo historico, qui
planissime designat duodecimo anno Tyberij Cæsaris Iudææ procuracionem susce-
pisse Pilatum. quod & cum euangelio Lucæ consonat.

FVISSE etiam Actus quosdam Pilati, docet Epiphanius in secundo Panarij; qui-
bus Quartadecimani hæretici usi sunt, astruentes ex his Pascha semper celebra-
ndum esse quartadecima die Lunæ mensis Martij; quia in iisdem Actibus scriptum
sit saluatorem nostrum passum esse die uigesimo quarto Martij. Eusebius in secun-
do historiae ecclesiasticæ tradit Pilatum post resurrectionem domini scripsisse ad Ty-
berium imperatorem, quæ de resurrectione Christi, deque eius miraculis, atque eius
diuinita-

Luc. 3. 2

diuinitatis opinione felix fama per omnem Syriam diuulgabat. cuius epistolæ exemplum, ab Eusebio prætermisum, & à nobis in uetustis bibliothecæ Vaticanæ monumentis repertum, hoc est.

Pontius Pilatus Cl. Tyberio Neroni Imp. S.

NVPER contigit, cuius rei ipse testis esse possum, Iudæos se se ipsos, posterioresque suos uniuersos per inuidiam crudeli damnatione perdidisse. Cum enim ex oraculorum præmissis, maiorum ipsorum autoritate receptis, hoc expectarent, ut Deus illorum per uirginem iuuenulam mitteret, qui iure rex eorum diceretur; hunc me præsentem misit in Iudæam. Is, quod omnibus notum est, cæcis uisum restituebat, leprosos mundabat, resolutos neruis curabat. uiderunt quoque ipsum dæmonia abegisse, atque obsessos spiritibus immundis liberasse. mortuos item ex sepulcris ipsis resuscitauit. obediebant ipsi uentorum turbines, siccis pedibus mare inambulabat. fecit alia quoque permulta miracula, ut uulgò etiam inter Iudæos, & plebem, Dei filius diceretur. Principes uerò sacerdotum, æmulatione & liuore instincti, aduersabantur illi; captumque illum mihi tradiderunt, euentis sceleribus eum reu facientes. magum appellabant, atque legis eorum desertorem, & contradicentem. Quibus persuasionibus seductus ipse, fidem querelis eorum adhibui, flagellatumque ipsis tradidi, ut pro arbitrio in eum animaduernerent. Crucifixerunt igitur illum, & sepulcro, quo conditus erat, custodes adhibuerunt; inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die ipsum à mortuis resurgentem uiderunt. Nequitia autem Iudæorum magis hoc facto exarsit: numeraruntque magnam pecuniarum uim ipsis militibus, quatenus discipulos ipsius noctu corpus rapuisse prædicarent. acceperuntque hi quidem pecunias: nihilominus tamen publicè ubique professi sunt, atque testantur se uisiones angelorum uidisse, ac Iesum illum à mortuis uere resurrexisse. Hæc autem ideo scripsi, ne quis nugis, ac mendaciis Iudæorum, si de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale.

TERTULLIANVS in Apologetico scribit Tyberium imperatorem, cum hæc de Christi miraculis ex Syria audiuisset, detulisse ad senatum cum prærogatiua suffragij sui, ut Christus inter deos Romanorum reciperetur. quod cum senatus non probaret; Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

PETRVS COMESTOR in historia scholastica refert Pilatum de iniusta Iudæorum cade, & sacri Hierosolymitani thesauri, qui Corban dicitur, accusatum apud Cæsarem, & ab eo relegatum Lugduni, quæ urbs ei natalis erat: ut ibi in odium & ignominiam generis sui inglorius moreretur.

PROCHORVS, unus de septem diaconis, quos Lucas in actibus refert ab Apostolis electos, scripsisse dicitur Ioannis euangelium in insula Pathmos. testatur hoc Simon Metaphrastes in uita Ioannis his uerbis: IOANNES unum quendam è septem diaconis se sequi iubet, Prochorus hic erat. & montis uerticem capessit; & more Samuelis reclus erigitur; & sicut Moyses manibus eleuatis effigatur, & mentem à sensibus abstrahit. tunc horrenda tonitrua, terrores, & fulgura his similia, quæ antea Moyse legem recipienti contigerant, facta sunt. ad extremum tonitrua in uocem exprimuntur, & dilucide resonant, In principio erat uerbum, &c. Quæ Prochorus, qui prius quidem, ueluti exanimis, præ timore ceciderat, represso paululum metu, subtremita manu ex ore & uoce Ioannis Theologi, quæ ipsum erat tonitru, uerba eius capit scribere, sic prosequens, donec totum compleret euangelium. Cæterum Athanasius in Synopsi Ioannis euangelium Ephesi à Gaio scriptum putat.

PTOLEMAEVS PHILOPATER, Aegypti rex quartus scripsit ad regni sui præfectos epistolas duas, alteram aduersus Iudæos, alteram pro Iudæis. quorum exempla extant in tertio Maccab. cap. 3. & 7.

PVGILLAR Zachariæ. huius mentionem faciens Lucas, dixit: Er postulans Pugillarem scripsit, dicens, Ioannes est nomen eius. est autem Pugillar, quem

A quem græci *πυγίλλιον* appellant, tabella cæra illita, in qua stylo scribitur. Prudentius in Peristephanon describens martyrium Casiani, qui pugillaribus & stylis discipulorum suorum minutatim excarnificatus interiit, pugillaris & styli, quo pugillares annotabantur, formam usumque his uersibus expressit:

*Immeri circum pueri, miserabile uisu,
Confossa paruis membra figebant stylis.
Vnde pugillares, soliti præcurrere cæras,
Scholare murmur annotantes scripserant.
Coniungunt alij lapides, inq; ora tabellas
Frangunt. relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cærata, genis impacta cruentis,
Rubetq; abiectu curta tumens pagina.
Inde alij Stimulos, & acumina ferrea uibrant,
Qua parte aratis cæra sulcis scribitur;
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.*

SVNT qui Pugillarem hunc à Zacharia postulatam, fuisse putent codicem publicum à scribis & sacerdotibus in synagoga diligenter asseruatum: in quo nomina, tribus, & parentes infantium circuncisorum unâ cum anno, mense, & die circuncisionis annotabantur, ad certitudinem & fidem originis & ætatis cuiusque retinendam. qui mos adhuc in multis Italiæ urbibus seruatur, ut nomina, & tempora baptizatorum infantium à parochis, qui eos baptizarunt, in uolumine paræciæ authentico scribantur. Nec ab horum sententia multum abest, quod ex Iulio Africano refert Eusebius in primo ecclesiast. historiæ, hoc est, consueuisse hebræos publicè in archiuis templi secretioribus habere libros quosdam; in quibus quoruncunque Iudæorum, etiam ex alienigenis descendentium, continebantur origines, & familiarum omnium profapia, & genealogia: quos Herodes, ratus ex his generis sui ignobilitatem coargui, flammis exarsit. sed eos profus abolere non potuit; cum multi, & præcipuè illi, quos demissa à proauis nobilitas commonebat, huiusmodi libros domi descriptos conseruarent. in quibus & seruatoris nostri Iesu genealogia his, quæ in euangelio habentur, consimilis inuenta est.

R



REGVM Liber, ספר המלכים Sepher hammelachim, citatur in secundo Paralip. capite 24. Hunc non esse opus illud, quod sub nomine Quatuor librorum Regum in sacris Bibliis continetur, satis apertè ostendit ultima eiusdem capitis perodus, sic habens: PORRO filij Ioas, & summa pecuniæ, quæ adunata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei scripta sunt diligentius in libro Regum. Quæ certè uerba referri nequeunt ad historiam Regum, canonicis scripturis insertam: in qua tantum abest, ut ea, quæ præsentem Paralipomenon capite narrantur, fufius & exactius referantur, ut nonnulla etiam in ipsa prætermisita sint ex his, quæ in hoc capite uel commemorantur, uel saltem indicantur. Est igitur, ut arbitror, liber hic à canonicis Regum libris planè diuersus. quod & sentire uidetur autor tertij uoluminis Esdræ; qui hunc ab illis manifesto discrimine distinguens, ita in primo capite operis sui scribit. HÆC autem præscripta sunt in libro historiarum regum Iudæ; & singula gesta actusque Iosæ, & eius gloria, & intellectus eius in lege domini; quæque gesta sunt ab eo, & quæ non sunt scripta in libro Regum Iudæ, & Israel. Citatur autem liber hic tam in duobus posterioribus Regum uoluminibus, quam in posteriori Paralipomenon libro, in singulis penè capitibus, semel atque iterum, & uariatis aliquantulum inscriptionis uocibus; aliquando Liber uerborum,

X 3 rum,

Act. 6. b

Ioan. 1. 4

Luc. 1. e

2 Par. 24.

3 Esd. 1. 8

rum, siue sermonum, siue dierum regum Iuda appellatur; aliquando Liber sermonum dierum Regum Israel. interdum quoque, coniuncta simul utriusque inscriptionis appellatione, uocatur Liber Regum Iuda & Israel. in quo latiori narratione luculentius uniuersa ac singula gesta Regum Iudæ, & Israel digesta fuerant à diligentissimo autore: cuius tam nomen, quam opus tempus edax rerum absumpsit, relictis tantum ad posteritatis memoriam, quæ in secundo Paralipomenon, & in secundo & tertio Regum libris ab incerto abbreviatore, quem alij Ieremiam, alij Esdras esse putant, breui compendio collecta sunt.

REPUDIUM Liber, matri Iudæorum à Deo traditus, est diuinæ reprobationis aduersus Iudaicam synagogam executio. de qua olim Iudæi cum propter scelera nefanda essent à Deo repudiati, & in seruitutem barbararum gentium dati, solebant populari quodam querelæ genere sub parabola libri repudij, Deum, ut uarium, mutabilem, & sibi ipsi minimè constantem, accusare, quod matrem & synagogam Iudaicam, sibi matrimonio iunctam, & longo tempore ardentissimè adamatam, repente mutata animi sententia repudiasset, atque abiicisset; idque nulla ipsius culpa lacesitus, aut prouocatus; sed ex solo ac mero nouæ uoluntatis arbitrio, instar carnalis uiri, qui uxorem ardenti desiderio expetitam, & diu retentam ultro dimittit, nulla alia de causa, quam quod diuturna & asidua eius consuetudo & copia satietatem sibi & fastidium coniugalis uitæ induxerit. A quibus tam iniquis accusationibus Deus, se se per Esaiam expurgans, **Q**UIS est, inquit, liber repudij matris uestre, quo dimisi eam? Ecce enim in sceleribus uestris dimisi matrem uestram, & in iniquitatibus uestris uenundati estis. quia ueni, & non erat uir: uocaui, & non erat qui responderet. nimirum his uerbis ostendens, occasiones & causas hebraicæ reprobationis ac repudij non esse referendas in ipsum diuinæ uoluntatis beneplacitum, sed in perfidam potius adulteræ synagogæ ingratitude; quæ, uiolata fide maritalis thori, abiectoque cultu Dei sponsi sui, prostituisse se diis adulterinis omnium gentium, ac Deum penè inuitum, suarum fornicationum turpitudine, ad librum repudij prothraxisset. quod etiam per Ieremiam Deus confirmans ait: **P**RO EO quod mœchata est aduersatrix Israel, dimisi eam, & dedi ei libellum repudij, & non timuit uxor eius Iuda: & abiit, & fornicata est. & iterum per Oseam itidem repetens, inquit: **I**UDICATE matrem uestram, iudicate, quoniam ipsa non uxor mea est; ideo & ego non uir eius sum. & rursum apud Esaiam, exprobrans filiis Israel impudicæ matris adulteria, inquit: **A**CCEDITE huc filij auguratricis, semen adulteræ & fornicariæ, audite. & paulo post eodem capite, ad matrem ipsorum conuerso sermone, subdit: **S**UPER montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, ut immolares hostias. & post hostium, & retro postem posuisti memoriale tuum: & iuxta me discoperuisti, & suscepisti adulteros, dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus. dilexisti stratum eorum manu aperta, & ornasti te regio unguento, & multiplicasti pigmenta tua. misisti legatos tuos procul, & mei oblita es. Quibus uerbis aperte demonstrat Deus, se non sine causa, nec ex sola sui animi sententia, sed ex Iudaicæ turpitudinis ignominia synagogam, malè de se meritam, abiicisse. Deus enim neminem prorsus reprobatur, nisi prius in eo culpa præcesserit; neque prius ipse est ultor, quam aliquis sit peccator.

SED his, quæ ab istis prophetis de occasione & causa Iudaicæ repudiationis ac reprobationis dicuntur, Paulus Apostolus non parum repugnare uidetur; qui in epistola ad Romanos de hac ipsa reprobatione nationis Iudaicæ differens, causam huius abiectiois refert non in scelera ac mala Iudæorum merita, sed in ipsum diuinæ uoluntatis ita uolentis beneplacitum; quæ, nullis inspectis humanæ iustitiæ aut iniustitiæ meritis, ut illi magis collibitum fuerit, citra ullum discrimen alios eligit, alios repudiat, alios diligit, alios odit. quod & Apostolus dilucidè manifestat exemplo Esau: de quo, cum nondum ipse natus esset, neque aliquid mali egisset, non ex malis operibus eius, sed ex proposito & persona Dei pronunciatum fuit illud. **E**SAY ODIO HABUI; ac subinde statutum, ut ipse Esau, natu prior serui-

ret

Aret Jacob, minori fratri, contra leges primogenituræ. Hoc idem Paulus exemplo figuli astruit; qui ex eadem massa luti, nulla habita partium ipsius ratione, aut ullo considerato merito, fingit aliud quidem uas in honorem, aliud in contumeliam. sic & Deus ex eadem hominum multitudine, nulla habita meritorum ratione, citra ullam uitiorum, aut uirtutum inspectionem, quos uult, & ut uult, in gratiam recipit; & quos uult, & ut uult, odit, reiicit, ac repudiat, etiam immeritos. Quæ quidem sententia cum supra positis prophetarum dictis ex diametro pugnat.

RURSUS idem Paulus in alio loco eiusdem epistolæ non solum ipsam causam iudaicæ reprobationis, sed & ipsam iudaicæ gentis reprobationem penitus sustulisse uidetur, dum ita locutus est: **D**ICO ergo, nunquid Deus repulit populum suum? **A**bsit: nam & ego Israelita sum de tribu Benjamin. non enim repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. quasi diceret, Immutabilis est Deus, nec amplius retractat, quod semel decreuit.

CUM igitur secundum æternam præscientiam elegerit sibi hebræorum nationem in peculium; fieri non potest, ut illam Deus repudiet, & abiiciat. quod & ipse Deus apud Ieremiam, sumpto argumento ex impossibilibus, constantissimè confirmat his uerbis: **H**ÆC dicit dominus, Si mensurari potuerint cœli sursum, & inuestigari fundamenta terræ deorsum; & ego abiiciam uniuersum semen Israel propter omnia, quæ fecerunt. Hæc dicit dominus, qui dat Solem in lumine diei, & ordinem Lunæ, & stellarum in lumine noctis: Si defecerint leges istæ coram me; tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. Et quod etiam multo admirabilius est, Deus ipse per Oseam affirmat, se tantum abesse ab hac iudaicæ nationis repudiatione, ut etiam spondeat se illam sibi in perpetuam coniugem asciturum, dicens: **D**ESPONSABO te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in fide, & in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus. Quæ sanè uerba firmissimè astruere uidentur hebræorum gentem nec ullo unquam tempore fuisse repudiata, nec deinceps quoque repudiandam fore.

AD HUIUS controuersæ solutionem opus est, ut sciatur, duplicem esse diuinam reprobationem, siue repudium; æternam scilicet, & temporale. Aeternum repudium est ordo ac dispositio diuinæ prouidentie circa eos, quos Deus præsciuit, à nuptiis cœlestis agni, & à consortio & sempiterna fruitione diuini sponsi fore in perpetuum excludendos. Temporale repudium est reiectio, qua Deus aliquos tam de numero saluandorum, quam de numero damnandorum ad tempus repudiat, & à participatione bonorum suorum siue spiritualium, siue corporalium temporaliter excludit, & eiicit. De temporali spiritualium bonorum eiectione conquirebatur Ionas, cum diceret: **A**BIECTVS sum à conspectu oculorum tuorum. & Da-

uid, eandem abiectioem reformidans, dicebat: **N**E PROIICIAS me à facie tua; & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. & in alio psalmo, **E**GO dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum à facie oculorum tuorum. De repudio à temporalibus bonis, idem Dauid ait: **Q**UARE me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? & Ieremias in Threnis utrunque repudium tam æternum, quam temporale unica sententia complectens, ait: **N**ON repellet in sempiternum dominus: & si abiicit, etiam miserebitur.

CUM igitur geminum sit repudium, de unoquoque ipsorum duo particulariter inuestigari possunt, uidelicet an ad omne Iudæorum genus utriusque repudij pœna peruenerit; & quænam fuerint utriusque repudij causæ.

PRIMO loco si quærimus, utrum uniuersa Iudaica natio sempiterno repudio abiecta sit: respondet Paulus: absit. quasi dicat, quanquam ex Iudæis innumera-bilis multitudo, ut prophætæ passim testantur, sempiterna reprobatione repudiata sit à Deo: absit tamen, ut credam uniuersum semen Israel sempiterni repudij pœna damnatum. nam & ego Israelita sum de tribu Benjamin. non enim repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Si uerò quis interroget, an temporale repudium omnem prorsus Iudaicam multitudinem à Deo excludat, aut aliquando excluderit: respondendum est, temporale repudium, quantum ad eiectionem à temporalibus bonis,

bonis,

bonis, quæ Deus, ueluti dotem, synagogæ concefferat, uniuersam Iudæorum gentem comprehendere. omnes enim tam bonos, quam malos, tam electos, quam reprobos temporaliter Deus abiecit; & de synagoga, de templo, de regno, & terræ promissæ possessione, in captiuitatem & seruitutem eiecit. Quantum autem ad spiritualia bona, & ad gratiam presentis iustitiæ, non omnes repudiati sunt.

SECUNDO loco si desideramus scire, quid fuerit in causa, cur maior Iudæorum pars perpetuo repudiò abiecta sit: considerare nos oportet, quòd in toto Iudaicæ repudiationis progressu gradus quidam sunt priores, & æterni; quidam uerò posteriores, & temporales: siue quòd idem est, in toto eiusdem repudiij opere initium & complementum spectanda sunt. Si consideremus initium, siue priores & sempiternos gradus, qui sunt odium, reiectio, & repudiatio, dilectioni, electioni, & prædestinationi priuatiuo modo oppositi; respondet Paulus causam, cur Iudæi sint in sempiternum abiecti, nullam esse, præter diuinæ uoluntatis placitum. probatq; id exemplo reprobationis Esau; de quo antè, quàm nasceretur, aut quicquam mali egisset, non ex malis operibus præuisis, sed ex suæ uoluntatis arbitrio dixit Deus: **ESAU** odio habui: & ipse natu maior fratri minori seruiet. Si autem inspiciamus ad posteriores temporales gradus, & ultimum sempiternæ repudiationis complementum, quod in æterna damnatione concluditur; huius postremi exitus causa in Iudæis est, nempe ipsorum incredulitas, arrogantia, ingratitude, & obstinatio; in quibus in damnationem perpetuæ perditionis ceciderunt, dicente ad eos Deo per Oseam prophetam, **PERDITIO TVA EX TE ISRAEL, TANTVMmodo EX ME AVXILIUM TVVM.** quod item Paulus demonstrauit, cum proponens illam questionem, Cur Israel iustificari non meruisset, inquit: **QVID** ergo dicemus? quòd Israel, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruénit. Quare? & respondens adiecit: Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. offenderunt enim in lapidem offensionis, & petram scandali, quia non crediderunt iustificari posse per Christum, qui est petra offensionis; in quam illi ob suam incredulitatem impegerunt: & ob id repudiati sunt in æternum.

DENIQUE si queratur, unde sit causa temporalis repudiij Iudæorum, hoc est, cur Deus dimiserit à se Iudaicum genus, & abiecerit in furore suo uniuersum semen Israel, dederitq; illud in prædam & in direptionem cunctis gentibus: respondet ipsemet Deus per Ieremiam: Pro eo quòd mœchata est adheratrix Israel, dimisi eam: & dedi ei libellum repudiij. & rursum per Esaiam, In sceleribus uestris dimisi matrem uestram; & in iniquitatibus uestris uenundati estis quia ueni, & non erat uir; & uocaui, & non fuit qui responderet. Venit utique sponsus ipse, & uocauit adulteram synagogam, beneficijs prouocauit, blanditijs inuitauit; precibus exorauit, minis deterruit, flagellis extimulauit; ut, relicto adultero, reuerteretur ad se. Preces præmisit, cum ex ore Ieremiæ, & Oseæ loquens dixit: **VILGO** dicitur in prouerbium, Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum; nunquid reuertetur ad eum ultra? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit dominus; & desponsabo te mihi in sempiternum, & in misericordia, & miserationibus. **COMINATIONES** addidit, quando ad ipsam per Oseam ad filios eius locutus est, dicens. **IUDICATE** matrem uestram, quoniam ipsa non uxor mea, & ego non uir eius. auferat fornicationes à facie sua, & adulterium de medio uberum suorum, ne fortè expoliam eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ, & ponam eam, quasi solitudinem; & statuam eam uelut terram inuiam, & interficiam siti. & filiorum eius non miserebor, quoniam filij fornicationis sunt; quoniam fornicata est mater eorum. Flagella deniq; apposuit, cum eam uariis captiuitatibus afflixit, sed cum nec dulcibus, nec amaribus adduci potuerit unquam, ut, relicto omnino adulteris Deo sponso suo perseueranter adhereret. tandem merito ingratitude suæ, temporali repudiò à sponso suo in perpetuum tempus abiecta est.

REPVDII Humani Libellus, hebraicè ספר כריתת מריה Sepher cherithuth, græcè uerò iuxta septuaginta interpretes, βιβλίον ἀποστασίας, liber est, quem maritus

A tus uxori, mox dimittendæ, porrigere tenebatur ex lege, quam Moyse in uigesimo quarto capite Deuteronomij promulgauit his uerbis: **SI** ACCEPERIT homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem; scribet libellum, & dabit ei in manu, & dimittet eam de domo sua. cumq; egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitq; ei libellum repudiij, & dimiserit eam de domo sua, uel mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram domino. Hæc Moyse. Hunc libellum Rabini hebræorum uocant **u: ghet**, quia sit ueluti testis repudiij, in quo maritus resignat omne ius, quod habuit in uxorem. Utuntur autem hebræi nostrorum temporum in conscribendis huiusmodi libellis formula quadam, desumpta ex libro præceptorum Rabbi Moysi de Cozi his fermè uerbis:

IN SEXTA SABBATI, in duodecima mensis Adar, anno à creatione mundi quinque millesimo tercentesimo sexto, in urbe Cremona, iuxta fluuium Padum, in Italia. Ego Samuel Carmin, filius Rabbi Daniel Sapharadi, sponte mea, & ex animo, ac citra ullam coactionem dimitto à me Rachel, filiam Rabbi Ezra Parizol; & concedo ei licentiam & potestatem, ut ad arbitrium suum abeat, quòd ei uisum fuerit; duciq; possit ab omni uiro: nec eam quisquam prohibere presumat. In cuius rei testimonium dedi ei hunc librum repudiij, & schedam dimissionis, atque signaculum diuortij, iuxta constitutionem Moysi, & Israel, præsentibus testibus infra scriptis, **MARDOCHAI** Gabirol, **HELIA** Chaphet, **MANUEL** Pandin,

SIC Igitur Iudæi legem de libello repudiij se rectè intelligere, & piè seruare credunt, existimantes Moysem præcepisse maritis, ut quacunque de causa uxores infensas dimittant, & alteram ducant. sed Christus non sic intelligendam esse legem hanc ostendit, cum apud Matthæum decimonono capite interrogantibus pharisæis, utrùm liceret homini quacunque de causa dimittere uxorem suam, respondit, non licere homini separare eos, quos Deus in unam carnem coniunxisset. & rursum obicientibus pharisæis, quòd Moyse iussisset dare libellum, & dimittere uxorem, protinus addidit: **MOYSES** propter duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras. ab initio autem non fuit sic. dico autem uobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxerit, mæchatur; & qui dimissam duxerit, mæchatur. uolens, ut inquit Augustinus, his uerbis declarare non totam hanc legem esse præceptum, sed alteram eius partem, nimirum eam, quæ ad repudium pertinet, esse permissionem, alteram uerò, quæ de libello repudiij loquitur, esse iusionem & mandatum. non enim dixit Moyse, Quicunque uouerit, dimittat uxore: quod contrariam legi Dei erat: sed inquit, si quis dimiserit, non dimittat, nisi prius dato libello repudiij; ut scilicet, interposita mora, animus, in disidium & separationem præceptis, libelli conscriptione refractus, absteret; & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret; præsertim quia, ut perhibent, apud hebræos scribere sanctas literas, hoc est hebræas, nulli fas erat, nisi scribis solis, cum excellentiorem profiterentur sapientiam. Ad hos igitur scribas & iudices, sapientia & iustitia præditos, lex mittebat; ut ipsorum persuasionibus maritus ad conjugalem concordiam reuocaretur. quòd si tantum intercederet odium, ut extingui emendariq; non posset; tunc permisit fieri diuortium, & aliam ducere, non tanquam aliquod licitum, sed tanquam remedium ad euitationem maioris mali paratum; ne maritus, tædio ac desperatione inseparabilis coniugij, ad cædem uxoris uerteretur. semper enim malum fuit ob quamcumque causam repudiare uxorem, & alteram accipere, immo contra ipsam inseparabilem matrimonij naturam ab initio generis humani conditam; cuius lex est, **PROPTER** hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Non igitur præceptum fuit Iudæis uxorem dimittere, & aliam ducere, sed tantummodo permittum. nobis Christianis neque præceptum, neque id ulla ex parte permittum, dicente

Y Paulo:

1 Cor. 7. Paulo: Hrs, qui in coniugio sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem à viro non discedere. quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. tametsi libellum repudij & diuortij à toro & cohabitatione solùm, & in sola fornicationis causa, & his tantùm, qui fornicationis expertes sunt, dare permiffum sit, atque etiam aliquando iustum; cum scilicet adultera incorrigibilis est, ne in illam sententiam prouerbiorum incidamus, **QVI TENET ADULTERAM STULTVS, ET IMPIVS EST.** Tractat hoc argumentum diuus Augustinus libro primo de sermone domini in monte, libro primo retractationum capite decimo nono, & libro decimo nono contra Faustum capite uigesimo sexto; copiosissimè uerò in duobus libris de adulterinis coniugijs ad Pollentium, religiosissimum uirum; qui, magis humana quadam maritorum commiseratione adductus, quàm solidis rationibus, putabat non esse illicitum Christiano viro in causa fornicationis dare libellum repudij adulteræ uxori, & aliam ducere, ne maritus infelix, qui continenter uiuere nequeat, aut explendæ humanæ fragilitatis, & habendæ prolis necessitate cum adultera cubare cogeretur: aut ad interficiendam adulteram sine ulla miseratione compelleretur, si ea uiuente, non liceret ei iuxta Romanorum leges alteram ducere uxorem. Permissum autem ueteres Romani uxorum repudia tanta libertate, ut, florente adhuc republica, liceret cuique, & quacunque de causa etiam occulta, uxorem misso libello eiicere. unde cum Paulus Aemilius repudiasset uxorem suam Papyriam, Mufonis uiri consularis filiam, qua cum longo tempore uixerat, & ex qua nobilissimam sobolem sustulerat, inclytum illum ac maximum Scipionem Aemilianum, nullam diuortij causam indicare uoluit; sed abundè se satisfacere percontantibus existimauit, si, porrecto pede, responderet, Hic calceus nouus est, & pulcher: at nemo uestrum nouit, qua pedem meum torqueat. Hanc tam effrænem repudiorum licentiam, posteriores Romanorum imperatores, ut in quinto libro Codicis, titulo decimo septimo apparer, nonnullis frans inhibuerunt; editis legibus, ne sine apertis ac designatis causis cuique fas esset propriam repudiare coniugem, neque ullo modo expellere, nisi adulteram, aut homicidam, aut plagiariam, aut ueneficam, aut sepulcrorum dissolutricem, aut sacrilegam, aut lesæ maiestatis ream, aut alio his similibus scelere obnoxiam. Formula uerò libelli repudij, quam Romani breuissimis admodum uerbis concludebant, hæc fuit: PAPHRIA, MVSONIS FILIA, RES TVAS CVRATO, RES TIBI TVAS HABETO.

TEMPORIBVS nostris Thomas, episcopus Caietanus, idemq; præbyter cardinalis, in commentarijs super Matthæum, & Ambrosius, archiepiscopus Compse, libro de hac re separatim edito, conati sunt multis astruere argumentis, licere marito uxorem adulterij ream eiicere, & aliam sibi uxorem accipere. quorum sententiam in sexto huius operis libro discutiendam relinquo.

RHEVM BEELTHEEM, quem Iosephus Rathymum uocat, scripsit ad Cambysem, Persarum regem, epistolam unam; qua instaurationem templi Hierosolymitani prohiberi petebat. Vide primum librum Esdræ capite quarto.

ROMANORVM senatus populusq; uariâ in gratiam Iudæorum scripta miserunt: de quibus in sacris literis hæc habentur.

SENATVSCONSVLTVM de amicitia & societate, cum Iuda Maccabæo, & Iudæis inita, æreis tabulis in capitolio conscriptum: cuius exemplar in Iudæam missum habetur primo Maccab. capite octauo & apud Iosephum libro duodecimo Ant. capite decimo septimo.

EPISTOLA ad Demetrium, Syriæ regem, ne Iudæos bello laceßat primo Maccab. octauo.

EPISTOLA per T. Manlium, & Q. Memium ad senatum Iudæorum scripta; quæ eis secundum patrias leges libere uiuere conceditur. 2. Maccab. 11.

EPISTOLAE comendaticiæ ad reges Europæ & Asiæ, ut tutum reditum in patriam Iudæorum legatis, ab Ionatha Romam missis, concedant primo Maccab. duodecimo.

SENATVSCONSVLTVM de fœdere & societate, cum Simone Maccabæo Iudæorum duce

Aduce instauratis, æreis tabulis insculptum, & in monumentis Romanorum seruatum; cuius exemplar Simon in tabulis æreis in uestibulo templi collocauit; eiusq; autographum in arario Hierosolymitano reposuit 1. Maccab. 14.

EPISTOLAE comendaticiæ ad reges, & liberos populos, ut legatos Simonis Maccabæi ex Roma in Palaistinam tutò reuerti permittant, 1. Maccab. 14.

S



B

ALOMON, Hierosolymitanus rex, præter tres illos libros, qui in primo sacri canonis ordine ponuntur, uidelicet Proverbia, Ecclesiasten, librum Canticorum, & duos psalmos, id est septuagesimum secundum, & centesimum uigesimum septimum, ac præter librum sapientiæ, qui inter uolumina canonica secundi ordinis numeratur, infinitum penè librorum numerum edidit: de quibus in sacris literis infra scripti citantur.

משל MISLE, hoc est Parabolarum libri tria millia; de quibus in calce libri Ecclesiastis Salomon ipse sic loquitur: **CVM'QVE** effet sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat; & inuestigans composuit parabolas multas. quasiuit uerba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac ueritate plenos. quod in tertio Regum uolumine latius explicatur his uerbis: **DEDIT** Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in litore maris. & præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium, & Aegyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus. & locutus est tria millia parabolas &c. quæ uerba explicans autor libri hebraicarum quaestionum, siue ille Hieronymus, siue alius quispiam fuerit, ait, hoc opus trium millium parabolarum esse librum Prouerbiorum, in quo sunt pefuchim, seu uersus nongenti & quindecim; in quibus tria millia parabolarum continentur. at Iosephus in octauo Antiquitatum, aliter hunc locum enarrans, scribit Salomonem parabolarum atque similitudinum fecisse libros tria millia; quos Rabbini Iudæorum tradunt in deuastatione urbis sanctæ unâ cum libris legis combustos fuisse à Nabuzardan, militiæ Chaldæorum præfecto, nec postea potuisse ab Esdra reparari.

SCRIPSIT item Salomon **שיר השירים** Hascirim, hoc est Canticorum, uel Carminum quinque millia; quemadmodum idem tertius Regum testatur; siue, ut Iosephus exponit, Carminum libros quinque millia. ex quibus unus tantum liber, qui **שיר השירים** Scithascirim, hoc est CANTICVM CANTICORVM inscribitur, remansit, cæteris incendio Hierosolymorum absumptis.

EDIDIT etiam **דברי הטבע** diure hateua, hoc est uerborum naturæ, siue Naturalium disputationum opus ingens, admirabili rerum omnium sapientia refertum. cuius recordatur tertius liber Regum iam citato loco in hunc modum: **DISPUTAVIT** Salomon super lignis, à cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyfopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & uolucris, & reptilibus, & piscibus. hoc est, ut Hieronymus ait, de ui, naturis, & moribus illorum, & quo tempore nascuntur, & cur non omnia in unaquaque terra nascantur. quod opus eodem cum cæteris libris incendio deflagrauit.

SCRIPSIT quoque **מכתב היכל** Micethal Ecal, hoc est Scripturam templi, siue Descriptionem templi Hierosolymitani; in qua ad imitationem patris sui Dauidis, ædificandi templi exemplar copiosissimè expresit; ostendens formam, situm, mensuram, ac precium singularum templi partium; itemque explicans dispositiones, atque officia singula sacerdotum, leuitarum, ianitorum, Cantorum, aliorumque ministrorum, quæ in templo peragenda essent. Meminit huius operis liber secundus Sacrorum Annalium. Rabanus arbitratur hunc librum eundem esse cum eo, quem

Y 2 Dauidem

2 Par. 35.

1 Par. 28.
2 Par. 35.

Dauidem de eodem argumento scripsisse primus Annalium commemorat. sed secundus liber annalium reclamat, alterum ab altero distinguens, his uerbis: **PRAEPARATE** nos per domos, & cognationes uestras in diuisionibus singulorum; sicut est כתר ב bi Cethau, hoc est in scripto Dauid, regis Israel; & כתר ב be Micethau, hoc est in scriptura Salomonis, filij eius, uterque autem in excidio urbis interit.

EDITA est etiam ab eo Oratio ad Deum pro dedicatione templi; quam ipse flexis genibus coram altare, & manibus in caelum sublatis obtulit Deo, inquit: **DOMINE** Deus Israel, &c. quæ toto sexto capite secundi Paralipomenon scripta sunt.

CITATUR etiam in tertio libro Regum capite undecimo ספר דברי שלמה Sepher diure Scelomo, hoc est, Liber uerborum Salomonis: in quo ipsemet, uel, ut alij putant, Ozai propheta conscripsit uitam, atque omnia gesta Salomonis. quem librum Chaldæi unâ cum aliis sanctis scripturis combusserunt.

ATQVE hæc sunt Salomonis scripta; quorum mentio fit in sacris literis, ultra quæ, etiam alia quædam fertur scripsisse, de quibus hæc sunt:

PRECATIONVM, siue Præcantationum ad leniendas ægritudines liber unus. cuius recordatur Iosephus in octauo antiquitatum libro.

EXORCISMORVM, siue Coniurationum ad effugandos malos dæmones liber unus. De his Iosephus libro octauo antiquitatum hæc scribit: **PRAESTITIT** etiam Deus Salomoni, ut contra dæmones artem ad utilitatem hominum, & earum curas edificeret. unde & incantationes instituit, quibus ægritudines soleant mitigari. modum etiam coniunctionum, quibus obstricti dæmones ne denuò redeant, postquam effugati sunt, inuenit. & hæc cura hætenus apud nos multum præualere dignoscitur. uidi etenim quendam Eleazarum de gente nostra, præsentem Vespasiano, & eius filiis, & Tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos, qui à dæmonibus uexabantur. modus autem medicinæ fuit huiusmodi. Intulit naribus eius, qui à dæmonio uexabatur, anulum habentem sub signaculo radicem à Salomone monstratam: deinde dæmonium per nares odorantis abstraxit: & repente cecidit homo. postea coniurauit eum, adiurationes obiciens Salomonis, ne ad eum denuò remearet, id est Cantica, quæ ille composuit super eum dicenda. Volens autem satisfacere, atque probare præsentibus Eleazarus hanc se habere uirtutem, ponebat ante eos aut calicem, aut peluim aqua plenum; & dæmonio imperabat, ut hæc egressus ab homine euerteret, & uidentibus præberet indicium, quòd hominem reliquisset. quo facto, sapientia Salomonis cunctis innotuit. Hæc Iosephus. Origenes tractatu in Matthæum 35. indicans ætate sua non defuisse, qui ex his libris adiurarent dæmonia, sic scribit: **ADIVRARE** dæmonia Iudaicum est. quòd si aliquando à nostris tale aliquid fit, simile est ei, quòd à Salomone scriptis adiurationibus solent dæmones adiurari. Sed ipsi, qui utuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis constitutis libris utuntur. quibusdam autem & de Hebræo acceptis, adiurant dæmonia.

COMMEMORANTVR quoque apud uetustos probatæ fidei autores, Epistolæ ænigmatica Salomonis ad Hyramum, Tyriorum regem, & Hyrami ad Salomonem; de quibus Iosephus in primo contra Apionem uolumine scribit in hunc modum: **HYRAMVS**, Tyriorum rex, amicus erat regi nostro Salomoni; amicitiam uerò præcipue amor sapientiæ conciliauerat. problemata enim soluenda alterutris dirigebant; & melior in his Salomon erat, & sapientior apparebat. Hætenus uerò feruantur apud Tyrios epistolæ multæ, quas illi scripsere ad inuicem. Quòd autem non fingam de Tyriorum literis; testem producam Dium, qui in Phœnicum historiis integerrimus approbatus est. Is igitur in Phœnicum historiis hoc modo scribit: **REGEM** Salomonem misisse dicunt ad Hyramum regem ænigmata, & poposcisse ab eo, adiecto, ut, qui non posset discernere, pecuniam soluenti persolueret; confesumque Hyramum se non posse soluere propositas quæstiones, multis pecuniis multatum: deinde Abdemonum quendam, uirum Tyrium, propositas soluere quæstiones; ipsumque alias proposuisse, quas si non solueret Salomon, multas rursus pecunias

nias

A nias Hyramo regi conferret. Hæc Iosephus: cui Theophilus, sextus Antiochiæ episcopus, in tertio ad Autolyicum libro, iisdem penè uerbis subscribit.

FERTVR & liber alius Salomonis, **SAPIENTIA** inscriptus, ab eo diuersus, quem in Canone habemus: de quo Ioannes Picus in præfatione suæ Eptapli sic scriptum reliquit: **EXTAT** apud hebræos Salomonis illius cognomento sapientissimi liber, cui **SAPIENTIA** titulus; non qui nunc in manibus est Philonis opus, sed alter Hierosolyma, quam uocant, secretiore lingua compositus: in quo uir naturæ rerum, sicuti putatur, interpres, omnem se eius libri disciplinam fatetur de Mosaicæ legis penetralibus accepisse.

RECENSETVR etiam in Decreto Gelasij Pontificis inter damnata scripta liber quidam, falsissimè Salomoni ascriptus, qui **CLAVICULA** Salomonis prænotatur; quem olim à quibusdam impostoribus uidimus circumferri, continentem genus superstitionis prodigiôsæ, atque maleficæ.

B **ITEM** & liber alius, **SALOMONIS CONTRADICTION** nuncupatus, in eodem Gelasij Decreto enumeratur; quem mihi nondum uidere contigit.

SAMARITANORVM Pentateuchus, qui olim Samaritanis in usu fuit, quinque libros Moyfi hebraica lingua conscriptos continebat, sed literarum figuris, & apicibus planè diuersis ab his characteribus, quibus nunc Iudæi utuntur, ab Esdra inuentis post captam Hierosolymam. quanquam ante eius excidium Samaritanorum atque Hebræorum characteres, ut Hieronymus in præfatione Regum testatur, iidem erant. Meminit huius Pentateuchi frequenter Hieronymus, admoens aliqua ex eo in nostram uulgatam editionem irrepsisse: quale illud est in libro Genesios, **EGREDIAMVR FORAS**; quod in hebræo non habetur.

Gen. 4.

SAMVEL Ephraites propheta scripsit ספר משפוט המלוכה Sepher Mischphat Ham meluca, pro quo septuaginta translulerunt βιβλίον τῆς διανομῆς τῆς βασιλείας, hoc est Libri iustificationis, siue Iudaici regni, uel Legis regni: in quo propheta postquam constituit Saulem primum regem hebræorum, scripsit institutionem regniæ politix, ac certas leges, quibus ea moderatione regni gubernacula tractarentur; ut neque rex tyrannidem in populum exerceret, neque populus pro sua libidine regis imperia contemneret. recondiditque uolumen ipsum in arca fœderis ad perpetuam regni instructionem. Mentio fit huius libri in primo Regum uolumine capite decimo in hæc uerba: **LOCUTVS** est autem Samuel ad populum legem Regni: & scripsit in libro, & reposuit coram domino. Scripsit item de prioribus gestis Dauidis, regis Hierosolymitani, librum unum; de quo in fine prioris libri Paralipomenon sic legitur: **GESTA** autem David regis priora & nouissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan propheta, & in uolumine Gad Videntis. Hunc librum Rabbi Moses Kimki, dicit esse priorem partem uoluminis, quod à nobis sub nomine **PRIMI REGVM**, ab Hebræis uerò sub titulo **SAMVELIS** inter scripturas ueteris testamenti recensetur: asseritque eundem Samuelem fuisse scriptorem libri Iudicum, & Ruth.

1 Par. ult.

SCEMAHEIA Hannechelami סמעה הנחלמי siue Semeias Nehelamites, falsus uates, & à se ipso iniussu Dei missus, de numero eorum, qui unâ cum impio rege Ioakim abducti sunt in Babylonem, scripsit ceu ex Dei nomine ad Sophoniam Pontificem, & ad omnem senatum populumque Hierosolymitanum, accusatorium librum aduersus Ieremiam prophetam, infimulans eum, quòd arrepticio ac maligno spiritu correptus, omnem transmigratorum multitudinem desperatione complectet, missa ad illos epistola, qua diuturnam fore ipsorum in Babylone captiuitatem, tanquam ex Dei uerbis prædixerat. Proinde efflagitabat, ut in carcerem coniceretur, & more maiorum puniretur. Mortuus est autem mendax hic Semeias non longè post, unâ cum omni familia sua in Babylone captiuus; ita uolente Deo, qui hanc ipsi penam ob temere usurpatum prophetiæ munus, per os Ieremiæ prophetæ denunciauerat.

Jer. 29. f

SCEMAHEIA סמעה siue Semeias, propheta domini sanctissimus, genere Iudæus, (qui iussu Dei Roboam, regem Iuda, in Hierusalem anno quinto re-

Y 3 gni

gni eius adiens, uaticinatus est ei direptionem templi, & urbis à Sefaco, rege Aegypti, A
mox fiendam) edidit de uita & gestis Roboam, regis Iuda, librum unum de quo
in secundo uolumine sacrorum annalium cap. 12. ita scriptum est: OPERA uerò
Roboam prima & nouissima scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ, & Addo Viden-
tis, & diligenter exposita.

SCRIBARVM nomine, quod toties in euangelio inculcatur, putant nonnulli
significari genus hominum, cui soli apud Iudæos potestas esset conscribendi sa-
cros diuinæ legis libros; ne pro cuiusque arbitrio ac libidine scripti deprauarentur.
nam & Augustinus in libro primo de sermone dom. in monte refert nulli fas fuisse li-
reras sanctas apud hebræos scribere, nisi Scribis solis; quod excellentiorem præcate-
ris profiterentur sapientiam. Sunt qui tradant Scribas fuisse primarios summæq;
autoritatis uiros ac sapientissimos, quorum officium esset: ut quemadmodum olim
apud Romanos in rebus dubiis ex Sibyllarum uoluminibus per haruspices responsa
petebantur; ita hi de rebus arduis ac perplexis consulti, ex sanctis libris, & prophe-
tarum oraculis responderent: quos & Herodem in aduentu magorum de ortu Mesiæ
consuluisse refert Matthæus. Epiphanius libro primo Panarij narrat eos fuisse ex-
positores diuinæ scripturæ, indeque Scribarum nomen sortitos; consueuisse autem in-
terpretari scripturas iuxta quatuor expositiones: quarum prior Mosis prophetæ
diceretur; altera Achibæ; tertia Ammani, siue Idæ; quarta filiorum Afamonai.

SENNAACHERIB, siue Sancherib, Afsyriorum rex, cum Ezechiam, Iudæo-
rum regem, intra Hierosolymitanæ urbis mœnia ualidissimo obsedisset exercitu,
misit ad eum epistolam; in qua stultum eum dicebat, quod fretus inani spe Dei
sui putaret se posse seruitutem effugere eius, qui tam multas gentes perdomuisset;
minabaturq; internecionem omnibus, nisi sponte, patefactis portis, exercitum in
urbem reciperet. hac epistola Ezechias occulte lecta, ascendit in templum; & ex-
pandens eam ante dominum, suam atque urbis salutem multis supplicationibus illi
commendauit. Obseruanda est hoc loco regis prudentia; qui blasphemias epistola-
rum nemini legit, ne fidem promissis diuinis apud suos pauore consternatos immi-
nueret: sed soli Deo exposuit, quem sciebat esse populi protectorem. Eodem con-
silio idem rex per legatos suos rogauit Rabfacem, ducem Syriaci exercitus, ne lo-
queretur iudaicè; ueritus ne tumultum populi oratione sua excitaret. populus enim
audiens Rabfacem de industria exprobrantem regi, quod excelsa & altaria, quæ
maiores in honorem Dei erexerant, destruxisset, paruo momento uacillare poterat.
Sed cum Rabfaced satis intelligens, quid Ezechias metueret, maiore etiam uoce, mul-
toq; uehementius hebraicè loqui pergeret, præceptum est, ut nemo responderet.
Quo exemplo monemur hæreticorum libros, scripta, sermones, & colloquia non ef-
se audienda: & si cogamur ipsorum blasphemias etiam inuitis auribus audire; non
oportet illis dare responsum, neque cum eis disputare. porci enim sunt, & canes,
ante quos non oportet proiicere margaritas. & hoc contra eos est, qui dicunt libros
omnes indiscriminatim esse legendos, iactantes illud Pauli, OMNIA probate: quod
bonum est, tenete. & item dictum illud Dionysii Alexandrini ex sexto historiae
ecclesiasticae, & Hieronymi in epistola ad Minerium, & Alexandrum: quibus abun-
dè respondimus libro sexto in censuris primæ epistolæ ad Corinthios capite deci-
mò quinto.

SETH, filij Adam, libri septem. hos, ut in primo Panarij testatur Epiphanius,
Gnostici hæretici, & qui Sethiani dicti sunt, & qui Archontici, efformarunt sub
nomine ipsius Seth, addentes ad eos etiam septem alios libros, quos ALIENIGENAS
appellarunt ex nomine septem filiorum Seth; qui apud eos Alienigenæ dicti sunt. ac-
ceperunt autem, ut arbitror, huius figmenti occasionem ex eo, quod Iosephus in pri-
mo libro Antiquitatum refert, scilicet quod filij Seth syderalem scientiam ad cele-
stium rerum cognitionem excogitarunt. & cum scirent Adamum prædixisse duos
uniuersales rerum interitus, alterum incendio, alterum diluuiio; ueriti ne inuenta
sua prius perirent, quam pernoscerentur, excitatis duabus columnis, utriusque sua
inuenta inscripserunt; ut, si latericiam diluuiio deleri contingeret, lapidea superstes,
homini bu

A hominibus discendi copiam faceret. & illam, quæ ex lapide fuerat extructa, refert
Iosephus temporibus suis adhuc in Asia extitisse. Autor operis imperfecti in Mat-
thæum exponens illud Matthæi cap. 2. VIDIMVS STELLAM EIVS IN ORIENTE,
meminit cuiusdam scripturæ Seth de stella, apparitura in ortu Mesiæ, his uerbis.
AVDIVI aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non de-
struente fidem, sed potius delectante. quoniam erat quædam gens sita in ipso prin-
cipio Orientis, iuxta Oceanum, apud quos ferebatur quædam scriptura, inscripta
nomine SETH, De apparitura hac stella, & muneribus huiusmodi Christo offeren-
dis; quæ per generationes studioforum hominum, patribus referentibus filijs suis,
habebatur deducta, & c.

SIBYLLARVM Oracula. Paulus Apostolus, quemadmodum in sexto libro
Stromatum testis est Clemens, hortatur suos ad lectionem Sibyllinorum uolumi-
num, sic in recondita quadam scriptura inquit: LIBROS GRAECOS SVMITE, ET
B SIBYLLAS AGNOSCITE, QUOMODO VNVM DEVM SIGNIFICENT, ET EA, QUAE
FVTVRA SYNT; ET INVENIETIS IN EIS FILIVM DEI CLARIVS ET APERTIVS
SCRIPTVM. Hac ego Pauli, qualiscunque ea sit, adhortatione incitatus, nonnulla
de Sibyllarum nominibus, patria, & scriptis à uarijs præsertim Christianis autori-
bus accepi; quæ hoc loco inferam. Sibyllæ omnes foeminae fuerunt, uates Deo ple-
næ, perpetua uirginitate florentes, futurarum rerum præciæ, & interpretes; à
ueteribus sic nuncupatæ, quod deorum consilia denunciarent. *βίος* enim deum, &
βυα consilium Aeolico sermonis genere significant. quæ cum oracula futurorum
diuersis carminum generibus proderent, multa quoque de seruatore nostro Christo,
& humani generis redemptione prænuciarunt, & literis quoque mandarunt, tan-
ta prænotionis certitudine & claritate, ut præterita magis, quam futura uideantur
scripsisse. Has ex sententia M. Varronis, qui in libris rerum diuinarum ad C. Cæsa-
rem pontif. max. de Sibyllis copiosè disseruit, decem fuisse perhibent Lactantius in
C primo libro aduersus gentes, & Hieronymus in primo aduersus Iouinianum: qua-
rum cognomina patria hæc sunt, Cumæa, Cumana, Persica, Hellepontica, Lybica,
Samia, Delphica, Phrygia, Tyburtina, Erythrea. Quæ autem de singulis separatim
iuxta ordinem mysteriorum humanæ salutis ab eisdem prænucciata collegi, hic
sequuntur.

SIBYLLA CVMAEA, à Cumis, in Campania Italiae urbe, in qua oracula
Sedit, cognomen accepit. cuius inter ethnicos Næuius in libris belli Punici, &
Piso in annalibus meminere; inter nostros Lactantius libro paulò ante citato, & Iu-
stinus Martyr in admonitorio gentium; in quo de Sibyllæ huius genere, patria, &
oraculis uerba faciens, ita gentes alloquitur: **VT CVLTVM** Dei ex parte condiscat-
tis, facillè uobis præstabitur ex antiqua Sibylla Cumæa, inspiratione quapiam per
oracula uos edocente: quæ nimirum prophetarum doctrinæ proxima uidentur.
Hanc autem ex Babylone profectam, & Berosi illius, qui Chaldaicam scripsit histo-
D riam, filiam fuisse asseuerant: quæ dum in quandam partem Campaniæ concessisset,
ibi in urbe, cui nomen Cumis, oracula cecinit, quæ sex passuum millibus distat à
Baijs. quo in loco calidæ balneæ frequentantur. Vidimus ipsi, cum in urbe fuisset-
mus, locum, ubi maxima constructa erat basilica, ex uno lapide perpolita, opus
quidem maximum & omni dignum admiratione. illic eam oracula fuisse affirmant,
qui hæc à maioribus suis ueluti patria susceperunt. Ostendebant autem nobis in me-
dio basilicæ uasa tria, ex eodem lapide fabrefacta; quibus aqua repletis lauaretur;
& accepta stola, in penitissimam eiusdem basilicæ partem eodem perpolito lapide
ædificatam procederet: cuius in meditullio tribunal altum, thronumq; conscenderet,
& inde redderet oracula. Huius autem Sibyllæ ueluti fatidicæ, cum multi alij, tum
Plato meminit in Phædone: qui mihi uidetur, cum in huius incidisset oracula, fati-
dicos diuinos existimasse. quippe qui ea uiderit impleta, quæ ipsa longè antea præ-
dixisset. qua propter in dialogo, qui MEMNON inscribitur, admiratus oraculorum
cantores, hisce uerbis eos laudauit: **RECRE** itaque eos, quos fatidicos nunc dici-
mus, diuinos uocauerimus. neque enim hos frustra diuinos appellamus, & diuina
re

re inspiratos, & deo possessos, cum & magna & multa uere prænunciant, ignari eorum, quæ proferunt. clarè manifestèq; ad Sibyllæ respexit oracula. neque enim illa, ueluti poetæ faciunt, castigandi & poliendi, quæ scripserit, potestatem habuit metricæ diligentæ; sed afflationis tempore, quæ ad prædictionem spectabant, edebat: qua cessante, eorum pariter memoria cessabat. & hoc fuit in causa, ut Sibyllinorum uersuum mensura custodita non fuerit. ipsi enim, dum Cumis essemus, id ipsum didicimus ab his, qui hæc enarrauerant; qui & ostenderunt, ubi oracula cecinisset, & lenticulam pariter ex ære fabrefactam, ubi reliquiæ eius asseruarentur, inter alia uerò plura hoc retulerunt, quod à maioribus suis audierant, eos, qui oracula excipiebant, plurimum ineruditos, à metri ratione multis in locis exorbitasse hæc; assignant causam, cur multi illius uersus mensura debita careant: tum uidelicet, quod ipso afflatu destituta non recordaretur Sibylla, quæ prius effuderat; tum quod notarij ob inscitiam ruditatemq; à metri ratione exciderent. itaque gentiles uiri assentimini uetustæ huic antiquissimæq; Sibyllæ, cuius uolumina toto terrarum orbe asseruari contingit, quæ supernè afflata oraculis uos erudiet, quod qui dicuntur, dii non sunt. De saluatoris autem nostri Iesu Christi aduentu, & de his omnibus, quæ is facturus erat, manifestè pronunciat: quorum notitia uobis necessaria quædam præexercitatio futura est ad sacrorum prophetias uirorum. Hactenus Iustinus de Sibylla Cumæa. cuius sigillatim oraculorum mentionem facit Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Romanos his uerbis: FERUNT & inter gentiles prophetæ, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur. quod non faciliè crederem, nisi quod poetarum quidam, in Romana lingua nobilissimus, antè, quàm diceret ea de inuolutione sæculi, quæ in domini nostri regnum satis concinere & conuenire uidentur, præposuit uerbum, dicens,

Ultima Cumæi iam uenit carminis ætas.

Cumæum autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitauerit. Hæc Augustinus. ante quem Eusebius in quarto libro de uita Constantini id ipsum Virgilij carmen eodem modo exposuit. Extant in collectaneis Stratonici, episcopi Cumanii, ex quibus omnia ferè subiecta oracula collegimus, græca huius Sibyllæ carmina de summa temporum tranquillitate in aduentu Christi futura, ab his, quæ Maro ex Cumæis oraculis transtulit, non prorsus dissimilia, maximè uerò similia his, quæ de pacifero Mesiæ aduentu uaticinatus est Esaias. ea autem hæc sunt:

Όταν άπ' ορανόο θεός πέμψει βασιλίαν
 Τη γάρ παρυπέταρα βροτοίς δώσει τον άρισον
 Καρπόν άπερέσιον, σίτη, οίνος, έλαιον.
 Άνταρ άπεραρόθεν μέλιτος γλυκερό ποτόν ήδύμ
 Νάματα και ρήξει γλυκερά λευκόο γάλακτος.
 Πλήρεις δώτε πόλεις αγαθών, και πίονες άγροι
 Έσσομη' υδε μάχαίρα κατά χθονός, υδε κνδοιμός.
 Αλλά μιν ειρήνη μεγάλη κατά γαίαν άπασαν.
 Ένθε λυκοι τε και άρνας έν έρεσιν άμμις έδορται.
 Χόρτον, παρδάλεές τέριφοις άμα βασιήσονται.
 Άρμιτοι σύμ μούχοις μομάδες άλιδήσονται,
 Σαρχοβόρος τε λέων άχρον φάγει' ευ φάτην ώς βύς
 Και βρεφέεσοι δράκοντες άμα σφίσι νομιήσονται.
 Και έν άδιήσεσιν, χαίρ γάρ κνρίς έσσει' επ' αυτίς.

quæ sic uerti possunt:

*Cum Deus ab alto regem demittet olympo,
 Tunc terra omniparens fruges mortalibus agris
 Reddet inexhaustas frumenti, uini, oleiq;
 Dulcia tunc mellis diffundent pocula calis,
 Et nuceo latices erumpent lacte suaues;
 Oppida plena bonis, & pingua culta uigebunt:*

Nec

A Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus:
 Verum pax terris florebit omnibus alta;
 Cumque lupis agni per montes gramina carpent;
 Permissique simul pardi pascentur & hodi;
 Cum uuluis urfi degent, armenta sequentes.
 Carniuorisque leo præsepia carpet, uti bos;
 Cum pueris capient somnos in nocte dracones,
 Nec ledent: quoniam domini manus obteget illos.

AMMIANVS Marcellinus in historia sua refert huius Sibyllæ carmina apud Aenam ciuitatem ab imperatore Iuliano Apostata ignibus tradita.

SIBYLLA CVMANA, Cumis, quæ Ioniam prouinciæ urbs est, genita educationaque, Amalthæa, & Erophile, & Demophile nominatur. hæc multos diuinationum libros scripsisse dicitur: de quibus Lactantius ex testimonio Varronis eam refert nouem attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse; regemque aspernatum precii magnitudinem, & derisisse mulieris insaniam; illam uerò in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem precium postulasse; Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse. quæ, denuò tribus aliis exustis, quam in eodem precio perseueraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse. Solinus huius sepulcrum in Sicilia spectari dixit. Fertur eius de filij Dei incarnatione, atque eius sanctissimo nomine græcum in his uersibus uaticinium:

Αμφι γαίν ορίσας ο μέγας θεός ήφίμερως
 Δη τότε και μεγάλο θεό ποίς άνθρώποις.
 Ηξει σαρχοβόρος ζντοίς ομιόμενος έι γη.
 Τέσσερα φωνήεντα φέρη, τα δ'άφωνα έν αυτίω.
 Δισσώρ άγγέλων. άριζμη δ'όλον θρονουάω.
 Ουτώ γάρ μομάδες, τόσσας, δεκάδας έπιτάταις
 Ηδ' έκατοντάδας ούτω, άπισόνοροις άνθρώποις
 Ούνομα δηλώσει, σνδ' ένι φρεσί σήσι νόησον.
 hoc est,

| | |
|---------------------|-----|
| Summa nominis IESV. | |
| I | 10 |
| H | 8 |
| Σ | 200 |
| O | 70 |
| Y | 400 |
| Σ | 200 |

Tunc ad mortales ueniet mortalibus ipsis
 In terris similis natus patris omnipotentis
 Corpore uestitus. uocales quattuor autem
 Fert, non uocalesque duas binum geniorum;
 Sed, qua sit numeri totius summa, docebo.
 Nanque octo monades, totidem decadas super ista,
 Atque hecatontadas octo infidis significabit
 Hominibus nomen: tu uerò mente teneto.

Due consonantes, SS, sunt duo clementa, à quibus incipiunt nomina duorum principalium angelorum, boni scilicet, quem pleriq; ueterum Sathaelm dixerunt, & mali, qui Sathas appellatur.

SYPPVTATIONEM literarum nominis Iesu, à Sibylla his carminibus collectam, Beda in primo libro commentariorum in Lucam clarius explicat, adiecto numero septuagenario, qui in Sibyllino carmine deest. loquitur autem hunc in modum: Huius sacrosancti nominis IESV non tantum etymologia, sed & ipse, qui literis comprehenditur, numerus perpetuæ salutis nostræ mysteria redolet. sex quippe literis apud græcos scripsit ΙΗΣΟΥΣ, uidelicet I, & H, & Σ, & O, & Y, & Σ; quarum numeri sunt X, & VIII, & CC, & LXX, & CCCC, & CC; qui fiunt simul DCCCLXXXVIII. qui profectò numerus figuræ resurrectionis adgaudet. Octauus enim numerus in sacris literis resurrectionis gloriæ conuenit: quia dominus octaua die, hoc est post septimam sabbati resurrexit; & ipsi post sex huius sæculi ætates, & septimam sabbati animarum, quæ nunc interim in alia uita geritur, quasi octauo tempore surgemus.

SIBYLLA PERSICA ex Persis fuit: cuius, teste Lactantio, mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandrini magni conscripsit. eius habetur de prædicatione, & baptismate præcurforis Christi oraculum huiusmodi:

Αλλ' άπόταν φωνή τίς έρημίας δια χάρης

Z H'ξα,

Ἐκλάψα δὲ φάος σέλας ἡελίου καὶ ἄστρον.
 Οὐρανὸν εἰλίξει, μὴ δὲ τε φέγγος δλάται.
 Ὑψώσει δὲ φάραγγος, ὄλεθ' δ' ὑψώματα βενῶν.
 ΥΨΟΣ δ' ὑπέπει λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανέται.
 Γαστ' ὄρη πέδ' ἴσται, καὶ πᾶσα θαλάσση
 Οὐκέτι τλῆρ' ἔξει. γῆ γὰρ φρυχθείσα κερωνῶ
 Σὺν πηγῶσι ποταμοὶ δέμα κηλαζόντες, λείψουσιν.
 ΣΑΛΠΙΓΧ' δὲ ἔρανόθεν φωνῶν πολὺθρῶνον ἀφῆσαι.
 Ὁρῶσα μύσος μελέων, καὶ πῆματα νόσου
 Ταρτάρου δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανῶσα
 Ἡξέσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεῶ βασιλῆες ἀπαντεῖν
 Ρεύσει δ' ἐραρόθεν ποταμὸς πύρ, ἠδὲ τε δάον.
 quæ apud Augustinum male uerfa, iterum restitutus
 capitalibus literis, sic uerti possunt.

IESVS CHRISTVS, DEI FILIVS, SERVATOR.

IVDICII in signum tellus sudore madescet,
 Et rex æternus summo descendet Olympo;
 Scilicet ut carnem, mundumque ut iudicet omnem,
 Unde Deum fidi, diffidentesq; uidebunt
 Summum cum sanctis in sacri fine sedentem
 CORPOREVM., animas hominum quò iudicet, olim.
 Horrebit totis cum densis uepribus orbis.
 Reijcient simulacra uiri, gazasq; repostas;
 Exuretq; ignis terras, calumq; salumq;
 Incendetq; fores angusti carceris orci;
 Sanctiorumq; omnis caro libera reddita, lucem
 Tunc repetet; semper cruciabit flamma scelestos;
 Utq; quis occultè peccauerit, omnia dicet;
 Sub lucemq; Deus referabit pectora clausa
 DENTES stridebunt, crebrescent undiq; luctus;
 Et lux deficiet, solemq; nitentiaq; astra
 Inuoluent tenebræ, tum Lunæ splendor obibit.
 FOSSAS attollet, iuga deprimet ardua, montes;
 Impediatq; nihil mortales amplius altum.
 Longa carina fretum non scindet, montibus arua
 Ipsa aquabuntur. nam fulmine torrida tellus,
 Vnaq; & sicci fontes, & flumina hiabunt;
 Sidereisq; sono tristi tuba clanget ab oris.
 STULTORVM facinus mærens, mundi; dolores
 Et chaos ostendet, & tartara terra dehiscet;
 Regesq; ad solium sistentur numinis omnes;
 Vndaq; de celo fluens ignea sulphure misto;
 Atque omnes homines signum præsigne notabit
 Tempore eo lignum, cornu peramabile fidis
 Oppositus mundo casus, sed uita piorum
 Respergendo lauans duodeno fonte necatos.

FERTVR & huius diuinatoria ad Græcos, Ilium petentes, Epistola latine ueria,
 cuius initium est, EXQUIRITIS A ME O' ILLUSTRISSIMA TURBA DANAVM.
 NOMINANTVR præter has & multæ Sibyllæ, Sardica, Rhodia, Sicula, & aliæ plu-
 rimæ, quas Ambrosius in commentarijs primæ ad Corinthios autumat malo & im-
 probò spiritu arreptas. Aristoteles uerò in 30. sectione Problematum eandem atræ bilis
 astu circa mentis sedem succenso exagitatæ demonstrat. Cornelius Tacitus scribit
 Augustum,

A Angustum, cum suis temporibus multa uana sub nomine Sibyllarum ostenderentur,
 insisse, conquisita Samo, Erythra, Ilio, Africa, & per Italicæ colonias carmina in-
 tra certum diem ad præfectum urbis afferri, & iudicium, censuramq; quindecim
 uirorum adhiberi, ne haberi priuatim liceret, quod iam à maioribus erat cautum.
 Hæc post quadringentos annos carmina Stilico, Honorij Cæsaris focer, concitatu-
 rus in generum sub huiusmodi occasione seditionem, prorsus curauit aboleri. quod
 facinus Rutilius Claudius non tacuit, dicens,

Nec tantum Geticis crassatus proditor armis
 Ante Sibyllinæ fata cremauit opis.

PRODIERVNT tamen proximis annis ex Germania Sibyllinorum carminum libri
 octo, græcè & latinè excusi, in quibus fermè omnia iam præmissa oracula habentur.
 operis initium est,

Εἷς θεὸς μόνος ὁ ἀρχὴ ἰερωμεγέθους ἀγέννητος.

Vnus Deus solus, qui regnat, maximus ingenuus.

B Theophilus, sextus Antiochiæ episcopus, in secundo libro ad Autolyicum recitat ex
 innominata Sibilla uersus ferè octoginta; quorum nonnulli in his libris extant ali-
 quantulum diuersi, alij uerò non extant.

SIGILLORVM septem librum Ioannes in Reuelationibus mysticè descri-
 psit in hunc modum: ET VIDI in dextra sedentis supra thronum librum
 scriptum intus & foris, signatam sigillis septem. & uidi angelum fortem, & prædi-
 cantem uoce magna, Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? &
 nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum.
 & ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, neque
 uidere eum. Et unus de senioribus dixit mihi, Ne fleueris: ecce uicit leo de tri-
 bu Iuda, radix David aperire librum, & soluere septem signacula eius. Et uidi,
 & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stan-
 tem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt se-
 ptem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et uenit, & accepit de dextera se-
 dentis in throno librum. & cum aperuisset librum, quatuor animalia, & uiginti-
 quatuor seniores ceciderunt coram agno, dicentes, Dignus es domine aperire
 librum, & soluere septem signacula eius, &c. Atque hæc est Ioannis de Libro
 septem sigillorum uisio, in qua ne per singula eius uerba lectorem diutius remorer,
 sex tantum, quibus tota constat uisionis series, breuiter annotabo. uidelicet,
 Quid sit sedens in throno, quid quatuor animalia, quid uigintiquatuor seniores,
 quid leo, idemque Agnus librum aperiens, quid liber sigillis obsignatus, quid se-
 ptem sigilla.

I SEDENS IN THRONO est Deus, pater domini nostri Iesu Christi, residens in
 throno regni sui, quod est Ecclesia.

2 QUATVOR ANIMALIA non omnes autores eodem modo exponunt. ORIGE-
 NES, ET GREGORIUS NAZIANZENSIS putant esse quatuor rationalis animæ uires,
 siue affectiones. hoc est, Homo uis rationis est, Leo uis irascibilis, uitululus uis con-
 cupiscendi, Aquila conscientia reliquis imposita; quæ à Paulo spiritus hominis di-
 citur. AMBROSIVS in libro tertio De uirginibus, quatuor dicit significare mo-
 rales uirtutes, Leonem uidelicet fortitudinem, Vitulum iustitiam, Aquilam tem-
 perantiam, Hominem prudentiam. ARETHAS, Cæsareæ episcopus, quatuor ex-
 cellentes diuinas uirtutes, qualescunque illæ sunt, quæ Dei potentiam designant,
 circa mundum ex quatuor elementis constitutum. THEODORETUS uirtutes qua-
 tuor creatas, quas Deus præfecit quatuor elementis, ex quibus subsistit uniuersum,
 & quæ ipsum conseruant. POLYCHRONIVS quatuor Angelos, quatuor mundi
 partibus præpositos. HYERONYMVS quatuor euangelia. ex quibus Matthæus per
 hominem, Marcus per Leonem, Lucas per uitululum, Ioannes per aquilam designan-
 tur. AVGVSTINVS quatuor Euangelistas, sed alia ratione; hoc est, Matthæum in
 leone, Marcum in homine, Lucam in uitulo, Ioannem in aquila. ANDREAS item,
 Cæsareæ episcopus, quatuor euangelistas, sed aliter Leo ob eximiam supra cæteros

fortitudinem Ioannem, significat, vitulus Lucam, Aquila Marcum, Homo Matthæum. CATINA Syrus in expositione primæ uisionis Ezechielis, ubi quatuor hæc animalia ponuntur, Hominem refert ad totum Israel, Leonem ad regale sceptrum Iudæorum, Vitulum ad sacerdotalem & leuiticam tribum, Aquilam ad uindictam, & ultionem Dei super Israel. RVPERTVS Abbas TVITIENSIS, exponit per quatuor animalia quatuor principalia Christi sacramenta, quæ Christiano ignorare non licet, id est incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem. GALFRIDVS omnes ecclesiæ Prælatos intelligit. Prælati enim Leonem se exhibet terribiliter corrigendo delicta, Bouem strenuè tractando terrena, Hominem benignè hominibus compatiendo, Aquilam sublimiter euolando, & subtiliter contemplando diuina. LYRANVS quatuor patriarchales ecclesias quatuor animalibus adaptat, uidelicet Hierosolymitanæ Leonem, Antiochenæ Bouem, Alexandrinæ Hominem, Constantinopolitanæ Aquilam. RABBI DAVID quatuor Monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, per quatuor animalia, ab Ezechiele conspecta, putat adumbrari. RABBI SALOMON tradit quatuor Angelos, quatuor monarchiis præpositos, per quatuor Ezechielis animalia significari. IUSTINVS Martyr in libro Quæstionum aduersus gentes quæst. 44. refert quatuor animalia Ezechielis ostensa, unum duntaxat fuisse animal quadruplici facie præditum, scilicet hominis, bouis, leonis, & aquilæ; ipsumque designasse futuram mutationem potentiæ regis Nabuchodonosor: quem Daniel narrat ita post eius superbiam elationem à Deo humiliatum, & quodammodo in bestiam transformatum, ut pili & capilli eius creuerint, ceu leonis crines, unguis eius recuruati sint, ut aquilæ unguis; ipse uerò fœnum comederit, ut bos; deinde post penitentiam redditum ei à Deo mansuetum hominis cor, atque animum. Voluit etiam Deus, ut eidem Martyri uideretur hac uisione erigere captiuum populum in spem recuperandæ libertatis, ostendens ei Babylonici regni mutationem ex coniunctione cicuris & feri animalis, itemque grauis & leuis in uno eodemque animali. Cicur enim animans est Homo, ferum Leo, graue Bos, leue atque uolatile est aquila. Per illa ergo regnum ex ferro Nabuchodonosor imperio in mansuetum Cyri imperium mutandum fore monstrauit. per hæc uerò captiuitatis grauitatem uertendam esse in leuem & expeditam libertatem. iugum enim fert Bos, Aquila uerò est iugi expertus. Id ipsum rota in rota annunciabat. harum enim altera Iudæorum abductionem in captiuitatem, altera reductionem in patriam adumbrabat.

3 VIGINTI QVATVOR SENIORES secundum AMBROSIVM sunt uiginti quatuor libri ueteris testamenti; secundum AVGVSTINVM totum corpus, ac numerus prophetarum; iuxta RVPERTVM duodecim Indices priores, & posteriores ecclesiæ Dei. Priores sunt, qui ante regnum hebræorum præfuerunt populo Dei, uidelicet ab Othoniel usque ad Samuel. Posteriores uerò Indices, qui post Christum præfuerunt, duodecim sunt Apostoli. Iuxta GALFRIDVM sunt uiginti quatuor Patriarchæ ecclesiæ, uidelicet Duodecim ueteris ecclesiæ, hoc est duodecim filij Iacob, & duodecim Apostoli patriarchæ nouæ ecclesiæ Christi; secundum LYRANVM uniuersi episcopi, ac Pastores particularium ecclesiarum; secundum AMBROSIVM omnes ecclesiæ Doctores.

4 LEO, IDEMQUE AGNVS, quasi occisus, habens cornua septem, & oculos septem, Christus est: qui sicut in sua passione agnus fuit coram tondente obmutescens, & non aperiens os suum; ita, consummata eadem passione, mox tanquam cattulus Leonis, quem Iacob in filio suo præmonstrauit, ad prædam ascendens, infernum spoliavit; atque in sepulcro quiescens & accubans, ut Leo, ipsam quoque mortem magno rugitu contriuit. Habet autem oculos septem, & cornua septem, hoc est omnem plenitudinem illuminantis, & corroborantis spiritus. oculi enim lumen, cornu robur significat. & est tanquam occisus: quia licet post resurrectionem suam à mortuis semper uiuat non amplius moriturus; signa tamen mortis suæ, hoc est loca clauorum in manibus, & pedibus, & lanceæ locum in latere. seruat in memoriam sempiternam redemptionis nostræ.

Liber

A 5 LIBER SCRIPTVS INTVS ET FORIS, ut ait, ARETHAS, est incomprehensibilis Dei memoria; quam & propheta Dauid, & Moses præsignarunt, ille quidem cum diceret; IN libro tuo omnes scribentur. hic autem cum ait, AVT parce populo, aut dele me de libro, quem scripsisti. Porro intus, & foris scriptum esse hoc est, ut intus quidem scripti dicantur qui sunt ex Hierosolymis tanquam Dei cultores; foris autem, siue à tergo & à deteriori parte qui ex gentibus. THOMAS, Liber, inquit, est diuina scientia, siue Dei notitia de his, quæ facere disposuit Deus; unde & in dextera ponitur, quia per dextram operamur. Scriptus est intus, quoad Dei notitiam; cui totus liber plenè cognitus est. Foris, prout hominibus dispositio diuini ordinis statuto tempore complenda reuelatur. AVGVSTINVS, Liber, ait, est omnis diuina scriptura duobus testamentis digesta: Intus scriptus, in ueteri testamento, in quo obscura mysteria redemptionis nostræ continentur. Foris, in nouo aperte explicata. uel Foris, secundum historicam intelligentiam; Intus, secundum mysticum & spirituale sensum.

B 6 SEPTEM SIGILLA, ut AVGVSTINVS testatur, significant obscuram mysteriorum in diuina scriptura latentium obscurissimam plenitudinem. numerus enim septenarius in scripturis denotat ultimum eius rei, de qua loquimur, complementum. ARETHAS inquit, septem Sigilla demonstrant dierum uarietates ac successiones temporum, quæ in transitorio mundo contingunt, quarum articuli & momenta nemo præter solum Deum exactè scire potest. uel, ut AVGVSTINVS iterum ad Maximinum scribens ait, septem sigilla septem sunt spiritus sancti dona, de quibus legitur apud Esaïam capite undecimo, REQUIESCET super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus concilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritu timoris. THOMAS dicit, septenarius sigillorum numerus est clausio diuinæ scientiæ, claudens in se septem secreta, pertinentia ad statum ecclesiæ; quæ Ioanni aperiuntur, & sunt hæc. Primum est de equo albo; qui cœtum significat prædicatorum, in primitiua ecclesia discurrentium. Secundum est de equo ruffo; qui persecutionem tyrannorum portendit. Tertium de equo nigro; qui hæreticorum typus est. Quartum de equo pallido; in quo falsorum fratrum, & hypocritarum multitudo ostenditur. Quintum de animabus martyrum, sub altare Dei quiescentium; quod consolationem designat electis in tribulatione ad futuram. Sextum de obscuratione Lunæ, quæ persecutionem Antichristi figurat. Septimum de silentio dimidiæ horæ; quod innuit pacem ecclesiæ post mortem Antichristi, sed paruo tempore duraturam.

C PRIMASIVS ait, septem sigilla sunt septem salutares modi sanctarum locutionum diuinæ scripturæ, id est Indicatiuus, ut in Michæa, Indicabo tibi, quid sit bonum. Pronunciatiuus, ut apud Esaïam, Ego primus, & nouissimus; & absque me non est Deus. Imperatiuus ut in eodem propheta, Clama, ne cesses. Optatiuus, ut iterum in Esaïa, Utinam attendisses mandata mea. Coniunctiuus, ut in Ieremia, si audieritis uocem meam. Infinitus, ut apud eundem, scire iudicium, & intelligere dominum. Impersonalis in Psalmo, Quis loquetur potentias domini? TICONIVS inquit, Septem sigilla significant septem regulares sacre intelligentiæ formas. Prima est historiæ textus. Secunda allegoria. Tertia utriusque tam historiæ, quam allegoriæ commixtio. Quarta est de incommutabili diuinæ trinitatis essentia, quando propriè, quando tropicè sacris insinuetur oraculis. Quinta est parabolarum, in quibus, dum aliud dicitur, aliud spiritualiter significatur. Sexta est de gemino saluatoris aduentu; ne primus pro secundo, & secundus intelligatur pro primo. Septima est de geminis tum uitæ agendæ, tum significandæ præceptis. GREGORIUS ait, Septem sigilla sunt septem mysteria humanæ redemptionis, uidelicet incarnatio, natiuitas, passio, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio, aduentus ad iudicium. Isidorus inquit, Septem sigilla sunt septem modi loquendi in scripturis; hoc est historicus, tropicus, allegoricus, anagogicus, figuratiuus, absolutus, parabolicus. RVPERTVS asserit, quod sunt septem spiritus, quibus diuina scriptura inspirata est. LYRANVS ait, Septem sigilla sunt septem status ecclesiæ à Christi ascensione ad iudicium. Primus status, per equum album demonstra-

tus,

Dan. 4. 6

Mach. 6.

Esa. 48. 40. & 48.

Ier. 26. & 9. Psal. 105.

tus, significat tempus sub Caio imperatore. Secundus per equum rufum, persecutionem Neronis. Tertius per equum nigrum, tempora Vespasiani & Titi. Quartus in equo pallido, persecutionem Domitiani. Quintus persecutionem sub Traiano usque ad Diocletianum. Sextus statum ecclesiæ sub Diocletiano. Septimus ecclesiæ pugnas contra hæreticos: quæ tempora Constantini sequuntur.

SIGNATVS LIBER, hebraicè ספר החתום sepher hachatum, significat uolumen totius diuinæ scripturæ, cuius intellectus infidelibus & spiritu Dei carentibus ob signatus est, & omnino occultus, dicente propheta, **NISI CREDIDERITIS, NON INTELLIGETIS.** De quo libro Esaias ad Iudæos, futuris sæculis excæcandos, uerba faciens, inquit: **MISCVIT** uobis dominus spiritum soporis; claudet oculos uestros; prophetas & principes uestros, qui uident uisiones, operiet. & erit uobis uisio omnium, sicut uerba Libri signati; quem cum dederit scienti literas, dicet, **Lege istum: & respondebit, Non possum; signatus est enim.** Et dabitur liber nescienti literas; diciturq; ei, **Lege: & respondebit, Nescio literas.** Quibus uerbis prædixit Esaias uisiones propheticas, & uniuersam diuinam scripturam claudendam fore Iudæis ob eorum perfidiam, & ingratitude; eosq; penitus fore excæcandos, ut legentes non intelligerent quæ legerent. unde rectè de illis Paulus ad Corinthios ait: **VSQVE** in hodiernum diem id ipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur; sed usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum. cum autem conuersus fuerit ad Deum, auferetur uelamen. nemo enim potest, ut inquit Ioannes, neque in cælo, neque in terra, neque sub terra uiribus ingenij sui rescindere uelamen huius libri, qui suapte natura signatus est, & inaccessibilem mysteriorum sigillis conclusus: neque ipsum quis potest aperire librum nisi septicornis, & septioculus ille Agnus aperiat, cui quatuor animalia, & uiginti quatuor seniores procidententes acclamant: **DIGNVS** es Domine aperire librum, & soluere septem signacula eius; quia occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo. **Agnus iste Christus** est, qui post resurrectionem suam, ut ait Lucas, aperuit discipulis suis sensum, ut intelligerent scripturas; & per ipsos doctoribus sanctis & catholicis earum intelligentiam referauit. Voluit autem Deus scripturas suas, ut inquit Augustinus, tribus potissimum de causis signatas esse & clausas. primò ad euitandum fastidium. ea enim est hominum conditio, ut suapte natura aperta, passimq; obuia, uel facile inuestigata, fastidiant & contemnant: operata uerò & recondita magis desiderant & desiderata ardentius inquirent, & inuenta suauius gustent. Sicut igitur Deus multa in diuinis libris in apertissima luce posuit, ut inde pasceremur, & famem pelleremus: ita multa utilissimis obscuritatibus inuoluit, ut in his sine ullo fastidio, & satietate ingenij solertiam exerceamus. Secundò ut ad maiorem ueritatis elucidationem obscuritas conducatur, dum plures occultæ sententiæ explanationes educuntur in lucem; & alius sic, & alius iterum sic uerissimè, quod obscurum fuerat, ueridicè explicat; & occasione inquirendi propositam difficultatem, aliarum quoque rerum quas non quærebat ueritatem assequitur. Tertio ad comprimendam humani ingenij temeritatem, eiusq; superbiam labore domandam; ut, dum tumens ac turgens hominis animus abstrusos diuinarum literarum recessus penetrare se posse præsumit, demum desperans cogatur unà cum illo Aethiopo Eunucho exclamare, **Quomodo possum hæc intelligere, nisi aliquis ostenderit mihi?**

SILVANVS, quem quidam à Luca in Actibus apostolorum Silam dici tradunt, existimatur, quòd simul cum Paulo fuerit autor duarum ad Thessalonicenses epistolarum; quia in præfationibus earum Siluani nomen cum Pauli nomine iunctum sit. cæterum Photius, episcopus Constantinopolitanus, utranque asserit ab ipso duntaxat Paulo elaboratam; sed Siluano, tanquam comministro, ex apostolica modestia communicatam & ascriptam. Dorotheus Martyr in Synopsi refert hunc Thessalonicæ fuisse episcopum.

SIMON Magus Samaritanus, patre Antonio, matre Rachele, ex uico, qui Triton dicebatur, à Philippo diacono baptizatus, sicut in Actibus apostolorum legitur,

A legitur, pecunia uoluit emere à sanctis Apostolis, ut etiam per impositionem manus eius daretur spiritus sanctus. hic, cum Romam sub Claudio Cæsare uenisset, utens adminiculo adfidentis sibi dæmonis, ita magicis artibus Romanos demerit, ut ab eis Deus decerneretur, & simulacri honore donaretur in insula Aesculapij, inter duos Tyberis pontes collocati, habentis etiam titulum, latinis literis scriptum, **SIMONI DEO SANCTO.** Scripsit autem prodigiôsæ impietatis uolumina, hæreseum omnium seminaria: in quibus docuit se esse uirtutem Dei magnam, quam Græci Iouem dixerunt; coniugem uerò suam esse Helenam illam antiquam, ob quam Troes, & Græci ad pugnam deuenerunt, & de hac allegoricè scripsisse Homerum quæcunque in Iliade haberentur. Tradidit quoque usum detestandæ turpitudinis indifferenter utendi scæminis. negauit Deum fecisse mundum, item carnis resurrectionem. dixit quoque se esse patrem, filium, & spiritum sanctum; & in persona patris apparuisse olim Moyfi in monte Sina, legem adferens; in persona filij apparuisse Tyberij tempore, & putatiuè passum; postea se in linguis igneis super apostolos in persona spiritus sancti descendisse; Christum autem nec uenisse, nec à Iudæis quicquam pertulisse. Obiit Romæ ex magna altitudine à Petro orante præcipitatus, cum ipsum Petrum in miraculorum certamen prouocasset. Eius scripta a Gelasio distinctione decima quinta inter opera hæreticorum primo loco enumerata damnantur.

SOPHONIAE prophetæ Assumptionem Athanasij Synopsis inter impia scripta recenset.

SOSTHENES, unus ex septuaginta saluatoris nostri discipulis, natione Iudæus, princeps synagoga Corinthiorum, multa, ut Lucas in Actibus refert, coram Gallione proconsole euangelij causa passus est. Hic unà cum Paulo composuisse fertur eam, quæ prior est, ad Corinthios epistolam; quia Apostolus in salutatione eiusdem epistolæ adiungat eum sibi non aliter, quam conscribentem & consalutantem. at Photius, Constantinop. episcopus, existimat eam ab ipso Pauli spiritu ingenioque profectam & dictatam; Apostolum uerò, quæ sua erant, Sostheni facile tribuisse, ut epistolam suam firmiorem & acceptiorem faceret Corinthiis, apud quos erat Sosthenis archisyntagoga celebre nomen, & auctoritas magnopere uenerabilis. Dorothei Synopsis ostendit hunc fuisse Colophoniadis episcopum.

SPARTANORVM scriptura, in qua scriptum erat Iudæos & spartatas fratres esse, & utrosque de genere Abraham descendere, citatur 1. Maccab. 1. Meminit huius scripturæ Darius, Lacedæmoniorum rex, in epistola quadam ad Oniam, Iudæorum pontificem; cuius exemplar, ex duodecimo libro Antiq. Iosephi cap. 5. exceptum, habetur supra in Dario.

SPIRITVS PARACLETI nomine à Manichæis inscripta sunt omnia opera Manis Perse; siue Manichæi; quem ipsi eius discipuli esse crediderunt, & docuerunt spiritum illum paraclatum à Christo in euangelio promissum. fuerunt autem apud Manichæos sub Paraclети Spiritus titulo insigniora uolumina hæc, quæ sequuntur.

EVANGELIORVM liber unus.

MYSTERIORVM libri duo & uiginti, iuxta numerum & ordinem Syrarum literarum Syriaca lingua editi.

THESAVRI magni liber unus.

THESAVRI parui liber unus.

SUMMARVM liber unus.

DE fide liber unus; cuius initium est, **Erat Deus, & Materia, lux, & tenebra, bonum, & malum, &c.**

AD ecclesiam fidelium epistola una, quæ dicitur Fundamenti; cuius initium est, **Manichæus, apostolus Iesu Christi, prouidentia Dei patris. Hæc sunt salubria uerba ex perenni ac uiuo fonte, &c.** & habetur apud Augustinum unà cum eius confutatione Tomo sexto.

AD Marcellum, dilectum filium, epistola una; cuius initium est, **Manichæus,**

A a aposto-

apostolus Iesu Christi, & qui mecum sunt, omnes sancti, ac uirgines Marcello, filio dilecto, gratia, misericordia, & pax a Deo patre, & domino nostro Iesu Christo, &c. & habetur apud Epiphanium libro secundo aduersus haereses, unde haec accepimus.

VICTOR, episcopus Vticensis, Africanae persecutionis libro secundo memoriae prodidit, Manichaeos ob reuerentiam praecceptoris sui solitos fuisse gestare hoc scriptum in femoris cute, MANICHAEVUS, DISCIPVLVS CHRISTI IESV.

STEPHANI Protomartyris, qui unus fuit de septem apostolorum diaconibus, Apocalypsin Manichaei haeretici, ut Serapion testis est, in precio habuere. Hanc Gelasius Papa sub anathematis interminatione Christianis interdixit, distinctione decima quinta.

Ier. 8.

STILVS Mendax scribarum citatur apud Ieremiam his uerbis: VERE mendacium operatus est שקר סופרים וט Het sceker, sophrim, hoc est, Stilus mendax scribarum. pro quo septuaginta interpretes uerterunt, EIS מדרשו ערעונו סופרים וט id est, in uanum factus est iuncus, siue funiculus mendacius scribis. Origenes per Stilum hunc interpretatur mendaces traditiones scribarum, & legis doctorum, praesertim eas, quae de oblationibus praeter diuinum mandatum sacerdotibus & templo offerendis proposuerant, commutantes cuiuscunque grauisissimi sceleris poenam in oblationes, arbitrio suo constitutas. quod Ieremias paulo supra arguens dicebat: NOLITE confidere in uerbis mendacij, dicentes, Templum domini, templum domini, templum domini est. Procherus libro primo Victoriae aduersus hebraeos, existimat Ieremiam per Stylum mendacem scribarum, prophetice uoluisse praedicere correctionem quandam uoluminum diuinorum, quae in libris Thalmudicis frequentissime recolitur סופרים תיקון סופרים Thikon Sophrim, hoc est Correctio Scribarum appellatam; iuxta quam Scribae non longe post reditum de Babylone quaedam in libris legis & prophetarum mutauerunt, nunc scripturam quibusdam punctis distinguentes, nunc alia in marginibus apponentes, quae loco eorum, quae in contextu scripta erant, urbanitatis ac modestiae gratia honestius ac decentius legerentur: ut pro Coire cum concubina, Iacere cum illa; & pro Stercore, Egestionem. cuius rei gratia interdum quoque id, quod erat scriptum a propheta, eradentes, in locum illius, quod ipsi magis e scripturae decoro iudicassent, reponebant. unde factum est, ut multis in locis sensus, multo a prophetae sententia diuersus, atque etiam saepe contrarius, ac falsus emerferit. Vide hoc latius infra libro octauo haeresi secunda.

Ierem. 8.

T



ERTIUS, Iconiij episcopus, Pauli discipulus & Amanuensis, scripsit dictante Apostolo, eam, quae est ad Romanos, epistolam; in cuius fine salutationem quoque suam apponens, ait: SALVTO uos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc in domino. Is cum esset parum sermone peritus, nec fatis in scribendo exercitatus, epistolam, quae propter multitudinem ac sublimitatem quaestionum caeteris Pauli epistolis obscurior est, longe reddidit obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum

confusis, & inabsolutis sententiis, ac transposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare. Diodorus, Tarsensis episcopus, in expositione epistolae ad Romanos huius rei testis est. Theodolus, Coelesyriae praesbyter, in expositione epistolae ad Romanos, pro Tertio, Terentium legit.

THADDAEVUS Apostolus, qui & Lebæus, & Iudas appellatur. autor Catholicae epistolae, quae inter septem catholicas ultima numeratur, scripsisse dicitur euangelium, quod Gelasius dist. 15. reprobauit.

THAV

THAV inscriptio, siue Thau litera, signum est uitale, faustum ac maxime salutiferum; quo diuina misericordia frontes eorum insignire spiritualiter consuevit, quos a furore diuinae ultionis decreuit eripere. Meminit huius mysterij Ezechiel in uisione illa celebri, quam uidit anno sexto transmigrationis Babylonicae, mense sexto, die sexto his uerbis: ET GLORIA domini Israel assumpta est de Cherub: & uocauit uirum, qui indutus erat lineis, & atramentum scriptoris habebat in lumbis suis. & dixit dominus ad eum, Transper mediam Ciuitatem in medio Hierusalem; & signa Thau super frontem gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quae sunt in medio eius. Et dixit uiris, in quorum manu erant uasa interitus, Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite. non parcat oculus uester, neque misereamini. senem, adolescentulum, & uirginem, paruulum, & mulieres interficite usque ad interuentionem. omnem autem, super quem uideritis Thau, ne occidatis. Haec Ezechiel de litera Thau, quam Deus idcirco uoluit frontibus saluandorum inscribi, ut ostenderet se tales merito ex tanta totius populi clade eripere, quia soli in tota urbe Dei legem seruassent, cuius primam literam in fronte praesferrent. est enim Thau litera, a qua incipit hebraica dictio תורה thorha, quae diuinam legem significat. est item ת Thau omnium hebraicarum literarum ultima, complementum, finis, & consummatio totius Iudaici alphabeti: ex cuius nota uoluit Deus eos discerni, qui totius legis uoluntatem, quantum patitur humana fragilitas, consummassent, & a prima usque ad ultimam literam omnia diuinae scripturae praeccepta complessent. Atque hinc arbitrator emanasse morem illum discernendi uiuos a mortuis apud Ethnicos praesca militiae notarios; qui cum in breuiculis quibus militum nomina propria continebantur, demonstrare uellent, quot ex militibus superessent, & quot in bello cecidissent; T taf nota, in capite uersiculi posita, superstitem designabant: Thita uero, quod per medium telo, hoc est mortis signo transfixum est, ad uniuscuiusque defuncti nomen apponebant. & iudices eandem literam Thita praeponebant eorum nominibus, quos supplicio afficiebant. id ipsam quoque pictores & sculptores in epitaphiis sepulchrorum scribebant; propterea quod ipsa sit litera capitalis uerbi graeci Θνήσκω, quod significat Morior; uel Θνήσκειν, quod significat Mortem. ad quod Hetruscus poeta Persius non inuenuste alludit cum uitij eadem persuaderet eo uersu,

Et potis est uitio nigrum inscribere Thita. & rursus alius poeta, O multum ante alias infelix litera Thita.

SCIENDVM est etiam, ut Hieronymus, in plerisque locis suorum operum testis est, Iudaeos ante captiuitatem Babylonicam alias, hoc est alterius figurae, quam nunc, habuisse literas cum Samaritanis communes a Moysae uidelicet acceptas; quarum postea figuras Ezra, de captiuitate reuersus, mutauit; ut Iudaei, qui literarum numero, ordine, sono, ac significatione cum Samaritis infidelibus, & Iudaici nominis hostibus conueniebant, saltem ab ipsis discreparent forma literarum: quarum ultima communi utriusque gentis uocabulo Thau appellatur, & quae prius figuram crucis representabat ✝, Esdras in hanc ת notam, qua nunc Iudaei utuntur, transformauit. fuit igitur, ni fallor, signum Thau scriptum in frontibus eorum, qui erepti sunt a ciuitatis deuastatione, figura uiuifica crucis, symbolum humanae salutis, & signum redemptionis totius mundi. cuius quidem signi inscriptione mystice significabatur, neminem effugere sempiternae mortis supplicium, qui non fuerit signaculo crucis insignitus: hoc est, qui non habuerit interius impressam fidem crucis, passionis, ac mortis Christi, quique exterius in fronte quae interioris fiducia, audacia, & constantiae index est, non gestauerit crucem Christi: hoc est nuda & aperta fronte Christi crucem intrepidè praedicans, & omnem gloriam suam in ea reponens, atque unam cum Paulo dicens: MIHI absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In cruce inquam illius, qui milites suos his uerbis compellat. QUI uult uenire post me, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. indicans hac uoce

Ex. 9. 6

Gal. 6. 6

Mat. 16. 6

neminem posse ingredi in uitam æternam cum Christo, nisi prius in hoc sæculo per uiam tribulationum, Christi præeuntis uestigia sequatur, signum crucis Christi, corde, ore, manuque præferens. Hoc est illud signum Dei uiui, de quo Angelus in Apocalypsi exclamat ad Angelos deuastantes: **NOLITE** nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Signum certæ uictoriæ, ac triumphi; quo quicumque protectus fuerit, inuisibilibus ac uisibilibus omnium hostium conatus franget; neque peccatum, neque mors, neque mundus, neque Sathanas, neque portæ inferi præualebunt aduersus eum. Non tamen prætereundum arbitror, nomen Tau tam pro extrema litera hebraici alphabeti accipi, quam pro quocunque signo. unde, cum apud Ezechielem non ipsius literæ Thau sola figura η separatim scripta sit, sed tota ipsa dicitio η , quam ferè omnes Signum interpretantur; incertum sanè est, an uerba prophetæ uel de ipsa litera Thau, uel de quopiam alio signo intelligenda sint. Theodotion per Thau extremam alphabeti literam intellexit; & pro eo, quod septuaginta, Aquila, & Symmachus uerterunt signum, posuit ipsum η hebraicum. Isidorus, Ispalensis episcopus, arbitratus est per Thau significari literam græcam T taf; quia figuram dominicæ crucis representet. Chrysostomus uerò in decimoctaua homilia ad populum Antiochenum per Thau nihil aliud, quam indeterminatum signum exponit. Denique Origenes in homilia de Epiphania Thau literam fuisse ipsam crucis figuram concludit.

THOMAS Apostolus euangelium, quod Manichæis sub nomine eiusdem Apostoli, teste Gelasio, familiare fuit, scripsisse creditur: cuius recordatur Origenes homilia prima in Lucam, inquit: **SCIO** quoddam euangelium, quod appellatur **SECUNDUM THOMAM**, & **IUXTA MATTHIAM**, & alia plura legimus, ne quid ignorare uideremur, propter eos, qui se putant aliquid scire, si ista cognouerint; sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod ecclesia, id est quatuor tantum euangelia. Cyrillus, Hierosolymæ episcopus, in sexta oratione catechistica tradit autorem euangelii huius fuisse Thomam quendam, Manis Persæ discipulum. Athanasius in Synopsi, & Gelasius distinct. 15. inter damnatas scripturas reiciunt. Epiphanius libro secundo Panarij refert Encratitas hæreticos habuisse in usu librum quendam, cui titulus est **ACTIONES THOMAE**; quem Innocentius Papa primus in epistola ad Exuperium reprobat. Augustinus libro primo de sermone domini in monte, & in libro contra Adimantum, & libro 22. contra Faustum, Manichæos testatur huiusmodi habuisse scripturas; in quibus legebatur, Apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum conuiuio peregrinus, & profus incognitus, à quodam ministro palma percussus, imprecatum fuisse homini continuam æuamque uindictam, hunc, cum egressus fuisset ad fontem, unde aquam conuiuanti- bus ministraret, leo irruens interemit; manumque eius, qua caput Apostoli leui istu percussit, à corpore auulsam, (secundum uerbum Apostoli id optantis, atque imprecantis) canis attulit mensæ, in qua Apostolus discumbebat. Enumerantur ab Athanasio in Synopsi unà cum libris repudiatis Circutiones, siue Itinerarium Thomæ Apostoli. & à Gelasio dist. 15. Apocalypsis eiusdem repudiatur. **DICITUR** etiam scripsisse hunc Apostolum ad Clementem, qui post Petrum pontifex fuit, epistolam de rebus, a se in Parthia, Media, Perside, & India uisis cuius ipse Clemens mentionem facit in nono Recognitionum uolumine.

TIBERIVS CAESAR, cuius anno quinto decimo Ioannem prædicasse scribit Lucas, ædidit uarij generis scripta stylo affectato & duro, ad imitationem Messallæ Coruini; quem senem adolescens obseruauerat. Composuit & carmen lyricum, cui est titulus, **CONQUESTIO DE IULII CAESARIS MORTE**. fecit & græca poemata, imitatus euphorionem, & Arianum, & Parthenium; quibus poetis ita delectatus est, ut scripta eorum, atque imagines publicis bibliothecis inter ueteres & præcipuos autores dedicauerit. Suetonius in Tiberio.

TIMOTHEVS Lystrensis, patre gentili, matre hebræa natus, primus Ephesi episcopus à Paulo admodum adolescens ob eximias uirtutes eius creatur. hunc

A hunc Apostolus in salutationibus literarum suarum subindicare uidetur fuisse sibi coadiutorem in conscribendis & componendis epistolis aliquot; quæ Pauli & Timothei nominibus simul iunctis inscribuntur. hæc autem sunt,

- A D Corinthios secunda.
- A D Colossenses una.
- A D Philippenses una.
- A D Thessalonicenses duæ.
- A D Philemonem una.

2. Cor. 1. a
Phil. 1. a
1. Thes. 1. a
2. Thes. 1. a
Philem. 1. a

HAS tamen Photius, Constantinop. episcopus, censet à solo Paulo primùm compositas, deinde uerò Timotheo discipulo unice dilecto, ex ingenua Apostoli modestia & charitate communicatas, & ascriptas.

FERVNTUR item sub nomine Timothei episcopi Libri quatuor ad ecclesiam catholicam; quos Saluianus, Massiliensis episcopus, apposita ijs præfatione, ostendit non esse huius Timothei, sed à quodam suorum temporum scriptore editos; qui, fugiens humanæ laudis auram, occultato proprio nomine, Timothei uocabulum finxit, quo diuinitatis honor exprimitur: ut non ad honorem hominum captandum, sed pro solo Dei honore se scripsisse significaret; imitatus in hoc Lucæ euangelistæ exemplum, qui in utroque suorum operum exordio Theophili nomen finxit; simulans se ad hominem scribere, cum ad amorem Dei scripta dirigeret, à quo ad scribendum impulsus erat. Huius operis character, nisi me fallit gustus, redolet eiusdem Saluiani phrasin ac stilum.

Luc. 1.
Act. 1.

TITVLVS in sacris literis aliquando significat $\epsilon\pi\iota\gamma\rho\alpha\phi\eta\nu$, hoc est inscriptionem, quæ rebus superscribitur, ut statim primo conspectu noscatur, quid super scripta res sit. sic referunt Euangelistæ titulum dominicæ cruci à Pilato superpositum, græcis, latinis, & hebraicis literis scriptum, ut ex eo causa mortis Christi pateret. Nonnunquam significat marmoreas columnas, pyramides, pilas, uel fornices, nominibus & elogiis illustrium uirorum inscriptas, ad seruandam rerum ab eis præclarè gestarum memoriã. sic in primo Regum uolumine legimus Saulem, deuicta Amalechitarum gente, sibi erexisse titulum, siue, ut nostra editio habet, fornitem triumphalem in monte Carmelo, sic in secundo eiusdem operis libro scriptum legimus: **PORRO** Absalom erexerat sibi, cum adhuc uiueret, titulum, qui est in Valle regis. dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo. & appellatur **MANVS ABSALON** usque ad hanc diem. Quæ uerba Iosephus in libro Antiquitatum septimo exponens, **PORRO** Absalomus, inquit, erexerat sibi in Valle regis columnam marmoream cum inscriptione, duobus stadiis ab Hierosolymis disitam, quam uoluit uocari Manum Absalomi, dicens, quod si liberos eius perire contingat, in hac tamen nomen ipsius esset mansurum. Interdum Titulus in Sacris literis idem est; quod statua, simulacrum, & imago ob uenerationem & cultum alicuius hominis posita, quam Tituli positionem Deus in tertio legis uolumine prohibens, **NE** faciatis, ait, uobis idolum, & sculptile, nec titulos erigatis. Quandoque etiam Titulus denotat lapidem informem sine ulla inscriptione, & absque ulla artis politura stantem & in terræ superficie erectum; qualem in Genesi fuisse legimus lapidem, quem Iacob, in Bethel Luzæ dormiens, capiti suo supposuit, & excitatus à somno erexit in titulum, fundens oleum desuper, & inquit, **ERIT** mihi dominus in Deum, & lapis iste in titulum. Ex his uerbis liquet Titulum illum non fuisse columnam, uel pyramidem, sed rudem lapidem prius in solo iacentem, deinde in sublime erectum, ad perpetuam recordationem eorum, quæ eo in loco Patriarchæ Iacobo contigerant. Hunc Moses $\mu\alpha\zeta\epsilon\upsilon\alpha$ mazeua, hoc est Lapidem stantem appellauit; & septuaginta interpretes $\lambda\iota\theta\omicron\nu$, hoc est Lapidem aliquando transtulere.

1. Reg. 15. e

2. Reg. 18. d

Leu. 26. a

Gen. 28. d

D **TITVLVS**, siue inscriptio crucis Iesu Christi. uide supra ea, quæ à nobis sunt scripta in Pontio Pilato.

Ioan. 19. e

TOBIAE Iunioris Liber, à maleficis hominibus confictus, continet excantationes, & imagines quasdam magicas, quibus Tobias, Tobiae filius, demones à sponfa sua Sara abegisse fingitur. Sacrosanctæ Romanæ Inquisitionis Senatus librum, inter opera magicæ impietatis reiectum, damnauit.

TRADITIONES Iudæorum quasdam sine autoris nomine frequentissimè citat Epiphanius: ex quarum autoritate affert ipse contra Hieracitas Genealogiam Melchisedech ex gente Sidoniorum; & aduersus Melchisedechianes genealogiam Helix, & Danielis prophetarum. Item aduersus Antidicomarianitas ex iisdem traditionibus ostendit Iosephum, sponsum Mariæ uirginis, aliam coniugem ante Mariam habuisse, & ex ea suscepisse filios quatuor; qui apud Marcum & Ioannem nominantur Iacob, Iose, Iudam, & Simeonem; & duas filias, Mariam, & Salome. qua defuncta, cum uiduus esset, & octogenarius, Mariam uirginem accepisse in uxorem. item contra Collyridianos refert, Mariæ uirginis parentes fuisse Ioachim, & Annam. Rursus contra Manichæos disputans, ex iisdem probat Lazarum, cum à Christo suscitaretur, fuisse annorum triginta; & post resurrectionem triginta alios superuixisse. Citat & D. Hieronymus, alias hebraicas traditiones in libro hebraicarum Traditionum quam sapissime. Euthymius in cap. 23 Matthæi allegat genus quoddam Iudaicarum traditionum; quæ quæ scriptæ non sunt, ἀγραφα nuncupantur.

TRADITIONES Seniorum (quas Matthæus hebraicè nuncupauit תורת הזקנים Ghezerot azzekenim, hoc est Constitutiones Seniorum, Græcus uerò codex singulari numero τῶν παρόδρων τῶν πρεσβυτέρων, id est Traditionem Seniorum appellat) compluribus in locis diuina scriptura commemorat, præsertim in Matthæi capite quintodecimo, ubi Pharisei, accusantes apostolos, Christum interrogant, dicentes: **Q**UARE discipuli tui transgrediuntur Traditiones Seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant. Quos Christus de maiori crimine redarguens, ac uice uersa interrogans, ait: **Q**UARE & uos transgredimini mandatum Dei propter traditionem uestram? & paulò post addit, **F**RUSTRÀ colitis Deum, docentes mandata, & doctrinas hominum. Harum Traditionum obseruatoribus iratus Deus minatur per prophetas suos, inquiring apud Esaiam: Eo quòd timuerunt me mandato, & doctrinis hominum, peribit sapientia à sapientibus eorum. Et apud Ieremiam, **V**ERÈ mentitus est stilus mendax scribarum. confusi sunt sapientes . . . uerbum domini procecerunt, & sapientia nulla est in eis. Easdem Traditiones Paulus Apostolus ubique irridens, & nunc Iudaicas fabulas, nunc aniles nugas, nunc stultas quæstiones, & prophanas uanitates appellans, Timotheum ab ipsarum tractatione deterret. his uerbis. **N**E intendas, inquit, fabulis Iudaicis, & genealogijs interminatis; quæ quæstiones magis præstant, quam ædificationem, quæ est in fide. Sicut quidam uolentes esse legis doctores. & rursus ad eundem ait, **S**TULTAS, & sine disciplina quæstiones deuita. & iterum, Prophanas & aniles fabulas deuita. & ad Titum eadem repetens, **Q**uæstiones, inquit, & genealogias, & pugnas deuita. sunt enim inutiles, & uanæ. Neque id frustra monet, expertus in femetipso, quantum sibi, atque alijs nocuerit harum traditionum obseruantia. propter has enim (ut epistola, ad Galatas scripta, testatur) ipse persecutus est supra modum ecclesiam Dei, & oppugnauit illam, æmulator existens paternarum in Iudaismo traditionum. Cum igitur & Christus, & Paulus tam acriter insectentur huiusmodi Traditiones; ideo, ne quis fortè existimet qualescunque hominum Traditiones in uniuersum damnari, non ab re fuerit breuiter indicare, quænam sint doctrinæ, & mandata hominum à Deo reprobata.

MANICHÆI impiè affirmarunt, per Traditiones Seniorum, esse intelligendas omnes scripturas ueteris Testamenti: & has à Paulo dicebant appellatas fuisse Iudaicas fabulas, & prophanas uanitates. sed aduersus istorum insaniam ipsemet Paulus, ad Romanos scribens, exclamat: **L**EX quidem sancta est, & præceptum sanctum, iustum, & bonum. & ad Timotheum ait: **T**u uerò permane in his, quæ didicisti; qui ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo. omnis enim scriptura, diuinitus inspirata, utilis est ad docendum,

Matth. 15. 4

Esa. 29.

Ier. 8.

1. Tim. 1. 4, 2. 2, 4.

2 Tim. 2. d
1 Tim. 4. b
Tit. 3.

Gal. 1.

1 Tim. 4. d

Rom. 7.

1 Tim. 3.

A cendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

PTOLEMÆITAE Hæretici, ut Epiphanius in primo aduersus hæreses tradit, per Traditiones à Christo damnatas, intelligebant non omnes, sed aliquas scripturas ueteris testamenti; quod in tres partes diuidebant: quarum unam dicebant à Deo conditam, alteram à Moysè, tertiam à Senioribus Iudæorum conscripam, & postea reiectam à Christo, dicente; **Q**UARE & uos transgredimini mandatum Dei propter traditiones uestras? Deus enim dicit, honora patrem, & matrem. & qui maledixerit patri, uel matri, morte moriatur. Vos autè dicitis, Si dixerit homo patri, aut matri **K**ORBAN, quod est, Donum quodcunque est ex me, tibi profuerit: & ultra non dimittitis eum quicquam facere patri aut matri, rescindentes uerbum Dei propter traditionum uestram, quam tradidistis, & c. Sed, cum uerba traditionis huius nusquam in toto ueteri testamento inueniantur, perspicuum est Christum sub nomine Traditionum nullam damnasse partem diuinarum scripturarum, sed alias Iudaicas constitutiones, à scriptura sacra alienas, & uerbo Dei contrarias.

LUTHERVS, atque omnis fœda Lutheranorum colluuiis, per traditiones & doctrinas hominum à Christo explosas, interpretantur omnes ecclesiasticas Sanctiones, quæ in diuinis literis apertum & expressum Dei testimonium non habent. Cæterum apparet eos improbè mentiri ex eo, quòd Christus & Paulus in locis iam citatis non damnant traditiones hominum bonas & iustas, quamuis expressum uerbum Dei non habeant, sed Iudaicas tantum constitutiones, hoc est mandatis Dei repugnantes: qualis erat illa Phariseorum, **M**VNVS quodcunque est ex me, proderit tibi. quæ præceptum diuinum de pietate erga parentes destruebat. Sanctiones uerò ecclesiasticas, & decreta Patrum, quæ cultum Dei promouent, & augment, ita Christus seruari uult, ut per Paulum dicat: **S**TATE & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam. & ipsemet de traditionibus Pastorum seruandis legem statuens, inquit: **O**MNIA, quæcunque dixerint uobis, seruate, & facite. Et ad Pastores ait: **Q**UI uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. & qui ecclesiam non audierit, sit tanquam Ethnicus & publicanus. non enim minus meretur inter Ethnicos abiici, qui ecclesiasticas traditiones recusat, quam qui euangelium recusat. siquidem, reiectis ecclesiæ constitutionibus, euangelium quoq; abiectum iri necesse est, quod & diuus Basilus in libro de spiritu sancto planè testatur his uerbis cap. 27. **S**I instituta, consuetudinesq; non scriptas, tanquam in eis uis magna non inest, semel repudiare aggredimur; clam ac pedetentim ratas ipsas euangelij sententias improbabimus, aut potius ad inane nomen eius prædicationem contrahemus. apostolicum igitur existimo, in his etiam traditionibus, quæ scriptæ non sunt, permanere. Sed de his alijs latinis diximus.

STRATONICVS, Cumarum episcopus, in Collectaneis suis autumat hæc Traditiones fuisse placita, ac decreta Iudaicarum sectarum. quatuor enim, ut Iosephus & Epiphanius scribunt, apud Iudæos firerunt uiuendi instituta: quarum unum profitebantur Pharisei, alterum Galilæi, tertium Sadducæi, quartum Esseni.

- P**HARISÆORVM autem dogmata erant huiusmodi.
- 1 Fato, hoc est; Dei præscientia, ac immobili decreto omnia geri, manente tamen libero humanæ uoluntatis assensu. eo enim temperamento Deus optimus res hominum moderatur; ut, cum omnia ex eius deliberatione pendeant; in homine tamen integra sit facultas ad uirtutem, ac uitium accedendi.
 - 2 Animas esse incorruptas & immortales, earumq; iudicia sub terris fieri, tum præmia cuique contingere ex uirtutis & malitiæ merito.
 - 3 Piorum animas ab inferis in hanc uitam ad noua corpora reuerti, rursus ex his in alia corpora migrare. improborum uerò animas perpétuis damnatas carceribus, interminabili supplicio excrucitari.

Matth. 15.
Exod. 20.
Deut. 5. b
Mat. 7.

Matth. 15.

2 Thess. 2.

Matth. 23.

Luc. 10.

Matth. 18.

Iosephus libro
18. antiq. cap.
18. & lib. 2.
de bello Iud.
cap. 7.

4 Maiores natu uenerandos; nec licitum esse aut contra respondere monentibus, aut obloqui.

GALILAEI, qui à Iuda Galilæo, patria Gamalensi, originem acceperunt, eadem, quæ Pharisei, placita sectabantur, hoc unum duntaxat de suo addentes, nempe solum Deum pro domino habendum, nullique mortalium principum esse parendum, sed pro libertate asserenda dura quæque & aspera patiendum. Refert Iosephus hoc hominum genus saepe sollicitasse populos, ut regum & dominorum imperia abiicerent, & solutionem censuum (quæ manifestum est seruitutis testimonium) detrectarent. Sunt & qui opinentur ex hac secta fuisse Iudæos illos, quos legimus, de libertate gloriantes, dixisse ad Christum, in quem nuper crediderant, **SEMEN ABRAHAE SVMVS, ET NEMINI SERVIVIMVS VNQVAM**; eosque idcirco adhæsisse Christo, quod eum sperarent fore aliquando Iudaicæ libertatis assertorem ac uindicem.

Ioan. 8. d

SADDVCAEIS diuersæ ab his erant sententiæ, uidelicet

1 Nullum prorsus esse fatum, nec ullum diuinæ deliberationis decretum; sed omnia ita esse in hominum potestate, ut tam felicitatis, quam infortunii sibi quisque sit autor.

2 Animas unâ cum corpore omnino extingui, nullaque post hanc uitam manere præmia, uel supplicia.

3 Angelorum nullam esse naturam, sed nomina duntaxat: quibus uel motus designantur, quos Deus hominibus aspirat; uel eæ, quas ipse edit, uirtutis suæ demonstrationes.

4 Præter libros Mosaicos, ac diuinas leges, iisdem uoluminibus comprehensas, nullam aliam scripturarum auctoritatem, aut hominum traditionem esse recipiendam.

ESSENI, insigniores pietatis cultores, nec multum Christianis monachis ab similes, his legibus atque sanctionibus se ipsos addixerant:

1 Omnia fati, hoc est Dei uoluntate regi; nec quicquam hominibus præter fati definitionem accidere.

2 Animos esse immortales, iisque post hanc uitam actorum præmia, poenisque rependi; bonis quidem ultra Oceanum, ubi regio est, quam neque frigora, neque æstus premunt, sed Zephyrus aspirans amoenat; malis autem apud inferos, ubi loca sunt ærumnosa, & plena gemitibus.

3 Omne iuramentum quasi periurium esse uitandum; quia quicquid uir perfectus dixerit, iusiurandi uim habere debeat; & quod is, ueluti mendacij reus, condemnetur, cui sine teste Deo non creditur.

4 Summam post Deum exhibendam esse legislatori Mosi reuerentiam; quem si quis blasphemauerit, morte damnetur.

5 Præcipuum studium diuinis literis, ac ueterum patrum scriptis adhibendum, indeque petenda, quæ animorum curæ expediant.

6 Communis sodalitiij præfecto ita parendum esse, ut nihil sine eius præcepto fieri liceat.

7 Continentem, ac cælibem uitam ducere, & ab omni prorsus coniugio per omnem uitam abstinere.

8 Omnes facultates communes esse, unumque omnium patrimonium, quod per communes procuratores dispenseretur.

9 Nihil inter se aut mercari, aut uendere; sed cunctis esse liberum accipere, à quibus libuerit, quod opus sit.

10 Albis uestibus utendum, & amictum & calceos non mutandos, nisi omnino aut conficis prioribus, aut longi temporis usu consumptis.

11 Tantam, etiam in naturalibus purgamentis, habendam esse munditiæ curam, ut unusquisque sibi quotidie in secretissimis locis, foueam dolabella effodiat, in qua uentrem exoneret, demissa primum circumquaque ueste contegendi corporis gratia; ac deinde terra, quam effoderat, in locum suum reducta, ne

scilicet

Similis lex
habetur in
Deut. 23. c

scilicet diuinæ lucis splendori fiat iniuria.

A 12 Ante Solis ortum publicis laudibus autorem nascituri luminis celebrandum, postea uerò ad suas cuique artes ac studia accedendum.

13 Hora quinta diei in commune cenaculum sacris uestibus, hoc est, lineis uelaminibus, indutis coeundum; ibique ex eodem pane & pulmento in silentio residentibus uescendum: neque aliquid gustare cuiquam fas sit, nisi publica oratio prandium præueniat, & sequatur, quæ Deum, datorem uictus, & ante, & post cibum collaudet.

14 Post prandium, depositis sacris indumentis, ad sua cuique opera usque ad uesperam recedendum.

15 Essenorum cultum nuper aggredientes, non statim in consortium assumendos; sed candida ueste & perizomate indutos, & dolabella incinctos, à curatoribus suis explorandos per tres integros annos, donec probatæ uirtutis experimenta dederint.

B **EPIPHANIVS** libro primo aduersus hæreses, Traditiones seniorum esse dicit quatuor Iudaicas diuinæ legis Expositiones, excogitatas à nonnullis hebræorum magistris, hoc est à Mose propheta, à Rabbi Akiba, à Rabbi Ida, & à filiis Asamonæ; qui ex prædictis expositionibus deduxerunt constitutiones quasdam, superstitione & uanitate plenas; quas etiam iusserunt unâ cum cæteris diuinæ legis mandatis pari obligatione seruari.

HIERONYMVS in tertio commentario Esaiæ, & in quaestione ad Algasiam decima, & in tertium caput epistolæ ad Titum, scribit has esse constitutiones quasdam Iudæorum, à græcis *πατερῶν* dictas; quas primi inter Hebræos ante Christi aduentum docuerunt Sammai, & Hillel; quorum scholam suscepit Akibas, Aquila profelyti præceptor, & post eum Mayr; cui successit Ioannam, filius Zachai, & post eum Eliezer, & per ordinem Delphon, & rursum Ioseph, & demum Iosue usque ad ultimum urbis sanctæ excidium.

C **THOMAS** Aquinas in commentariis utriusque epistolæ ad Timotheum semel atque iterum asseuerat nomine Traditionum significari ingens ac uastum illud opus Iudaicarum traditionum, à Iudæis תלמוד Thalmud, hoc est Disciplinam appellatum; in quo collecta sunt decreta omnia prædictorum magistrorum Sammai, Hillel, Akiba, Ioseph, & filiorum Asamonæ, unâ cum aliis innumeris Rabbiñorum statutis, sententiis, & tam diuinarum, quam humanarum legum expositionibus; quibus nunc tota Iudæorum natio regitur. Initium habuit hoc opus, ut ipsi Thalmud expostores scribunt, anno centesimo quinquagesimo post ultimam Hierosolymæ cladem à Iuda, Simonis filio, qui legis, prophetarumque explanationes, & scripta omnia, quæ supra memorati Rabbini, cæterique doctores tam ante, quam post Christi aduentum eatenus scripserunt, in unum complexus est uolumen, quod

Quo tempore
fuerint editi li-
bri Thalmudici,
& hebræis à
pontificibus S.
R. E. inter-
dicti.

מסנה מישא, id est Iteratam lectionem, siue repetitionem nuncuparunt. anno uerò ab eadem postrema uastatione Hierusalem ter centesimo, Rabbi Ioannam, assumptis sibi collegis Rab, & Samuel, ipsum Misna, & alia quædam scripta in unum uolumen coniunxit; quod Thalmud Hierosolymitanum, quoniam in ruinis Hierosolymitanæ urbis scriptum esset, uocauerunt. Rursum anno quadringentesimo trigesimo sexto ab eodem excidio, qui fuit annus Christi quadringentesimus septuagesimus sextus, Rabbi Assè, & Rabbi Hammal, habitantes in Babylone Aegypti, quæ nunc Cayrum dicitur, omnes superiorum scripturas in unum redigentes, construxerunt nouum corpus multorum uoluminum, **THALMVD BABYLONICVM** nuncupatum. quod cum morte præuenienti perficere nequiuissent, Rabbi Mayr, Rabbi Assè filius, operi supremam manum imposuit. Sed cum tam ipse, quam maiores ac posterius sui per singulos huius Thalmud libros non solum contumelias & blasphemias, multas & execrabiles aduersus Christum Deum nostrum collegissent; uerum etiam sanctiones, & præcepta plurima conscripissent contra ipsam, quam profitentur, Moyse legem, & contra omne ius gentium, atque omnem naturæ legem, quam ipsi, utpotè homines, seruare tenentur; uisum est summis pontificibus, & aliis

Bb Christianis

Christianis principibus, ut tam nefaria doctrina lectio, atque usus omnibus Iudæis, qui sub ditione Christianorum uiuunt, interdiceretur; & omnes libri Thalmudici toto Christianorum orbe ignibus traderentur; quod etiam saepe factum esse nonnulli fide digni scriptores testantur: inter quos Bernardus Luzemburgius in catalogo hæreticorum libro secundo refert Gregorium Pontificem eius nominis nonum anno domini M^oCC^oXXX^o. omnia Thalmudica uolumina flammis adiudicasse; atque itidem iterum fecisse Innocentium Papam eius nominis quartum anno salutis nostræ MCCXLIII. Rursus cum eadem uolumina à Iudæis instaurata fuissent, & auxilio artis impressoria in infinitum penè numerum propagata, Iulius Papa tertius nouo edicto promulgato inquiri iussit, & anno MDLIII. cum festa tabernaculorum à Iudæis Septembri mense celebrarentur, per omnes Italia urbes exuri. Paulus Papa quartus unà cum sacrosanctæ Romanæ Inquisitionis Senatu anno MDLIX. rursus idem fieri iussit, & Thalmudicos libros inter scripta ab ecclesia catholica damnata, connumerari ueluit. Proinde non possum hic non magnoperè mirari inane studium Petri Galatini ex ordine Minorum; qui, cum in primo de arcanis catholicæ ueritatis libro defensionem Thalmudicorum uoluminum suscepisset, in eam uanitatē deuenit, ut non solum affirmauerit Thalmudica opera in latinum uerti oportere, & publicè in scholis Christianorum explicari; sed hoc ipsum quoque conatus fuerit austruere autoritate Clementis Papæ quinti; qui in concilio Viennensi, eadem sancta synodo approbante; statuit, ut in scholis Christianorum essent præceptores hebrææ, & chaldaicæ linguæ periti, qui libros Iudæorum in latinum transferrent, & ipsorum linguam publicè docerent; sicut in quinto Clementinarum sanctionum uolumine, in titulo de Magistris annotatum est. Hoc quidem Clementis decretum, inquit Petrus, cum intelligi nequeat de hebraicis diuinæ scripturæ libris, quia iam toties traducti fuerant, consentaneum est ipsius uerba intelligenda fore de Thalmudicis Iudæorum operibus, nondum latinè uersis. Iepidum sanè argumentum, & defensore tali dignum; qui non animaduertit Clementis canonem loqui de primis rudimentis, & institutionibus linguarum hebraicæ, & chaldaicæ; quæ magis petendæ sunt ab eis, qui inter Iudæos grammaticas traditiones, & hebraica atque chaldaica dictionaria conscripserunt quam ab ijs, qui Thalmudica scripta collegerunt.



DE C R E V E R A M ipse profectò nullam talium librorum habere mentionem, & omnem doctrinæ huius memoriam, quantum fieri potuisset, silentio abolere: sed quoniam me præteritorum temporum experientia docuit huiusmodi uolumina toties extincta, iterum instar hydræ capita reuiuiscere, permittente id Christianorum principum auaritia, qui quouis paruo precio induci, facultatem instaurandi hos libros Iudæis uendunt; ideo me opere precium facturum existimaui, si turpitudines, impietates, & blasphemias nonnullas Thalmudicis uoluminibus comprehensas, aliqua ex parte manifestarem, annotatis nominatim libris, ubi hæc habeantur. ut, si quando hæc nefaria scripta, quibus adhuc abundant Asia, Africa, Græcia, & Germania, apud nos reuocentur in lucem, habeant pietatis Christianæ propugnatores indicem, quo ueluti manu ducantur ad inueniendos, ac detegendos particulares huius operis libros, ac locos, in quibus prædictæ blasphemie scriptæ sunt; & his detectis, Christianos principes iterum aduersus renascentis hydræ colla inflament. Ut autem facilius & apertius intelligantur eorundem librorum ac locorum citationes, inscriptiones, & argumenta; necessarium duxi hoc loco apponere catalogum omnium Thalmudicorum uoluminum, à me olim transcriptum ex Bibliotheca illa opulentissima Iudæorum Cremonensium; ex qua anno salutis nostræ MDLIX. mandante sacrosanctæ Rom. Inquisitionis Senatu, duodecim Thalmudicorum codicum millia exusta sunt. uolui etiam librorum titulos hebraicis characteribus & punctis annotare, ne appellationes ipsorum, latinis tantum literis scriptæ ita faciliè à scriptoribus possent corrumpi.

CATA-

CATALOGVS VOLVMINVM TOTIVS THALMVD.

A VNIVERSVM תלמוד THALMVD DIVIDITUR in sex ordines, quos סדר feder uocant. quilibet autem סדר feder distribuitur in plures tractatus, qui מסכת Massecheth dicuntur. & hi rursus plura continent capita, quæ פרקים Parachim, hoc est diuisiones, siue distinctiones nuncupantur.

B זרעים ZERHAIM, HOC EST SEMINVM, ORDO PRIMVS, HOS VNDECIM TRACTATVS CONTINENS,

1. ברכות Berachot, id est Benedictionum, siue de benedictionibus & gratiis Deo agendis, continet distinctiones nouem.
2. פאה Phea, id est Anguli, uel de portione messis pauperibus in angulo agri relinquenda, habet distinctiones decem.
3. דמאי Demai, id est Dubitationis, siue de dandis decimis rerum dubiarum, habet distinctiones decem.
4. תרומה Theroma, id est De quinquagesima parte rerum sacerdotibus exhibenda, habet Distinctiones decem.
5. שבועות Ceuiith, id est septimi, siue de septimo anno quiescentis agri, habet distinctiones decem.
6. כלאים Chilaim, id est Commistionum, siue De frugibus, quæ inuicem permisceri nefas est, habet distinctiones nouem.
7. מעשר ראשון Mahafer rascion, id est Decimationis primæ, uel De primis decimis, quæ leuitis dabantur, habet distinctiones nouem.
8. מעשר שני Mascer sceni, id est Decimationis secundæ, quæ post decimas datas leuitis in Hierusalem debebat comedi & consumi, habet distinctiones quinque.
9. חלה Challa, id est Placentæ, uel De prima portione placentæ; quam semper ex massa panis offerre oportebat, habet distinctiones quatuor.
10. ערלה Arla, id est Clausuræ, siue De clausura, quæ fiebat arboribus nuper plantatis in signum, quod ante exactum triennium nemini liceret ipsarum fructibus uesci, habet distinctiones tres.
11. בכורים Bicurim, id est Primitiarum, siue De primitiis ex septem tantum rebus in templo offerendis, habet distinctiones quatuor.

C מועד MOED, IDEST FASTORVM, ORDO SECVNDVS, CONTINENS TRACTATVS DVODECIM INFRASCRITOS.

1. שבח Sciabath, id est Sabbati, uel De Sabbato, & de his, quæ in eo licita sunt, uel non, continet distinctiones quatuor & uiginti.
2. ערוובין Eruuin, id est De conuersationibus, quæ inuicem Iudæis Sabbato licebant, habet distinctiones decem.
3. פסחים Pesachim, id est Paschatum, uel De his, quæ ad Paschatis celebrationem pertinent, distinctiones decem.

Bb 2 שקלים

- 4 **שְׂקָלִים** Sekalim, id est Siclorum, siue De exactione Siclorum, quæ pro emptione agnorum fieri debebat, qui quotidie in sacrificio offerebantur, distinctiones octo.
- 5 **יוֹמָא** Ioma, id est Diei magni, uel De die propitiationis, & in eo faciendis, distinctiones octo.
- 6 **סוּכָה** Succa, id est Casulæ, siue Tabernaculi, uel De festo Tabernaculorum, continet distinctiones quinque.
- 7 **בֵּיצָה** Beza, id est Diei boni, hoc est festi, uel De omnibus, quæ in eo fieri debent, habet distinctiones quinque.
- 8 **רֹאשׁ הַשָּׁנָה** Roshafana, id est capitis anni, uel De his, quæ in solemnitate eius diei facienda sunt; continet distinctiones quinque.
- 9 **תַּעֲנִית** Thaanith, id est Ieiunij, uel de ieiunio, habet distinctiones quatuor.
- 10 **מְגִלָּה** Meghila, id est Historiæ, uel De historia Esther, quæ in solemnitate Marchochai, & Esther legenda est, distinctiones quatuor.
- 11 **מוֹעֵד קָטָן** Moed Katan, id est Festi Parui, siue De diebus festis minoribus, qui inter primum & ultimum diem Paschæ tabernaculorum mediabant, habet distinctiones tres.
- 12 **חֲגִיגָה** Chagiga, id est Solemnitatis, uel de præcepto, quo omnes masculi ter in anno in Hierusalem ad solemnitatem ire tenentur, habet distinctiones tres.

נָשִׁים **NASCIM, HOC EST**
FOEMINARVM, ORDO TERTIVS,
CONTINENS TRACTATVS SEPTM, VIDELICET

- 1 **יְבָמוֹת** Ieuamot, id est Fratriarum, uel De accipienda fratris sine liberis defuncti uxore, continet distinctiones sexdecim.
- 2 **כְּתוּבוֹת** Chetuboth, id est Contractuum, uel De contractibus dotium, & obligationibus mutuis inter maritum & uxorem, habet distinctiones tredecim.
- 3 **נִדָּרִים** Nedarim, id est uotorum, uel De uotis mulierum: habet distinctiones undecim.
- 4 **נָזִיר** Nazir, id est Nazaræi, uel de noto Nazaræorum, à communi uictu separatorum, continet distinctiones nouem.
- 5 **סוֹטָה** Sota, id est Diuersionis, uel De diuersione, quam facit uxor à uiro adherendo alteri uiro, habet distinctiones nouem.
- 6 **גִּטִּין** Ghitin, id est Libellorum repudij, uel De libello repudij, & diuortio, habet distinctiones nouem.
- 7 **קִדּוּשֵׁין** Kiduscin, id est sponfalitorum, uel De sponfalibus, continet distinctiones quatuor.

נִזְקִין **NEZICHIN, HOC EST**
DAMNORVM; SIVE DE DAMNIS,
ordo quartus, continens hos decem tractatus.

- 1 **בְּבֵא קָמָא** Baba Kamma, id est Pars prima, quæ tractat De damnis, quæ tam ab hominibus, quam à brutis fieri solent, habet distinctiones decem.
- 2 **בְּבֵא מְצִיעָא** Baba Mezia, id est Pars media, siue secunda, quæ agit De litibus, iuribus, & usuris, continet distinctiones decem.

בבא בתרא

- A 3 **בְּבֵא בַתְרָא** Bababatra, id est Pars tertia, quæ agit De uenditionibus, & emptionibus, &c. habet distinctiones decem.
- 4 **סְנֵהֲדִרִין** Saneedrin, hoc est Iudicum ordinariorum, & de pertinentibus ad iudicium; item de his, qui partem in futuro sæculo habent; & de Messia, præsertim in capite, qui dicitur Helech; habet distinctiones undecim.
- 5 **מַכּוֹת** Macoth, id est Plagarum, siue De plagis reo infligendis; habet distinctiones tres.
- 6 **שְׁבוּעוֹת** Seuoth, id est Iuramentorum, siue De iuramentis, de quæ rerum custodiis, continet distinctiones octo.
- 7 **עֵדוּת** Hedioth, id est Testificationum, uel De determinationibus, quæ fiebant ex prædecessorum testibus, habet distinctiones octo.
- 8 **עֲבוֹדָה זָרָה** Auoda zara, id est Seruitutis alienæ, uel De idololatria, & de his, in quibus Iudæi gentibus communicare prohibentur: continet distinctiones quinque.
- 9 **אֲבוֹת** Aboth, id est Patrum, in quo agitur de patribus præcæteris, qui à Moyse usque ad Simonem Iustum præcæteris claruerunt: habet distinctiones quinque.
- 10 **חֻרְיֹות** Oraioth, id est Sententiarum, uel De sententiis per iudices Ordinarios determinatis, & de pœnis contrafacientium, habet distinctiones tres.

קִדְשִׁים **CHADASCIM, ID EST**
SANCTIFICATIONVM, ORDO
quintus, continens tractatus undecim, hoc est,

- C 1 **זְבָחִים** Zeuachim, id est Immolationum, uel De immolationibus sacrificiorum, & loco sacrificandi, habet distinctiones quatuordecim.
- 2 **חֻלִּין** Chulin, id est Occisionum, siue De animalibus occidendis pro cibo communi, continet distinctiones duodecim.
- 3 **מְנַחוֹת** Menachoth, id est Farinarum, uel De farinis farinaceis, sacerdotibus in templo offerendis, habet distinctiones tredecim.
- 4 **בְּכוֹרוֹת** Becoroth, id est Primogenitorum, uel De animalium primogenitis siue offerendis, siue redimendis, habet distinctiones nouem.
- 5 **עֲרֻכִין** Erachin, id est Preciorum, uel De precijs rerum, quæ se quis daturum Deo promiserat, habet distinctiones nouem.
- 6 **תְּמוּרָה** Themura, id est Permutationis, uel De permutatione in sacrificijs non facienda, continet distinctiones septem.
- D 7 **מַעֲלָה** Meila, id est Præuaricationis, uel De præuaricatione eorum, qui malè rebus sacrificatis, utebantur, habet distinctiones sex.
- 8 **כְּרִיתוּחַ** Cherithuth, id est Perditionum, uel De animis peccatorum perendis in futuro sæculo, habet distinctiones sex.
- 9 **תָּמִיד** Thamid, id est continui, scilicet sacrificij, uel De continuo duorum agnorum sacrificio, habet distinctiones quinque.
- 10 **מִדּוֹת** Midoth, id est Dimensionum, uel De dimensionibus & mensuris templi, habet distinctiones quinque.
- 11 **קִינִים** Kinim, id est Nidorum, uel De oblationibus pullorum, columbarum, & turturum à pauperibus faciendis, habet distinctiones quinque.

Bb 3 טהרות

טהרות TAHAROTH, ID EST^A

PURIFICATIONVM, ORDO SEXTVS,
CONTINENS HOS TRACTATVS DVODECIM,

- 1 כלים Chelim, id est Vasorum, uel De purificatione uasorum, habet distinctiones triginta.
- 2 אהלוח Ahaloth, id est Domorum, uel De purificandis domibus, in quibus cadauera humana iacuerunt, habet distinctiones decem & octo.
- 3 נגעים Negaim, id est Plagarum, siue Percussionum, siue De purificatione à lepra, & cæteris plagis, habet distinctiones quatuordecim.
- 4 פרה Para, id est Vitulæ, siue De purificatione ex cineribus uacæ rufæ faciendæ, habet distinctiones duodecim. B
- 5 טהרות Taharoth, id est Purificationum, uel De purificatione ab immunditia aliunde, quàm ab humano cadauere, contracta, continet distinctiones decem.
- 6 מקוואות Mikuaoth, id est Congregationum, uel Collectionum aquarum, uel De fonte, & aquis, in quibus baptizabantur homines utriusque sexus, ut ab immunditiis spiritualibus mundarentur, habet distinctiones decem.
- 7 נידה Nida, id est Menstruatæ, uel De purificatione mulieris ab immunditia tam ratione menstrui, quàm partus contracta, continet distinctiones decem.
- 8 משקין Maskin, id est Spermatum, uel De purificatione uirorum ab immunditia ex putrefactione spermatis, per membrum uirile defluentis, habet distinctiones decem.
- 9 זבים Zabim, id est irrigatorum, uel De purificatione irrigatorum ab immunditia per contaminationem contracta, habet distinctiones sex. C
- 10 טיבול יום Tiuul Iom, id est baptizati diei, uel De baptizato eiusdem diei, qui licet per lotionem illius aquæ ab immunditia spirituali esset purificatus, non tamen perfectè, donec sequenti die oblationem in templo faceret pro immunditia, à qua per aquam purificatus fuerat, continet distinctiones quatuor.
- 11 ידים Iadaim, id est Manuum, uel De lauandis manibus uolentium sacra contingere, aut De consecratis comedere, & de uase, & aquis, quibus lauandæ sunt manus, habet distinctiones decem.
- 12 עוקצין Okezin, id est Pedunculorum fructuum, uel quando Pedunculi, quibus poma & reliqui fructus adherent, contaminari dicebantur ex fructuum immundorum contactu, habet distinctiones quinque. D

Summa totius Thalmud continet
tractatus sexaginta tres.

A INDEX ERRORVM ALIQVOT, QVOS EX innumeris stultitiis, blasphemis, & impietatibus Thalmudici operis collegimus; ut ex his paucis aliquod tibi specimen exhiberemus horum execrabilium uoluminum, in quibus infinitæ penè blasphemiarum continentur non solum aduersus Christum Deum nostrum, sed etiam aduersus Mosaicam legem, aduersus naturæ legem, & contra ipsam diuinæ celsitudinis maiestatem.

B ADVERSVS CHRISTVM DEVM NOSTRVM.

Blasphemiarum, quas impij Iudæi in Christum Deum nostrum emittunt, adeo sunt execrabiles, ut animus horreat, manusque refugiat eas scribere: proinde tantum suffecerit hic indicare loca quædam, ubi hæc habeantur.

QVO partu Christus natus sit, & quam habuerit matrem ac patrem. Ordine primo, tractatu nono, uersu quadragesimonono, incipiendo à uerbo, Mehila. **Q**VAE fuerit Christi professio, studium, & ars. Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione quinta, charta decimaseptima.

C **Q**UEM Deum Christus coluerit. Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione secunda, char. 107.

QUA de causa, & quo supplicio Iudæi Christum interfecerint, Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione sexta char. 43.

QVO nunc loco detineatur anima Christi. Ordine tertio, tractatu sexto, charta quinquagesima septima.

ADVERSVS DIVINAE MAIESTATIS CELSITVDINEM.

DEVVS ante mundi creationem, ne ocio torpesceret, exercebat se in extruendis uariis mundis, quos ubi condiderat, paulò post destruebat, atque iterum instaurabat quò ad hunc, quem nunc habemus, Mundum facere didicisset. Ordine primo, tractatu quarto, distinctione tertia.

DEVVS tres primas horas diei totas infumit in lectione legis Iudaicæ. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione decima quarta.

MORSES, cum aliquando ascendisset in caelum, inuenit Deum scribentem accensus in scriptura sancta. Ordine quinto, tractatu sexto, distinctione quinta.

DEVVS die prima nouilunij mensis Septembris iudicat uniuersum orbem; reliquis deinde sequentibus decem eiusdem Lunæ diebus applicat se ad scribendum iustos in libro uitæ, malos uerò in libro mortis. Ordine secundo, tractatu octauo, distinctione quinta.

DEVVM quotidie orationes, ac preces deuoto animo facere. Ordine primo, tractatu primo, distinctione prima.

DEVVM habere locum quendam separatum, in quo statutis temporibus; multis cum lachrimis deflet, ac se ipsum affligit, quòd Iudæis iratus, templum euerterit Hierosolymitanum, & populum suum in captiuitatem disperferit. Ordine secundo, distinctione quinta, & ordine primo, & distinctione septima.

DEVS quotidie imponit sibi circa caput & brachia uittas, siue coriolas quadam coriaceas, Thephilin appellatas; inquitq; se ipsum tunica quadam linea, quæ zizith nuncupatur; atque hoc modo ornatus, procumbit in genua, & orat. Ordine secundo, tractatu octauo, distinctione quinta.

DEVM præcipisse populo Iudæorum, ut singulo quoque nouilunio sacrificium expiationis peragant ad expiandum scelus perpetratum à Deo, quando lumen, quod iniuste à Luna ademerat, soli attribuit. Ordine quarto, tractatu sexto, distinctione prima.

DEVS, quoties reminiscitur calamitates, quas Iudæi à Gentibus patiuntur, lachrymas duas effundit in mare Oceanum, & præ dolore, pectus utraque manu contundit. Ordine primo, tractatu primo, distinctione nona.

DEVS tribus postremis diei horis laxandi animi gratia iudebat olim cum pisce quodam uastæ magnitudinis, qui Leuiathan appellatur. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione quartadecima; & ordine quarto, tractatu octauo.

DEVS ignota de causa indignatus pisci magno Leuiathan, ipsum occidit, carnesq; eius sale condidit; ut ex his cibum ministraret animabus sanctorum in futuro sæculo. Ordine quarto, tractatu tertio, distinctione quinta.

DEVM semel quotidie irasci, & tunc cristæ Gallorum gallinaceorum ruborem amittunt, ipsiq; interim uno pede stant. tunc, si quis eodem momento alicui maledixerit, is statim concidet mortuus. Ordine primo, tractatu primo.

DEVM creasse elementum ignis in die Sabbati. Ordine secundo, tractatu tertio, distinctione quarta.

CVM olim Rabbinus quidam aduersus Rabbi Eliezer disputationem iniissent; Deus, uoce cælitus demissa, sententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit; quæ obrem indignati Rabbinus, Deum Anathematis pœna damnarunt. tum Deus ipse subridens, Filij, inquit, mei me uicerunt. Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.

CVM Deus die quadam in cæli curia differeret de speciè quadam lepræ, quam ipse mundam esse aiebat, cæteris dissentientibus Rabbinis, qui immundam esse affirmabant, lis tandem communi omnium assensu deuoluta est ad sapientissimum quendam Rabbinum; qui cum sententiam proferre pararet, statim eius anima relicto corpore, uociferari cœpit, Mundam, Mundam. Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.

TANTA fuit olim in Rabbinis quodam prudentia, ut Diabolum simul, & Deum hoc astu eluserit. Cum Rabbinus in extremo uitæ articulo laboraret, Diabolum precibus exorat, ut se iam iam moribundum ad portas usque cælestis regni deducat: ut, inspecto inde loco diuinæ habitationis, lætus ex hac uita decedat. hanc gratiam cum diabolus ueteri amico præstitisset, Rabbinus illico se intra portas cæli coniciens, iurauit per Deum uiuentem se nunquam inde recessurum. qua de causa coactus est Deus hominem apud se retinere, ne illum periurum faceret. sicq; hac una arte, prudentissimus uir Deum, ac diabolum simul fefellit.

ADVERSUS SANCTOS VETERIS TESTAMENTI.

CVM Angelus Gabriel graue flagitium commississet, Deus iussit eum igneo flagello flagellari, Ordine secundo, tractatu quinto distinctione octaua.

ADAM cum omnibus animantibus tam masculis, quam fœminis coiuuit; neque unquam appetitui suo satisfecit, nisi posteaquam cum Eua concubuit. Ordine tertio, tractatu primo, distinctione sexta.

CORVVS, emissus à Nohe tempore diluuij, nolebat ex arca discedere. timebat enim, ne post discessum suum Nohe cum cornice uxore sua coiret. Ordine quarto, tractatu quarto.

IOB nunquam fuisse in humanis, & historiam eius esse confictam. Ordine, quarto, tractatu tertio.

DAVID

DAVID in adulterio, & homicidio non peccauit; & quicumque eum in his peccasse crediderit, hæreticus est. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione quinta.

ADVERSUS LEGEM MOSIS.

QVOD licitum sit cum propria uxore masculino concubitu uti. quare, cum duæ mulieres de hac re essent apud synagogam conquestæ, responderunt Rabbinus uirum esse uxoris dominum, proinde posse eum uti corpore uxoris suæ, utcunque uoluerit, non aliter, quàm ille, qui piscem emit: is enim tam anterioribus, quàm posterioribus piscis eius partibus ad arbitrium uesci potest. Ordine tertio, tractatu tertio, distinctione secunda, & charta uigesima, facie secunda.

SI quis aut filiam suam, aut sororem suam sibi matrimonio iunxerit; is rem Deo facit gratissimam. Ordine secundo, tractatu primo.

RABBINVM, qui non oderit hostem suum usque ad mortem, & qui uindictam aduersus eum non quæserit, indignum esse nomine Rabbinus. Ordine quinto, tractatu primo, distinctione secunda.

GRAUIVS plectendos esse eos, qui contradicunt uerbis scribarum, quàm uerbis Mosaicæ legis, quibus qui contradixerit, absolui potest; qui uerò uerbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur. Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione decima.

SI testes de falsitate conuicti fuerint, puniri debent pœna talionis: quòd si contigerit iniuste accusatum fuisse damnatum, & ita pœna affectum; tunc falsi testes absolui debent, & nulla pœna puniri. Ordine quarto, tractatu quarto.

SI quem maior pars Iudicum ad mortem damnauerit, is mori debet: si uerò omnes, nullo excepto, in eius damnatione consenserint: absoluaatur. Ordine quarto, charta decima septima.

SI quis marsupium loco publico inuenerit, sciueritq; eius dominum iam de inuentione marsupij desperasse; non tenetur ad restitutionem marsupij. Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione quinta.

ADVERSUS CHARITATEM, ET HVMANITATEM.

STATVIMVS, ut quilibet Iudæus ter in die blasphemet omnem Christianorum gentem; ac Deum precetur, ut confundat, exterminetq; ipsam cum regibus, & principibus suis: atque hoc maxime faciant sacerdotes Iudæorum in synagoga ter quotidie orantes, in odium Iesu Nazaræni. Ordine primo, tractatu primo, distinctione quarta.

DEVM præcepisse Iudæis, ut quouis modo, siue dolo, seui, siue usura, siue furto facultates Christianorum sibi uendicent. ibidem.

PRAECIPITVR item omnibus Iudæis, ut Christianos omnes loco brutorum habeant; nec aliter eos tractent, quàm bruta animalia. Ordine quarto, tractatu octauo.

SI bestia Iudæi occiderit bestiam Christiani, non tenetur Iudæus pro ea precium soluere: si uerò bestia Christiani Iudæi bestiam occiderit, tenetur Iudæus cogere Christianum ad bestie solutionem. Ordine quarto, tractatu primo, distinctione quarta, charta trigesima octaua.

IUDAEVS gentilibus neque boni, neque mali quicquam faciat: Christianum uerò omni studio atque industria conetur de uita tollere. Ordine quarto, tractatu octauo, distinctione secunda.

SI quis Hebræus, dum uult occidere Christianum, fortè fortuna Iudæum occiderit, absolutione dignus est. Ordine quarto, tractatu quarto, & nono.

SI quis Iudæus Christianum præcipitio propinquum inspexerit, ipsum statim præcipitare tenetur. Ordine quarto tractatu octauo. cui in eodem tractatu concordat autor Rauafez distinctione secunda, charta 355. facie secunda, & uolumen.

Cc Arba

hac uita peccator decedet; & post hanc uitam, æternæ damnationis supplicio ple-
 cetur. nam de flagitiosa uita eorum, qui in hoc libro non sunt, testis est Ioannes
Apoc. 13. inquiens: ADORAUERUNT bestiam omnes, quorum non sunt scripta nomina in
Apoc. 17. Libro Vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Et iterum, MIRABUNTUR
 bestiam in habitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in Libro Vitæ à con-
 stitutione mundi. De sempiterno quoque eorumdem interitu idem Ioannes ad-
Apoc. 20. dit: HÆC est mors secunda: qui non inuentus est in libro Vitæ scriptus, missus est
 in stagnum ignis. Est igitur Liber Vitæ Primus constans atque perpetua in men-
 te Dei prædestinationis cognitio de qua Paulus, ad Timotheum scribens, dixit:
2 Tim. 2. FIRMVM fundamentum Dei stat, nouit dominus, qui sunt eius.

Cæterum nonnulli, quibus non omnino placet Librum Vitæ esse prædestinationis
 notitiam, solent aduersus prædicta his rationibus uti. Primùm, quòd notitia præ-
 destinationis non omnes, sed aliquos tantùm, eosque admodum paucos continet
 electos: Liber autem Vitæ omnes, quot quot sunt, homines comprehendere uide-
 tur, iuxta illam Dauidis sententiam: IN libro tuo omnes scribentur. Omnes,

Psal. 138. hoc est non solum perfecti, sed etiam, ut ait Augustinus, imperfecti. Deinde, cum
 æterna fixa & indelebilia sint diuinæ prædestinationis decreta; non potest agnitio
 prædestinationis rectè significari, & exprimi per librum uitæ; in quo & deleri, quæ
 scripta fuerunt, & iterum deleta rescribi, diuinæ literæ multis in locis testantur,
 præsertim in Exodi uolumine: ubi Deus ad Moysen ait: QVI peccauerit mihi,
Exod. 32. delebo eum de libro meo. & in Apocalipsis, QVI uicerit, non delebo eum de
Apoc. 3. Libro Vitæ; & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.

& Dauid inter alia mala, quæ impiis imprecatur, ait: DELEANTUR de Libro Vi-
 tæ, & cum iustis non scribantur. Postremò liber Vitæ esset ipsa electorum, ac præde-
 stinatorum conscriptio; Moyses nunquam optasset, ac petiisset de hoc ipsa libro de-
 leri, inquiens; DOMINE dimitte eis hanc noxam; aut, si non facis, dele me de li-
Exod. 32. c. bro tuo, quem scripsisti. ut enim nullus sapiens petere debet ea fieri, quæ nullo
 modo fieri posse iam nouit; ita nullus; qui uerè Deum diligit, optare debet, aut po-
 test, se ex numero amicorum, & electorum Dei abiici, & ab æterna diuinæ maie-
 statis fruitione excludi.

HIS ARGUMENTIS facilè respondetur, Sententiam scilicet illam psalmi 138.
 non ad omnes tam reprobos, quàm electos pertinere, sed ad solos electos, de quibus
 dixit Dauid: IN libro tuo omnes scribentur. Omnes, uidelicet quicumque electi
 sunt ante mundi constitutionem ad uitam æternam; siue illi perfecti sint, siue adhuc
 sint in uia uirtutis imperfecti. Quod autem aiunt librum Vitæ diuersum esse ab æter-
 næ prædestinationis conscriptione, quia ille deleri & immutari queat, hæc uerò pro-
 fus immobilis sit, & indebilis: dissoluit Augustinus in expositione psalmi sexagesi-
 mioctauo, inquiens, neminem deleri de libro Vitæ secundum rei ueritatem, quia si
 homo de titulo, quem inscripserat dominicæ cruci, dixit, QVOD SCRIPSI, SCRIP-
 SISTI; quanto magis Deus, quod scripsit, permanere uolet indeletum. Sed deleri
 quidam dicuntur secundum quorundam hominum opinionem ac spem, qui se in li-
 bro Vitæ, in quo nunquam scripti fuerant, scriptos putabant. iuxta quam locutio-
 nem dictum est, DELEANTUR DE LIBRO VIDENTIUM, id est etiam ipsis innote-
 scat, & constet se nunquam in libro Dei fuisse conscriptos. Alio quoque modo ex
 Augustini doctrina respondet diuus Thomas in 25. quæstione primæ partis, quos-
 dam in libro Dei simpliciter, hoc est secundum æternæ prædestinationis proposi-
 tum ad uitam æternam consequendam scribi; & hoc deleri non posse; quosdam ue-
 rò secundum aliquid, hoc est secundum solam gratiam præsentis iustitiæ; & hos
 deleri posse, quia non pro æterno tempore, & ad æternam gloriam consequendam
 fuerant in libro Vitæ indebiliter scripti, sed ad breue tantùm præsentis gratiæ
 tempus debilibi scriptura designati. Quam quidem sententiam, alij diuersis uerbis
 exprimentes dicunt librum Vitæ scriptum esse intus & foris; & alios esse intus scri-
 ptos, qui nequaquam deleri possunt: alios uerò foris & extrinsecus; quos & deleri,
 & iterum deletos rescribi posse, nihil prohibet.

Sunt

SVNT etiam, qui tertiam addant responsionem huic assemilem, dicentes duos esse
 libros Vitæ; alterum, in quo soli scribuntur hi, quos Deus ad sempiternam beatitu-
 dinem ex decreto infallibilis & immutabilis prædestinationis destinauit; & ex hoc
 nullum ex conscriptis deleri: alterum, in quo scribuntur hi, qui secundum hanc præ-
 sentem iustitiam, & temporalis gratiæ dispositionem uiuunt, tamdiu in eo scripti
 permanentes, quādiu gratiam Dei exercentes Deo grati uiuunt; delentur autem,
 statim ut, reiecta Dei gratia, iustè uiuere desierunt. Ad id uerò, quod addunt
 Moysen, sapientissimum uirum, & Dei amantissimum, nequaquam fuisse petitu-
 rum se deleri de libro Vitæ, si liber ille indelebilem prædestinationum scriptu-
 ram contineret; uariæ sunt patrum responsiones, ostendentes hanc Moysis petiti-
 onem sententiæ nostræ minimè aduersari. quas hoc loco referre non piget, ut ex his
 possit unufquique eam eligere, quæ sibi magis arriserit.

HIERONYMVS in quæstione nona ad Algasiam secutus sententiam Origenis, quæ
 habetur in commentariis epistolæ ad Romanos, ait, Moysen ex charitate erga Deum
 ac populum suum noluisse deleri de libro Vitæ in perpetuum, sed in præsentiarum;
 non in spiritu, sed in carne; hoc est per mortem corpoream, sicut & Paulus optauit
 anathema fieri pro fratribus suis; hoc est tota die iuxta psalmi sententiam mortifi-
 ficari, solus pro illis perire in carne, & sanguinem fundere, ut fratres sui seruari-
 entur in spiritu.

IOANNES CHRYSOSTOMVS in libro De compunctione cordis, & libro tertio
 De prouidentia Dei, & homilia sextadecima in epistolam ad Romanos reicit sen-
 tentiam eorum, qui Moysen, & Paulum, de temporali morte locutos, arbitrantur.
 QVOMODO enim, inquit, optasset Paulus à Christo anathema fieri, hoc est separari
 ab eo per mortem carnis, cum mors ipsa magis ad eum chorum, qui cum
 Christo est, coniungat, & ipsius gloria potiri faciat? uermiculorum est itaque in
 luto latitantium ista suspicio, uterque enim tam Moyses, quàm Paulus, cum hæc
 dicerent, non solum cogitatione transcenderunt omnes præsentis uitæ agones ac
 mortem, sed etiam pro Deo, quem magis, quàm se ipsos diligebant; cœlos, & an-
 gelos supergredientes, omnia inuisibilia spreuerunt, ac pro Dei amore ab ipsa Dei
 fruitione, & ineffabili gloria excidere non tantùm petierunt, sed, quod auctius
 est, etiam optarunt. ita enim totam eorum mentem inexplebilis charitatis affectus
 deuicit, ut etiam id, quod præ cæteris amabilius erat, frui Deo contemnerent, &
 cœlorum regno, diuinæque fruitioni, quam expectabant, laborum remuneratio-
 nem, cedere paterentur; ne scilicet Deus tantopere ab ipsis dilectus ab impiis irri-
 deretur, blasphemareturque; quòd cum pollicitationes populo suo, quem elegerat,
 factas implere non posset, illum destruxisset, & in eius bona alias gentes, quæ
 nunquam eum agnouerant, introduxisset.

AVGVSTINVS in quæstione centesima quadragesima septima in librum Exodi in-
 quit, Moysen ex ingenti quadam diuinæ familiaritatis securitate tali Deum ratio-
 cinatione interpellasse; Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo:
 sed non delebis me de libro tuo, in quo me indelebili caractere conscripsisti; di-
 mitte igitur eis hanc noxam. Quod argumentationis genus dialecticorum uul-
 gus deducere solet ex regula illa: A tota disiunctiua affirmatiua cum destructione
 unius partis ad alteram eius partem: ualet argumentum. ueluti si dicamus, Necessè
 est animum aut esse mortalem, aut immortalem: atqui mortalis non est: igitur im-
 mortalis.

EVTHYMIVS ZIGABENVS in psalmis sexagesimo octauo, & centesimo trigesimo
 nono sic scribit: LIBER Dei est summa eius scientia; scriptura uerò, perpetua
 memoria. per libros enim uariam ac multiplicem Dei cognitionem diuinæ literæ fi-
 guratè intelligunt. uerùm hic diuinæ scientiæ liber triplex est: quorum unus magis
 est uniuersalis; in quo omnes tam iusti, quàm peccatores, qui in hanc mortalem ui-
 tam uenturi sunt, & paulò post morituri, scribuntur. quem Dauid in psalmo sexa-
 gesimo octauo librum uiuentium appellauit; & quem in psalmo centesimo trigesimo
 octauo significauit inquiens: IN libro tuo omnes scribentur. Alius etiam liber

C c 3 est

est scientiæ Dei magis priuatus; in quo soli iusti scribuntur, ea ratione, quòd eos tantum cognoscere, hoc est approbare dicatur iuxta id, quod scriptum est: **NOVIT dominus uiam iustorum.** quem nobis Dauid indicauit, dicens: Et cum iustis non scribantur. Est & tertius particularis liber, in quo peccatores scribuntur. Iudicium enim, ut inquit Daniel, sedit; & libri aperti; & ex his indicati sunt uiuentes, & mortui. Moyses ergo de primo illo uniuersali libro dixit ad Deum: si quidem dimittis eis peccatum; dimitte: si minus; dele me de libro, quem scripsisti.

BERNARDVS sermone duodecimo in Canticum Canticorum putat Moysen non in hunc sensum petiisse deleri de libro Vitæ, ut à gloria æterna excluderetur, sed magis hoc ex paterno quodam affectu postulasse; uidelicet ne solus ipse absque gente sua scriptus permaneret in libro Vitæ, solusque ipse in æternam felicitatem introduceretur excluso populo suo; ceu si paupercula quædam mulier, inuitata ad prandium diuitis sub hac conditione, ut infantulum, quem sinu gestat, foras relinquat, quia plorat, & futurus sit conuiuio molestus, respondeat malle se ieiunare, quàm exposito pignore charo, sola prandere cum diuite. ita nec Moyses uult solum se introduci in gaudium domini sui, foris scilicet remanente populo; cui, licet inquieto & ingrato, uice pariter & affectione matris inhæret.

RUPERTVS, Abbas Tuitiensis, libro tertio commentariorum in Exodum scribit Moysen uoluisse his uerbis conuincere Deum, ut ignosceret populo; eumque tali usum fuisse argumento: Si non dimittis eis hanc noxam; dele me de libro tuo. quare? quia & ego homo peccator sum. si ergo peccantibus peccata non dimittis; sed eos deles de libro uitæ; solique apud te scripti permanent iusti: consequens est, ut etiam ego peccator de libro tuo deleat. Sensus igitur est: si non dimittis eis hanc noxam; dele me de libro Vitæ. id est, consequens est, ut deleas me de libro uitæ.

HVGGO, presbyter Cardinalis, in expositione psalmi centesimi trigesimi octauo ait geminos esse libros uitæ, alterum præsentis iustitiæ, & gratiæ, de quo Moyses ma- luit deleri, quàm populum perdi; alterum sempiternæ prædestinationis, de quo Moyses non optauit deleri, sciens, quòd de eo nemo deleri posset.

THOMAS Caietanus Cardinalis S. Xysti in commentariis Exodi credit hunc librum esse ordinationem diuinæ prouidentiae circa eos, qui in hoc mundo futuri sunt principes: & hanc librum principatus appellat. statutum enim est in mente diuina, & in ipsa, tanquam in libro, diligentissimè exaratum, qui, & quot, & quales in hac uita futuri sint inter mortales principes, duces, ac reges. quoniam uerò dixerat Deus Moysi, **DIMITTE** me, ut irascatur furor meus contra populum, & deleam eos; te autem faciam in gentem magnam: intellexerat Moyses Deum scripsisse eum in libro principatus, ex hoc, quòd etiam si destrueretur populus ille, Deus nihilominus constitueret ipsum principem super gentem magnam. ideo perit, quòd aut condonet peccatum hoc, aut deleat ipsum de libro principatus; significans per hoc, quod non uult esse princeps alterius gentis, si gens ista consumitur.

NICOLAUS LYRANVS ait, quòd quemadmodum seruator noster secundum uoluntatem partis sensitivæ, mortem reformidantis, petiit à se transferri calicem passionis, quem uoluntas rationalis ardentissimè appetebat: sic Moyses secundum desiderium partis animæ inferioris petiit à Deo deleri de libro Vitæ: quod tamen secundum portionem animi superiores fieri uolebat: explicans hac precatione, non quid ipsa mens Deo consentiens uellet, sed quid ipsa carnis uoluntas carni suæ, hoc est populo suo compatiens desideraret.

ALPHONSVS, episcopus Abulensis, in commentariis super Exodum docet hoc dictum non esse intelligendum iuxta nudam simplicemque uocis significationem, sed secundum hyperbolicum tropum; quo ardentissimum afflagitæ rei desiderium exprimere solemus, dicentes: Aut hoc mihi concede, aut moriar. quem quidem tropum usurpauit Rachel, cum ad uirum suum diceret: **AVT** da mihi liberos, aut moriar. non, quòd liberos uitæ præferret, hoc dixit; sed ut uehementissimum habendæ prolis desiderium hac patheticæ locutionis figura hyperbolicè demonstraret.

RABBI

RABBI MOYSES Gerundensis tradit Moysen uix sui compotem, & penè extra se raptum magis hæc ex impetu abundantissime charitatis, quàm ex deliberatione rationis protulisse.

RABBI Salomon Iarchi Gallus exponit, **DELE ME DE LIBRO TVO**, hoc est, Dele de libro legis nomen meum, ne memoria nominis mei habeatur in eo, mallens memoriam rerum, à se gestarum, perpetua obliuione deleri, quàm populum perdi. Atque hæc de primo libro Vitæ, sint satis dicta.

VITAE LIBER SECUNDVS, qui & Liber mandatorum Dei dicitur, est sacrosancta ac diuina scriptura, merito Liber Vitæ appellatus, quod in ea promissiones æternæ uitæ, unà cum præceptis ad uitam æternam consequendam necessarijs continentur. de quibus loquens sapientissimus filius Syrach dixit: **HAEC omnia liber Vitæ, testamentum altissimi, & agnitio ueritatis.** & propheta Baruch;

HIC liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum. qui tenent eam, peruenient ad uitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. & Christus, de hoc libro legis peritos uerba faciens, inquit: **SCRVTAMINI** scripturas, in quibus patetis uos uitam æternam habere. Dicitur etiam diuina scriptura Liber Vitæ, quia argumentum, scopus, finis, atque uniuersa intentio totius sacrosanctæ scripturæ Christus est, qui se ipsum ubique appellat Vitam, & Vitam nostram; unde etiam in psalmo trigésimono dicitur: **IN** capite libri scriptum est de me. quod

ARNABIUS, & **AUGUSTINUS** exponunt de libro psalmorum in cuius principio scriptum est: **BEATVS** uir, qui non abiit in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit. quæ sanè uerba nulli magis conuenire possunt, quàm Christo; qui solus sine peccato est. Tertullianus uerò in libro contra Praxeam, & Hilarius in expositione psalmi secundi intelligunt per Caput libri initium totius diuinæ scripturæ: ubi pro eo, quod nos legimus, *In principio creauit Deus caelum & terram.* quod falsum esse ipsius rei ueritas comprobatur. non enim in hebræo legitur **בְּרֵאשִׁית** be ben, hoc est In filio, sed **בְּרֵאשִׁית** berecith; quod septuaginta interpretes, & Symmachus, & Theodotion, & Hieronymus interpretati sunt, In principio. quod tamen principium Hieronymus, Augustinus, & Gregorius asserunt iuxta mysticum & spiritualem sensum, significare Christum Dei filium: qui tam in ipsa fronte Geneseos, quæ caput librorum omnium est, quàm etiam in principio Ioannis Euangelistæ, cæli & terræ conditor approbatur. ubi dicitur, **OMNIA** per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil.

VITAE LIBER TERTIVS est ille, qui in reuelatione Ioannis appellatur **Τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς τῆς ἀγνῆς, ἐσφαγμένον ἀπό καταβολῆς κόσμου**, hoc est *Liber Vitæ Agni, occisi ab origine mundi.* Est autem agnus hic saluator noster, quem haud dubium est mactatum fuisse propter peccata nostra. quanquam non ita manifestum sit omnibus, quomodo is ab ipsa prima orbis constitutione fuerit interfectus. Quidam expositores, inter quos est Rupertus Abbas Tuitiensis, aiunt dictionem illam, Ab origine mundi, non esse referendam ad occisionem Agni, sed ad illos, quos Ioannes dixerat non esse scriptos in libro Vitæ. ita ut per transpositionem legendum, & intelligendum sit, Quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi in libro uitæ Agni, qui occisus est. Alii uerò, & fortè rectius, occisionem Agni coniungi uolunt cum ipsa mundi origine: in qua primùm agnus mactari cæpit, non quidem in se, cum nondum carne amictus esset, sed in membris & electis suis, in quibus ipsum impij à prima statim mundi constitutione affligere cœperunt, occidentes eum in Abel, irridentes in Nohe, eiicientes in Abraham, persequentes in Iacob, accusantes ac uedentes in Ioseph, exulem facientes in Moysen; qui, ut ait Paulus, prætulit improprium Christi omni thesauro Aegyptiorum, magis eligens affligi cum populo, quàm in aula Pharaonis loco filij haberi. Quæcunque igitur ante aduentum Agni in carnem membra eius passa sunt, Agnus ipse pertulisse intelligitur: sicut etiam post resurrectionem Christi persecutiones, seruis suis à Saulo illatas, Christus ipse sibi ipsi inferri testatus est, inquit: **SAULE** Saule quid me persequeris? occisus est etiam Agnus ab ipsa prima mundi conditione, non

solum

solùm temporali, sed æternã ab initio & ante sæcula & tempora sæcularia in beata **A** illa diuinã mentis præscientia ac prædestinatione, in qua Deus uno eodemq; momento statuit mundi creationem, præuidit mundi perditionem in Adæ peccato, & præordinauit Christi mortem pro totius mundi uita, quod Apostoli post saluatoris assumptionem apertè cognoscentes, dicebant: *DOMINE*, qui fecisti cælum, & terram . . . uerè conuenerunt aduersus Iesum Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium decreuit ab æterno fieri. Mactatus est quoque Agnus ab origine mundi, quia ab orbe condito usque ad humanitatis nostræ susceptionem per diuersas fluentis sæculi ætates uariis & innumeris figuris, typis, umbris, mysteriis, sacramentis, oblationibus, oraculis, uaticiniis, libaminibus, hostijs, uictimis, & sacrificiis ueteris testamenti adumbratum est, & præmonstratum unicum illud ac sempiternum sacrificium; quo Agnus occisus in ara crucis obtulit semet ipsum Deo uiuenti in odorem suauitatis. Hic igitur Agnus, in cruce sublatus & occisus, liber Vitæ appellatur, non ob id tantum, **B** quod mors eius sit uita nostra; uita, inquam, & resurrectio à morte peccati, uita præsentis gratiæ, & uita sempiternæ felicitatis: sed quia Christus, in ligno crucis exaltatus, sit ueluti quidam celebris & conspicuus liber non papyro ac membranis, uerùm in ipsa Christi carne & membris aptatus; non atramento minio uel concriptus, sed spinis, clauis, flagellis, & lanceis à capite usque ad calcem exaratus, & gemino ligno crucis quasi intra duas tabellas compaginatus & conclusus. ex quo quidem libro potest quilibet Christianus sumere perfectissimam Christianæ uitæ institutionem. neque ullus est, quantumlibet rudis & hebes, homuncio, qui, modò uelit, in ipso ueluti in compendio non statim & quasi unico intuitu legere & ediscere ualeat, quæcunque sunt ad piam & uerè Christianam uitam necessaria; innocentiam singularem, humilitatem, obedientiam, altissimam paupertatem, sublimen totius mundi contemptum, assiduam patientiam, dolorum tollerantiam in- **C**credibilem, ardentissimam charitatem, & cæteras omnes uirtutes ad æternæ beatitudinis aditum maximè necessarias. ob id enim liber Vitæ agni expansis totius carni uoluminis paginis in cruce, tanquam in ypobiblio, aperiri extendiq; uoluit; ut in ipsa crucis forma & affixi corporis effigie legeremus, & ceu in speculo contempleremur, qualem deceat esse formam & exemplar optimi Christiani; nempe ut se ad imaginem crucifixi hominis componat: hoc est, ut non solùm abnegato se ipso, crucem suam tollat quotidie, & sequatur Christum; sed, quod etiam operosius, & gloriosius est, totum corpus, & animam suam, manus, pedes, & opera extendat in seruitium Dei; & carnem suam cum omnibus uitijs concupiscentijs, & carnalibus desiderijs ita cruci affigat, ut piè gloriari possit cum Paulo dicens Christo, Confixus sum cruci. itémq;, Ego stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Et rursus, Mihi mundus crucifixus, & ego mundo. Hic est igitur liber uitæ **D** Agni, occisi ab origine mundi; quo inspecto, nemo est nisi prorsus amens, aut omnino impius, qui non subito cogatur agnoscere, quæ ratione sibi uiuendum sit.

Mt. 4.

Gal. 2. Gal. 6.

VITAE LIBER QVARTVS, siue Liber uitæ præteritæ. hic alio nomine dictus est à Ioanne Liber uitæ uniuersiusque, sic enim habet editio, quam ex uigesimo capite Apocalypseos citat, atque exponit Augustinus in libro uigesimo de Ciuitate Dei, & homilia decima septima in Apocalypsim, *Και βιβλίον άλλο, κλειστόν; ὃ ἐστὶ τῆς ζωῆς ἐνδοξῆς.* hoc est, *Et alius liber apertus est, qui est uita uniuersiusque.* Hunc librum dicunt theologi esse diuinam quandam uim, cuius uirtute in diè iudicii ita reducentur unicuique in memoriam præterita gesta sua, & ante oculos mentis ponentur, quòd nulli tunc licebit uel ignorare, uel dissimulare, uel abscondere peccata sua. De hoc etiam libro Augustinus in quartodecimo capite libri uigesimi de Ciuitate Dei hæc scribit: Et uidi, inquit Ioannes, mortuos magnos, & pusillos: & aperti sunt libri: & alius liber apertus est, qui est uita uniuersiusque: & iudicati sunt mortui ex ipsis scripturis librorum secundum facta sua. liberos dixit esse apertos, & librum: sed librum, cuius modi sit, non raquit. *Qui est uita,*

Apoc. 20.

ta, inquit, uniuersiusque. Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendū sunt sancti & ueteres, & noui; ut in illis ostenderetur, quæ Deus fieri sua mandata iussisset: in illo autem, *Qui est uita*, quid horum quisque non fecisset, siue fecisset. Qui liber si carnaliter cogitetur: quis eius magnitudinem, aut longitudinem ualeat æstimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptæ sunt uniuersæ uitæ uniuersorum? an tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit; ut & uitam suam quisque ab Angelo sibi adhibito audiat recitari? Non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura uerò ista unum uolens intelligi, & alius, inquit, liber apertus est. Quædam igitur uis est intelligenda diuina: qua fiet, ut cuique opera sua, uel bona uel mala, cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuset, uel excuset scientia conscientiam: atque ita simul & omnes, & singuli iudicentur. quæ nimirum uis diuina nomen libri accepit. in ea quippe quodammodo legitur, quicquid à faciente tercolitur. Hæc Augustinus, ad cuius sententiam respexisse uidetur autor eius inconditi Rythmi, quem ecclesia in sacris defunctorum mysterijs decantat:

B

*Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde Mundus iudicetur.*

VITAE LIBER QVINTVS, & omnium ultimus, qui & liber Vitæ æternæ dicitur, est beata & sempiterna Christi filij Dei secundum diuinitatem præsentia; cuius conspectus æternam gloriosæ uitæ felicitatem spectatoribus suis elargitur. de quo libro Augustinus in tractatu de triplici habitaculo cap. 4. sic loquitur. *IN ILLA* cœlesti urbe cibus & potus omnium erit uisio Christi & sanctæ trinitatis, & contemplatio puro cordis oculo ipsius diuinitatis, & assidua lectio, ut ita dicam, libri Vitæ, id est æternæ ueritatis, & summæ sapientiæ, & uerbi Dei; quæ est Christi Iesu uisio. ubi quicquid nos nunc latet, manifestum erit: ubi ratio manifesta erit, cur hic electus est, & iste reprobatus: cur hic in regnum assumptus, & ille in seruitutem redactus: cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in iuuentute, alius in senectute: cur alius pauper, & alius diues: cur filius adulteræ baptizatur, & aliquando filius legitimæ coniugis ante baptismum moritur: cur, qui bene incipit uiuere, aliquando male finit; &, qui male incipit, sæpe bene finit. Hæc omnia & huius modi multa in libro Vitæ planè & aperta omnibus erunt. Hucusque Augustini uerba; ad quæ olim in epitaphio Cypriani, præstantissimi theologi; hoc disticho allusimus:

*Sacrarum si quid rerum te forte latebat;
In libro uitæ nunc Cypriane legis.*

Sunt etiam, qui arbitrantur per hunc ultimum librum Vitæ significari creatum quoddam lumen, ab illo increato, Vitali, ac perenni fonte diuinæ lucis in perpetuum profluens: cuius creati luminis splendore perfusus animus noster, suapte natura cæcutiens, & ad contuendam incomprehensibilem Dei maiestatem inualidus, **D** hebetudinem caligantium oculorum deponit, & ad sublimitatem diuinæ uisionis extollitur. de quo uolumine, ac uitali eisdem luminis fonte David in psalmo cecinit. *QVONIAM* apud te est Fons Vitæ, & in lumine tuo uidebimus lumen. & *Apoc. 21. f* Ioannes in Apocalypsi, de societate beatorum Deum uidentium loquens, *NON* egebit, inquit, amplius lumiæ Solis, quia claritas Dei illuminabit illam. Et Christus de eodem lumine addidit: *QVI* sequitur me non ambulat in tenebris; sed habebit lumen Vitæ. quod sanè Vitæ lumen iuxta horum sententiam idem est, quod liber Vitæ.

VOLVEMEN Libri, hebraicè *מגילת ספר* Meghilath Sepher, pro quo à septuaginta ponitur *κεφάλαιον βιβλίον*, hoc est Capitulum libri, & à Hieronymo Inuolutus liber; genus est chartæ oblongæ, circa se ipsam in modum spiræ complicabilis, more Orientalium; qui sic conuoluunt etiam hac tempestate libros suos. huiusmodi librum, magnis refertum arcanis Ezechiel propheta sibi in uisione ostensum, describit in secundo capite prophetiæ suæ his uerbis: *Et uidi*, & ecce ma-

Ioan. 8.

Ezech. 2. d

nus missa est ad me, in qua erat inuolutus liber: & expandit illum coram me, qui **A** erat scriptus intus & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & uæ, & dixit ad me, Fili hominis comede uolumen istud, & uade loquere filiis Israel. & aperui os meum: & cibauit me uolumine illo . . . Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. Quæ uerba Rabbi Dauid Kimchi sic exponit: **VOLUMEN** libri significat scientiam prophetiæ, & autoritatem prophetandi Ezechieli diuinitus exhibitam. quæ uerò in ipso est lamentationum, & lugubrium carminum, & uæ conscriptio, notat materiam uaticiniorum lamentabilem, quam propheta erat populo enunciaturus, nempe iustam Dei iram ob scelera iudæorum, & imminentes diuinæ iustitiæ ultionem super urbem sanctam, atque alias totius gentis suæ futuras calamitates, usque adeò copiosas, ut cum non potuerint in interiori chartæ facie perstringi, necesse fuerit etiam tota exteriori paginæ parte extendi. **B** Expansum est autem uolumen Coram Ezechiele, ut sciret prophetiæ intelligentiam nemini contingere, nisi cui Deus inuolucrum arcanorum suorum aperuerit. Iussus est etiam prius deuorare librum, quam loqueretur ad populum, ut animaduertent non obiter percurrendas sibi propheticas reuelationes, sed auide excipiendas, & in uentrem internæ meditationis exactè decoquendas prius, quam estundantur. Fuit autem propheta uolumen in primis dulce, tanquam mel: quia cognitio diuinorum iudiciorum & ultionum diuinarum meditatio, quam impij refugiunt, & exhorrent, iustis maximo sunt oblectamento Latabitur enim iustus, inquit psalmus, cum uiderit uindictam. Sed post quam propheta uolumen uentre digessit, amarum esse sensit: & propter hoc paulò post ipsius deuorationem adiecit, Et abij amarum & tristis in indignatione spiritus mei. quia ubi cœpit prædicare, quæ cum summa dulcedine didicerat; statim amaritudinem laboris, persecutionis, carceris, denique etiam illatæ mortis supplicium in se ipso expertus est. Rabbi Salomon censet in hoc uolumine, propter paginæ angustiam, non fuisse particulatim descriptas singulas Iudæorum arumnas, sed tantum tres illas dictiones à propheta commemoratas, uidelicet קִיִּם הִגָּה הִי Kinim, Hagha, Hi, hoc est Lamentationes, Musitatio, **Væ**: quibus omnia Iudæorum damna compendio comprehensa denotantur. Dicitur autem liber à fronte & à tergo scriptus: quia tam præsentium, quam futurarum calamitatum significationem eius uerba contineant. Hieronymus & Gregorius, mysticè hunc locum interpretantes, id uolumen esse dicunt librum diuinæ scripturæ; qui quidem idcirco inuolutus appellatur, quia tanta mysteriorum profunditate obuoluitur, ut nemini liceat ipsum introspicere & intelligere, nisi manus Dei extenta, quæ Christus est, illum prius expandat, & expansum explanet. Scriptus est autem intus & foris; hoc est intus per allegoriam & spiritualem intellectum, foris per sensum litteræ & historiam: intus inuisibilia docens, & cælestia promittens; foris uisibilia & terrena, quatenus sint uel expetenda uel fugienda, præcipiens. Scripta quoque sunt in eo iuxta septuaginta interpretationem ῥήνος, καὶ μέλος, καὶ ὄνει, id est, Lamentatio, Cantus, & **Væ**; ac primum Lamentatio, quia in ipso ante omnia pœnitentia peccatoribus edicitur: Cantus, siue Carmen, uel Canticum, quia ibi promittitur iustis in præmium cantus & exultatio felicitatis æternæ: **Væ**, quia illic sempiternæ damnationis miseria impijs prænunciatur. Opus est item comedere huiusmodi uolumen, hoc est ueritatis, quæ in eo sunt pabula imo corde recondere, & assidua mentis cogitatione tandiu ruminare, quoad cogaris erumpere in illam Dauidis uocem, **QVAM** dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.

Psalm. 18.

VOLUMEN Volans, quod à Zacharia uocatur מגלה אפה Meghila Apha, Aquila & Theodotion uerterunt διφθέρα, hoc est Pellem, siue membranam caprinam instar eius pellis capræ Amaltheæ, in qua poetæ Iouem res humanas scribere fingunt; Symmachus uertit τῆς κεφαλῆς, id est Capitulum, uel summam iuxta illud, **IN** capitulo libri scriptum est de me; Septuaginta transfulerunt δρέκονον πετόμενον, hoc est Falcem uolantem; Ionathan Libellum uolantem; Hieronymus uerò Volumen uolans uertit. Describitur huius uoluminis uisio à Zacharia propheta in hunc modum: **ET** **CONVERSUS** sum, & leuau i oculos meos; & uidi, & ecce uolumen

A uolumen uolans; & dixit ad me, Quid tu uides? & dixi, Ego uideo uolumen uolans: longitudo eius uiginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. & dixit ad me, Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem uniuersæ terræ. quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur; & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud, dixit dominus exercituum, & ueniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendacium; & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius, & lapides eius. Hæc Zacharias. Erat uolumen istud non ex multis chartis compaginatum, ut nostri sunt, sed una tantum membrana oblonga, in se ipsam circumuolubilis; quam notarij nostrates Rotulum uocant: dicitur autem habuisse longitudinem uiginti cubitorum, & latitudinem decem cubitorum, quæ sunt dimensiones uestibuli templi æquales; quia propheta uidebatnr ipsum uolumen de templo egredi. licet enim, ut Rabbi Dauid Kimchi inquit, tum temporis templum illud Salomonis, cuius uestibuli longitudo ad uiginti cubitos, latitudo uerò ad decem patebat, uastatum profus, atque dirutum iaceret: inde tamen seruata, quæ prius inerat, longitudinis latitudinisque proportione, Zacharias uolumen illud egredi uidebat, atque hoc illud est quod ait: **HÆC** est maledictio, quæ egreditur &c.

ERAT autem hoc uolumen ex utroque latere tam a tergo, quam à fronte scriptum. in uno latere scripta erat execratio iurantis in hæc uerba,

כל הגבצ מזה כמה נקה Cal haggoneb mi ze camoah nikka, id est, Omnis furans ab altero, sicut ipse est, succidetur. In altero latere continebatur maledictio peierantis huiusmodi,

כל הנשבצ מזה כמה נקה Cal annisba mi ze ca moah nikka. hoc est, Omnis peierans ab altero, sicut ipse est, succidetur. Cum autem hoc uolumen per uniuersam terram uolaret, uenit ad domus eorum; qui furabantur, & qui mendaciter iurabant: ibique cœpit in ipsis ædium penetralibus commorari: nec inde prius emigravit, quam ligna, saxa, & parietes ædium una cum ipsis dominis absumpsit.

IOANNES CHRYSOSTOMVS homilia quinta decima, & uigesima sexta ad populum Antiochenum, iuxta Septuaginta editionem legens Falcem uolantem, ita hunc locum interpretatur: **FALX** uolans uelocissimum ultionis incursum significat, iuramenta falsa sequentem. Multorum uerò cubitorum latitudo & longitudo uehementiam indicat, & magnitudinem malorum: at ex cœlo uolare, ex supremo tribunali sententiam ferri. Falcata uerò forma inenitabilem supplicij fortem. sicut enim quocumque falx incurrit, non solum secum arripit, uerum & caput amputat, itidem & pœna peierantibus ingruens est difficillima. Lapidem uerò & ligna domus peierantis dissoluit, ut ruina eius alijs correctio fiat: postquam enim peierantem mortuum terræ condi necesse est; domus dissoluta, & ruina facta prætereuntibus omnibus & cernentibus admonitio erit per aspectum; ne eadem audeant, ac eadem patiantur. uult enim Deus difficillimorum pœnas peccatorum continuas permanere, & accusatrices mortui criminis esse perpetuas, ut omnes posthac corrigantur.

PAVLVS, episcopus Burgensis, arbitratur per Volumen uolans significari impium Thalmudicorum librorum uolumen; quod Volans dicitur, quia nullam habeat stabilis fundamenti soliditatem; & Maledictio dicitur propter execrabilem eius doctrinam. quia uerò de templo & doctrina sancta egredi uidetur, dicitur habere mensuras longitudinis & latitudinis templo conformes. dissipat autem domos, ad quas peruenit; quia extremam animarum, & corporum cladem tandem hoc maledictum uolumen uniuerso Iudæorum generi auferet.

X



ERXES, quem Esdras Artaxerxem uocat, Persarum & Medorum rex, Darij Hytaspis filius scripsit ad Esdras, sacerdotem magnum, epistolam unam de populo Iudæorum, in patriam reducendo, & de templo Hierosolymis instaurando. cuius exemplum legitur primo Esdræ, capite septimo, & tertio Esdræ, cap. 8o. & apud Iosephum in libro Antiquitatum undecimo, capite quinto. Scripsit item ad Sadaum, Syriæ ac Samariæ præfectum, epistolam commendaticiam pro Nehemia, pincerna suo, ad instauracionem templi Hierosolymitani proficiscentem. Vide in secundo Esdræ, libro capite secundo, & Iosephum in libro Antiquitatum undecimo, capite quinto.

Z



ACHARIAE, patris Ioannis Baptistæ liber, qui ASSUMPTIO dicitur, inter cæteras blasphemias, ab hæreticis confictas, continebat, Zachariam, cum incensum in Sancta Sanctorum adoleret, assumptum in mentis excessu uidisse Deum quendam in aditis asinino corpore indutum. quod, cum populo significare uellet, ne is asinum pro numine coleret, repente mutus effectus est, ne, quod uiderat, enunciaret. Athanasij Synopsis hoc opus inter scripta detestandæ impietatis enumerat.

ZELOTYPICAE Liber קטן ספר קנאות Sepher Kenaoth, hoc est Liber, seu scheda, uel charta Zelotypiæ, ea erat, quam sacerdos coniciebat in poculum redargutionis scæminæ de adulterio suspectæ, uel ad detegendum eius occultum crimen, uel dubiam innocentiam defendendam. fuit enim, quemadmodum quartus liber Mosis, & Philon, ac cæteri Iudæorum Rabbini testantur, apud Hebræos occasio, & ritus conscribendi hunc librum huiusmodi. Cum maritus in uehementem ac iustam suspicionem uxoris suæ uenisset, primò eam admonebat, ut a consortio suspecto abstinere, quod si mulier facere neglexisset, maritus tenebatur abstinere ab ea, donec ipsa purgaretur. interim ascendebat in Hierusalem ad summos synagogæ Iudices, atque suspicionis suæ causas detegebat. illi uerò, dicta die mulieri, ubi comparuisset, admonébant eam, ut rem ipsa secum prudenter expendere: & si esset innocens, purgaret se cum fiducia: si minus; caueret periculum, quod de se factura erat: nec tam peruicaciter ambiret uictoriam cum mortis discrimine, sed ingenuè culpam suam fateretur: meminisset ante se alias, & illustres etiam scæminas in eundem errorem ex muliebri fragilitate prolapsas; ueluti concubinam Patriarchæ Iacob cum Ruben; & Thamar cum Iuda. Quæ si persuasa peccatum non negabat; dimittebatur uitam deinceps agere solitariam, sine uiro, sine dote, & sine ullo, honore, si uerò in sententia purgandi se ipsam persistebat; tunc scæmina lugubri, & pulla ueste induebatur, & ab atratis scæminis in templo ducebatur, & ante sacerdotem, non sine deducendum lacrymis sistebatur. sacerdos uerò protensa manu mulieri tegmen capitis detrahebat, ut iudicaretur aperto capite sine pudoris insignibus; sicuti mos erat in omnibus controuersis capitalibus: deinde, accepto libello, seu charta, execrationem ex quarto libro Mosis desumptam in ea scribebat his uerbis: **SI NON** dormiuit uir alienus tecum, & si non polluta es, deserto mariti thoro: non tibi nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congesi. si autem declinasti à uiro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero uiro: his maledictionibus

Philo in libro de specialibus legibus.

Num. 5. c.

A ledictionibus subiacebis; **DET** te dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo. putrescere faciat femur tuum, & uterus tuus dirumpatur. ingrediantur aquæ maledictæ in uentrem tuum, & utero putrescente putrescat femur tuum, & tumens uterus tuus dirumpatur. His unâ cum miseræ mulieris nomine in chartula scriptis, legebat ea excelsa uocè. & respondente muliere, **AMEN, AMEN**, sacerdos, tollens urnam fictilem, infundebat in ea aquas quasdam amarissimas; in quas terræ puluerem, è solo templi collectum, miscuerat, & diras & execrationes multas, ac lætales ingesserat: deinde, coniecto libello in urnam, tandiu illum abluebat, quo ad literas aqua diluisset. his peractis, aquam porrigebat mulieri bibendam, inquit: **BIBE** iam redargutionis poculum, quod incerta occultaque nudabit, ac reteget, mox recepturâ aut pudicitia præmium, aut extremam uiolati coniugij pœnam. Illa uerò aquam bibebat: & si calumniam passâ fuerat; aqua conceptum, partumque felicem dabat: si autem culpa non carebat; statim, ut ablutionem eius libelli ebiberat, facies eius expallescebat, oculi proruebant, uenter intumescebat, femur concidebat, dilabebantur genua, & intollerandis cruciatibus dirumpebatur uulua, quam puram seruare marito noluerat. Et hic erat miserabilis eius uitæ exitus.

B **HUNC** modum expurgationis tam in hac, quam in cæteris etiam uehementibus criminum suspicionibus ecclesia Christi postea substulit. inuenitur tamen in actis concilij prouincialis Vormaciensis canone De expurgandis monachis à suspicionem furti in hæc uerba conscriptus: **SAEPE** contingit, ut in monasteriis furta perpetrentur; & qui hæc committat, ignoretur. idcirco statuimus, ut, quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, missa ab abbate celebretur, uel ab aliquo, cui ipse abbas præceperit, præsentibus fratribus; & sic in ultima missæ celebratione pro expurgatione sua, corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi percipiant; quatenus inde innocentes se esse ostendant. communicantibus autem eucharistia tradatur cum his uerbis, **CORPVS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI SIT TIBI HODIE IN PROBATIONEM.** Hæc Concilium Vormaciense. Cæterum hic canon abrogatus est decreto Stephani Papæ quinti: qui consultus ab Umberto, Moguntino episcopo, utrum parentes, in quorum lecto infantes dormientes mortui reperirentur, indicio candentis ferri, uel feruentis aquæ, seu alio consimili experimento ostendere deberent, se filios unâ secum dormientes non oppresisse; in hunc modum respondit: **FERRI** candentis, uel aquæ feruentis examinatione, siue alia superstitiosa inuentione confessionem extorqueri ab aliquo, sacri non concedunt Canones: spontanea enim confessione, uel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro iudicare: occulta uerò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum.

D Secundi libri finis.

F. SIXTI SENENSIS^A
 EX ORDINE PRAEDICATORVM
 DE ARTE EXPONENDI S. VOLVMINA
 BIBLIOTHECAE SANCTAE
 LIBER TERTIVS.

P R A E F A T I O .^B



DE Scripturis & Scriptoribus sacrosanctis, deque Scrip-
 ptis & Scriptoribus, qui in sacris literis commemo-
 rantur, abunde, ut arbitror, a nobis in duobus pra-
 cedentibus libris dictum est: nunc de his autoribus,
 qui diuinas scripturas piis expositionum suarum stu-
 diis illustrarunt, dicendum est. quod cum satis com-
 mode fieri nequeat, nisi prius explicentur ars, ratio,
 & ordo; quibus ipsi expositores in expositione sacro-
 rum uoluminum usi sunt: operae precium duximus in hoc tertio BIBLI-
 OTHCAE SANCTAE uolumine complecti breuiter rationem, ac uim totius^C
 artis, quam catholici expositores in diuinis literis explicandis secuti
 sunt. hac enim recte cognita, facilius atque expeditius ea intelligentur,
 quae de uariis sanctorum expositorum explanationibus in quarto huius
 operis libro scripturi sumus.

ARTIS, PER QVAM SACRA SCRIPTVRA
 exponitur, Definitio, & Diuisio.



PRIMUM igitur omnium, ut ab artis Definitione exordiamur, Ar-
 tem exponendi sacras literas eam dicimus, quae praecipiones ac re-
 gulas docet ad elucidationem diuinæ scripturae necessarias. Hæc au-
 tem tota in tres partes diuiditur, hoc est in Definitiuam, Inuentiuam,
 & Dispositiuam. Definitiuam sensus & expositiones sacrarum litera-
 rum enumerat, distinguit, ac definit, indicans, quot & quæ sint diuinæ scripturae
 sensa, & eiusdem expositionum genera. Inuentiuam docet definitos iam sensus, in
 abditis sacrorum uoluminum sermonibus latentes, inquirere, & diligenti inuesti-
 gatione perquisitos inuenire. Dispositiuam docet inuentos diuinæ scripturae sensus
 decenti riteque accommodata explanationis dispositione in lucem emittere, & per
 narios exponendi modos formulas & methodos aptissimo ordine explicare; ut diui-
 norum eloquiorum amplitudo & maiestas, quoad fieri potest, pro rei dignitate no-
 bilitate exprimantur; & sanctorum uoluminum studiosi ad legendas ipsorum pulchre
 dispositas explanationes reddantur ardentiores. Aggredientes igitur primam hu-
 ius artis partem, quæ in sensuum & expositionum definitione uersatur, de ipsis pri-
 mum sanctæ scripturae sensibus dicamus.

DE

A DE DVPLICI SENSV DIVINAE SCRIPTVRAE.



DVO sunt diuinæ scripturae sensus, Historicus, & Mysticus. Histori-
 cus est, quem rei gestæ narratio, ac uerborum series sub communi,
 & usitata uocum, siue propria, siue metaphorica significatione in
 exteriori literæ cortice representat. est enim duplex uarietas, uel
 modus historici sensus, uidelicet proprius, & metaphoricus. Pro-
 prius est, quem uerba, ac nomina iuxta primam nudamque uocis significationem
 praeserunt. ut cum per uulpem & lupum, animalia, quæ primùm his uocibus signi-
 ficantur, intelligimus. Metaphoricus uerò, quem uoces transumptæ, & ad nouam
 significationem translatae significant: uel, quem figurata locutio circumscibit; ut
 cum in communi locutione ueracem aliquem lupi nomine, & astutum quendam uul-
 pis uocabulo designamus: uel cum in diuinis literis Christus dicitur agnus, leo, petra,
 uitis, uermis, & id genus plura; quæ omnia Christo non proprie, sed per similitudi-
 nem quandam ascribuntur. Alter uerò sensus Mysticus, & spiritualis est longè secre-
 tior ac sublimior; qui non omnibus peruius est, sed in intima uerborum medulla re-
 conditus latet. non per uerba, sed per res ipsas significatus, ut cum per serpentem
 æneum, in ligno suspensum, Christus, in crucem sublatu, designatur. Vtriusque
 sensus discrimen docuit nos Paulus in epistola secunda ad Corinthios, inquiens, Iu-
 daeos quotidie legere, & audire lectionem ueteris testamenti iuxta literam; sed esse
 positum uelam super cor eorum, ut non intelligant spiritalem intelligentiam, quæ
 uiuificat. & ad Romanos scribens, ostendit legem de circuncisione duplicem sensum
 habere; alterum iuxta literam circuncisionem folius carnis significantem, cuius laus
 est apud homines; alterum iuxta spiritum, præcipientem circuncisionem cordis,
 magnopere à Deo laudatam.

C DE DVOBVS SACRARVM EXPOSITIONVM GENERIBVS.



DHORVM igitur sensuum explicationem duo inuenta sunt expo-
 sitionum genera, Historicum scilicet, ac Mysticum. potèrò Historica
 expositio est, quæ sensum historicum, siue literalem elucidat. quo
 quidem sepiissime usus est dominus noster Iesus Christus in enarrandis
 sanctis scripturis. ex quibus exempli gratia accipere possumus expo-
 sitionem eius in legem Moyse de dando libello repudij; quæ in Deute-
 ronomio scribitur his uerbis: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non
 inuenerit gratiam in oculis eius propter aliquam foeditatem; scribet libellum repu-
 dij, & dabit in manu eius: & dimittet eam de domo sua. Quam legem cum per-
 peram intelligerent Pharisei, existimantes Moysen mandasse maritis, ut quacunque
 de causa uxores infensas dimitterent, & alteram ducerent; Christus eam iuxta ue-
 ram Mosaicæ literæ sententiam hunc in modum declarauit, inquiens: MOYSES pro-
 pter duritiam cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras: ab initio autem
 non fuit sic. dico autem uobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob for-
 nicationem, & alteram duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.
 quasi dicere uolisset seruator noster, Vos Iudæi genus hominum estis bestiis immi-
 tius, & efferatius, sine timore Dei, sine dilectione, ac misericordia: ideo uobis
 Moyses permisit quidem, sed non præcepit repudiare uxores odio habitas, non tan-
 quam aliquod licitum, sed tanquam remedium ad euitationem maioris mali para-
 tum; ne odio, ac desperatione inseparabilis coniugij adducti, ad eadem coniugis
 uerteremini. Semper enim malum fuit ob quancunque causam repudiare uxorem,
 & alteram accipere, immo contra ipsam naturam matrimonij ab initio generis hu-
 mani conditam; cuius lex est, PROPTER hanc relinquet homo patrem, & matrem
 suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Hæc igitur prima
 est,

Deut. 24.6

Mat. 19.6

Mat. 23.4

est, & ad primum diuinæ scripturæ sensum pertinens historica expositio.

ALTERVM Expositionis genus, quod mysticum, hoc est arcanum, seclusum, & spiritale dicitur, & ad elucidationem mysticorum sensuum, qui in sancta scriptura clauduntur, necessarium est, tres particulares explanationis species, siue partes complectitur, hoc est, Allegoricam, Tropologicam, & Anagogicam, iuxta triplicem præteriti, presentis, ac futuri temporis differentiam distinctas. Allegorica præteritarum in ueteri lege umbrarum, ac figurarum prænotiones, & prælagia manifestat. Tropologia, quæ in scripturis sanctis gesta, dictaque sunt, ad præsentis uitæ moralem institutionem conuertit. Anagogia ad futuram beatitudinis, & cœlestis gloriæ sublimiora mysteria animum sustollit. Tot igitur iuxta triplicem temporum partitionem sunt species Mysticæ explanationis: cuius primam inuentionem Porphyrius, Christiani nominis hostis, existimauit ab Origene Adamantio profectam. de quo, ut Eusebius refert, ipse in tertio aduersus Christianos uolumine scripsit hæc uerba: **ADHÆRENT** Christiani sermonibus iudaicarum scripturarum; & ea, quæ **Moyfes** agresti & simplici sermone conscripsit, diuinitus sancita, & figuris, ænigmatibusq; obiecta esse confirmant, atque, ut ingentibus repleta mysteriis, exponunt. cuius expositionis genus initium habuit à uiro, quem ego, cum adhuc essem ualde puer, uidi arcam totius eruditionis tenentem. Origenes hic est, cuius ingens gloria inter eorum magistros habetur. Philo autem Iudæus in libro, cui titulum fecit De uita theoretica, refert hoc genus spiritualis interpretationis longè antea usitatissimum fuisse apud Etheos, uiros inter hebræos religione, & sanctitate præcipuos; qui ab exoriente diluculo usque in uesperum consueuerunt dies integros impendere lectioni diuinarum scripturarum; quæ etiam summo studio ad spirituales, & allegoricos sensus traducere conabantur. At nos Christiani multò rectius ac uerius credimus Christum Iesum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, primum autorem fuisse huius reconditæ expositionis, primumq; omnium ostendisse nobis tam per se ipsum, quam per discipulos suos unamquamque Mysticæ elucidationis speciem.

ALLEGORICAM explanationem edocuit, cum loquens ad Iudæos de Ioanne Baptista dixit: **HELIAS** quidem uenturus est, & restituet omnia: dico autem uobis, quia Helias iam uenit, & non cognouerunt eum: sed fecerunt in eum quæcumque uoluerunt. significans his uerbis, Helicæ uitam in ueteri testamento fuisse typum, & umbram uitæ Ioannis, qui ab exordio noui testamenti uenit in spiritu & uirtute Helicæ. Paulus quoque in epistola ad Galathas, explicans allegoricè historiam duorum filiorum Abraham, ait: **SCRIPTVM** est, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alium de libera: sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repositionem. quæ sunt per Allegoriam dicta hæc enim sunt duo testamenta &c.

TROPOLOGICA expositione usus est redemptor noster, cum historiam penitentiarum Ninuitarum, & aduentus reginæ Austri ad Salomonem, ad exprobrandos perditissimos mores, & obstinatissimam incredulitatem Iudæorum deflexit, inquit: **VIRI** Ninuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam; quia in prædicatione Ionæ egerunt penitentiam; & ecce plus quam Ionas est hic: regina Austri surget in iudicio cum generatione hac; & condemnabit eam; quia uenit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic. & Paulus in epistola prima ad Corinthios, Historiam hebræorum, qui in deserto perierunt, ad mores accommodans, ait: **PATRES** nostri, omnes mare transierunt; sed non in omnibus eorum beneplacitum est Deo. hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt: neque idololatæ efficiamini, sicut quidam ex illis: quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. neque fornicemur, sicut quidam ex his fornicati sunt, & ceciderunt una die uiginti millia. neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem

A autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos, fines sæculorum deueniunt. **ANAGOGICA** expositione usus est Paulus in epistola ad Hebræos, cum terram illam Palæstinorum, patribus repromissam, adaptat ad pollicitationem futuræ gloriæ, inquit, terram illam tantopere à Patriarchis desideratam, & tot peregrinationibus exquisitam, non esse præsentem, uisibilem, terrenam illam regionem Cananæorum, sed futuram, inuisibilem, atq; cœlestem patriam meliorem fundamenta, cuius Deus est artifex, & ciuitatem Dei uiuentis, Hierusalem cœlestem, multis angelorum millibus frequentem. Tot igitur sunt sacrarum expositionum species.

SCIENDVM est autem, non solum omnia, quæ in sacris literis reperiuntur, uel per unam, uel per alteram harum expositionum aperte explicari posse; sed etiam quamspisime contingere, ut idem locus, ac uerba diuinæ scripturæ omnes istas expositiones simul recipiant: cuius rei exemplum aptissimum offert diuus Eucherius in libro spiritualium formularum, illustrans quadruplici expositione Aquarum nomen, quod in scripturis sanctis est frequentissimum, his uerbis: **QUATVOR** sunt diuinarum Expositionum genera, Historicum, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum.

HISTORICA expositio est, quæ ueritatem nobis factorum, ac fidem relationis inculcat.

TROPOLOGICA, siue moralis expositio est, quæ ad uitæ emendationem mysticos intellectus refert.

ALLEGORICA expositio est, quæ gestorum narrationem futurorum umbram prætulisse demonstrat.

ANAGOGICA expositio est, quæ ad sacratiora cœlestium figurarum secreta producit. hæc uerò ipsa subiectis planius manifestantur exemplis.

AQUA, secundum historiam, elementarem aquam significat, quæ terram alluit, & interluit, sicut in principio geneseos: Congregentur aquæ in locum unum, & appareat arida.

TROPOLOGICE Aqua tribulationes significat. Psalmus, Transiimus per aquam, & ignem: & eduxisti nos in refrigerium. & in Esaia, Cum transieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te. item sapientiam significat, dicente Salomone: Aqua profunda uerba ex ore uiri; & torrens redundans fons sapientiæ. item hæreses, eodem Salomone scribente, Aquæ fontium dulciores sunt. item prosperitates mundi apud Ioannem, dicentem, Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.

ALLEGORICE, Aqua baptismum significat: de quo in Ezechielis uolumine legitur, Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. item in Apocalypsi Populos; Aquæ multæ, Populi multi. & in Esaia, Beati, qui feminatis super omnes aquas. item gratiam spiritus sancti apud Ioannem, si quis sitit, ueniat, & bibat: & fluent de ventre eius flumina aquæ uiuæ.

ANAGOGICE Aqua exponitur de æterna beatitudine, sicut in Ieremia, Me reliquerunt fontem aquæ uiuæ. & in Apocalypsi, Deducet eos ad uitæ fontes aquarum. item de Angelis in Psalmo canitur, Aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini. Hæc Eucherius.

SED minimè prætermittendum arbitror, quod Augustinus in libro de utilitate credendi ad Honoratum capite tertio hæc genera expositionum longè aliter, quam nos, & Eucherius distinximus, partiri uidetur, hunc in modum loquens: **QUATVOR** modi à quibusdam scripturarum tractatoribus traduntur legis exponendæ, secundum Historiam, secundum Allegoriam, secundum Analogiam, secundum Aetiologiam.

Secundum historiam ergo traditur, cum docetur, quid scriptum, aut quid gestum sit; quid non gestum, sed tantummodo scriptum, quasi gestum sit. Secundum Aetiologiam, cum ostenditur, quid, qua de causa, uel factum, uel dictum sit. Secundum Analogiam, cum demonstratur, non sibi aduersari duo testamen-

Et ta, ue-

ta, uetus scilicet, ac nouum. Secundum Allegoriam; cum docetur non ad literam esse accipienda quædam, quæ scripta sunt, sed figuratè intelligenda. His omnibus modis dominus noster Iesus Christus, & Apostoli usi sunt. nam de historia sumptum est, cum obiectum esset, quod die Sabbati discipuli eius spicas euulsissent. Non legistis, inquit, quod fecit Dauid, & qui cum eo erant? quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis manducauit, quos non licebat ei manducare, neque eis, qui erant cum eo, nisi solis sacerdotibus?

Mat. 12. a

Mat. 19. a

Ad Aetiologiam uerò illud pertinet, quod, cum Christus prohibuisset uxorem abiici, nisi fornicationis causa, relatumque esset ab interrogantibus Moysen, libello dato, repudij permisisse licentiam: Hoc, inquit, Moyses fecit propter duritiam cordis uestri. Hic enim causa reddita est, cur illud à Moyse pro tempore bene permillum sit, ut quod Christus præcipiebat, alia iam tempora demonstrare uideretur.

Matth. 2. c

Ad Analogiam pertinet, quod cum Matthæus narraffet eadem infantium ab Herode perpetrata, protinus addidit facti huius cum dictis ueteris testamenti congruentiam, inquit: Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem, Vox in Ramà audita est, ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt.

Gal. 4. c

Ad Allegoriam attinet, quod Paulus dicit ad Galatas: SCRIPTVM est, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, alium de libera: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc Augustinus.

HIERONYMVS uerò aliquanto diuersius distinguere uidetur hæc expositionum genera, sic in duodecima quæstione ad Hedibiam scribens: TRIPLEX in corde nostro descriptio, & regula scripturarum est: Prima, ut intelligamus eas iuxta Historiam; secunda iuxta Tropologiam; tertia iuxta intelligentiam spiritalem.

IN Historia, eorum, quæ scripta sunt, ordo seruetur.

IN Tropologia, de litera ad maiora confurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factum est, iuxta moralem interpretatur locum; & ad animæ nostræ emolumenta conuertimus.

IN spiritali *descripta*, ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, & cœlestibus disputamus: ut præsentis uitæ meditatio umbra futuræ beatitudinis sit. Hactenus Hieronymus.

SED ut omnis, quæ inter hos patres uidetur esse diuersitas, ad concordiam reuocetur; nosse oportet, eos de numero quatuor Expositionum nihil inter se disfidere; sed in solo partiendi modo differre. eam enim expositionum partitionem, quam Eucherius in quatuor membra distribuit, Hieronymus ad tria, Augustinus uerò (quem nos secuti sumus) ad duo membra reduxit, eo modo, quo in subiecta figura apparet.

EUCHERII PARTITIO QUADRIMEMBRIS.

| | | | | |
|--|---|--------------|---|--------------|
| SACRARVM literarum quadruplex est expositio, uidelicet | } | Historica | } | Propria, |
| | | Tropologica, | | Metaphorica. |
| | | Allegorica, | | |
| | | Anagogica. | | |

HIERONYMI PARTITIO TRIMEMBRIS.

| | | | | |
|---|---|---------------------------------------|---|-------------|
| SACRARVM literarum triplex est expositio, uidelicet | } | Historica, | } | Allegorica. |
| | | Tropologica, | | |
| | | Spiritalis; quæ duplex est, uidelicet | | |

AVGV-

AVGVSTINI PARTITIO BIMEMBRIS.

| | | | | |
|--|---|--|---|--------------|
| SACRARVM literarum duplex est expositio, uidelicet | } | Historica | } | Analogica, |
| | | Allegorica, quæ in libro De uera religione capite quinquagesimo triplex assignatur; quarum | | Aetiologica. |

Prima figuras præteritorum ad præsentia accommodat; quæ sibi nomen Allegoricæ retinuit.

Secunda ad mores, & affectiones animæ pertinet; quæ dicitur Tropologica.

Tertia ad incommutabilem æternitatem extollit; quæ dicitur Anagogica.

HÆC de duobus sacrarum expositionum generibus dicta sint: quibus pauca quædam de necessario usu, & utilitate ipsorum addenda uidentur.

DE VSV, ET UTILITATE HISTORICAE, AC MYSTICAE EXPOSITIONIS.



HISTORICVM expositionis genus in primis summopere necessarium est ad instructionem earum rerum, quæ nobis credendæ sunt; ad fidei confirmationem, ac defensionem; & ad redarguendum eos, qui resistunt ueritati; & ad omnes hæreses conuincendas. nulla enim expositio ad probationem dogmatum inducta uim habet, ac robur, nisi ea, quæ uerè, purè, & germanè, literæ sententiam explicet. nam,

cum aliæ explanationes, sensus intra literæ medullam abditos rimentur, indeque eos ex quibusdam rerum similitudinibus extrahere conentur; facile ex similibus rerum imaginibus falli possunt; præsertim cum hæc spiritualium sensuum deductio, & elucidatio, cogitatione, discursu, & inquisitione humani ingenij fiat: quod sæpe decipitur, & crebrò in rebus obscuris fingere solet ea, ad quæ animus potissimum est uel natura, uel exercitatione propensior. si enim ipse uoluerit astruere sacerdotes habere potestatem ligandi, ac soluendi à peccatis ex mystica expositione illius sententiæ Christi ad Apostolos, Soluite eum, & finite abire: illico respon-

Iom. 11. f

D

debit aduersarius, id de solutione linteorum, quibus Lazarus erat obuolutus, & non de solutione peccatorum dictum esse. at, si id ipsum ostendero ex autoritate, & expositione literali eius sententiæ Christi ad Apostolos, Accipite spiritum sanctum; & quorū remiseritis peccata, remittentur; & quorū retinebitis, retenta sunt: protinus acquiescere, & dictis assentiri cogetur. Proinde rectè D. Augustinus in epistola ad Vincentium Donatistam sic scribit: Quis autem non impudentissimè nitatur aliquid, in Allegoria positum, pro se interpretari, nisi habeat & manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?

Iom. 20. e

Hieronymus quoque in secundo commentariorum super Matthæum, pertractans de fermento abscondito à muliere in farina satis tribus, postquam retulit quorundam expositionem applicantium parabolam illam ad trinitatem personarum, & unitatem essentiæ, hæc uerba subiungit: Prius quidem sensus, sed nunquam parabola, & dubia anigmatum intelligentia potest ad autoritatem dogmatum proficere. hæc ille. Sola igitur literalis ad ueritatem fulcienda, & falsitatem destruenda ualida est. quia cum ex primæ uocum significatione, uel ex uocibus translaticijs primæ significationi coniunctissimis hauriatur; cæteris explanationibus parentior est, & efficacior. Atque hic est

Mat. 13. e

2. 1. 0

Ee 2 primus,

primus, & maxime necessarius expositionis historicae usus.

A SECUNDA eius utilitas, ac necessitas nascitur ex ordine eius ad ceteras mysticas expositiones, quibus ipsam, tanquam basim, ac fundamentum stabile totius spiritualis aedificij, necesse est subterni. nam nisi prius sensus literae nobis perspicuus sit, qui fieri poterit, ut spiritualibus elucidationibus ea illustremus, quorum nobis uerba obscurissima sunt? periculum erit etiam, si ex non intellectis uerbis sensum aliquem arcanum exprimere uelimus, ne in haereses uarias incidamus: & idem nobis continget, quod multis euenit haeticis, praesertim Manichaeis: qui cum ex imperitia linguae hebraeae non intelligerent literalem sensum dicti illius, IN SOLU POSUIT TABERNACULUM SVVM; conuerterunt se ad praesidia Allegoricae expositionis, dicentes Christum post resurrectionem suam sine carne ad Patrem ascendisse, relicto corpore suo intra ambitum globi solaris: ut a nobis caro eius in Sole, tanquam in tabernaculo dominici corporis, adoraretur. cum tamen genuinus, ac proprius eius literae sensus, & expositio sit, Deum posuisse soli tabernaculum in caelo, ex quo Sol ipse summo mane tanquam sponfus a cubili progreditur, ostensurus splendorem uultus sui cunctis mortalibus. Haec igitur sunt Historicae expositionis necessitas & emolumenta.

B SED NON MINORES Vtilitates continet Mysticum expositionis genus, tam ad fidei integritatem, quam ad morum institutionem longe utilissimum. est enim in primis maximè necessarium ad dignoscendam, conseruandam, & explicandam sinceritatem euangelicae doctrinae; quam necesse est a nobis contaminari, & inquinari iudaicis institutis, si scripturas praesertim ueteres iuxta nudam literam ubique uouerimus explicare: oportebitque iterum reuerti ad priscam illam iudaicarum caeremoniarum obseruantiam, rursusque circuncidi cum Iudaeis, sacrificare pecudes, comedere agnum, & azima, a cibis immundis abstinere, ceterasque hebraeorum umbras sectari; quae iam illucescente euangelica luce euauerunt. Deinde nullum ferè nobis defensionis, aut responsi genus relinquitur aduersus hostes legis, & prophetarum, si obiiciant nobis, cur olim dederit Deus tam absurdas leges, Amputare praeputij pelliculam, occidere agnum, mactare Vitulum, iugulare hircum, sanguine beluino cuncta foedare, gerere paxillum in baltheo, & egesta humo felium more proprii corporis excrementa contegere. Paucula quoque inueniemus in ueteribus historiis, quae animum spiritualiter oblectent, & mentem pascant, si mysticas expositiones negligimus: sed uidebuntur nobis omnia insipida, agrestia, infana, & prorsus diuina maiestate indigna esse, quae Deus praecipit de agno, de arietate, boue, de uacca rufa, de hirco, adipe, armo dextro, icore, pectore, uentre, ceterisque brutorum intestinis: nihilque grande, nihil sublime, nihil dignum Deo, Deus ipse iubere uidebitur, nisi huiuscemodi sacrificia; quae uilia, humilia, & a sapientibus huius mundi contemnenda uidentur, retuleris ad sacrificium Christi, quod factum est pro nobis contemptibile, abiectum, dispectum usque ad mortem crucis, foris quidem fordida & uili carnis ueste indutum, intus uerò grande, altum, magnificentum, speciosum praesiliis hominum, quod indignis uerbis, uilibusque sacrificiis figurari se patitur. In carnalibus ergo huiusmodi sacrificiis nisi mysticum sensum, & explanationem recipiamus, uidebuntur magis rationabiles gentilium leges, uel Atheniensium, uel Lacedaemoniorum.

C SED NEQUE ad mores formandos in uniuersum prodesse poterunt ueteres historiae; si eas iuxta nudam literam consideremus. quid enim ad salutem iuuat scire antiquorum Iudaeorum bella, & seditiones; si in eis nihil aliud, quam strages, & effusionem sanguinis intelligamus? quid refert ad pietatem consequendam nosse iuxta literam, quod Abraham duas uxores, & filios habuit, Ismahel, & Isaac; quod a lacte depulsus sit puer Isaac; quod in die ablactationis factum sit conuiuium; quod iulerit cum Ismahele; quod Sara indignatur filium ancillae ludere cum filio liberæ: in carnalem historiam ad mysticam intelligentiam retuleris, & una cum Paulo exponas Abraham habentem duas uxores significare Christum habentem duo testamenta, & duos populos, unum carnalem, & alterum spiritualem, a lacte carnalis

Vitæ

A Vitæ separatam; ludum uerò infantiae, persecutionem carnalis populi contra spirituales: & ob id Saram, id est nouam legem contra Agar ueterem legem solum carnaliter sentientem indignari. Quae si hoc pacto mysticè exposueris; mirum in modum iuuabit historia ad fouendum & nutriendum in nobis fidei & amoris ignem, & admirandi saporis delectationem afferet gustui nostro.

B HIC TAMEN admonendi sunt, qui negocium exponendi sanctas scripturas assumunt, ut medium in his expositionibus teneant; & extrema, quae semper uitiosa sunt, fugiant. nam sicut minimè probandi sunt quidam nostri saeculi expositores, qui spretis mysticis sensibus, tanquam fortuitis cogitationibus, & ad arbitrium excogitatis, dormitanti literae perpetuò assident, & solis mortuis syllabis & dictionibus incumbunt, frigidi, sine spiritu, exangues, & exanimis: ita grauius damnandi sunt inepti quidam nostrorum temporum expositores; qui, reiecta prorsus literali expositione, tanquam re leuissimi momenti, & Grammaticis, ut aiunt, potius, quam Theologis digna, in singulis scripturae locis coactas quasdam, & insulas allegorias protrahunt, uim inferentes diuinæ scripturae; & destructa historiae ueritate, ridiculas cogitationes suas uendunt, tanquam magna, & arcana ecclesiae sacramenta. Hoc ego amantissimè obsecro, atque obtestor, ut considerent literalem expositionem non esse rem usqueadeo uulgarem, uilem, ac protritam, & omnibus, ut ipsi iactant, puerorum paedagogis peruiam; sed esse expositionum omnium difficillimam, ac maximè operosam, propter inusitatas & abstrusas linguae sanctae proprietates, & propter copiam rerum difficillimarum, artium uidelicet, scientiarum, & disciplinarum omnium, quae sub historico scripturae sensu comprehenduntur. testes huius rei sunt duo clarissima latinae ecclesiae lumina Hieronymus, & Augustinus: qui non nisi iam natu grandes ausi sunt admouere manu Historicae explanationis, postquam multos annos in explanationibus mysticis, ueluti in studiis facillioribus, consumpsissent. quorum hic uerba ad confirmationem sententiae nostrae placet inducere; ut agnoscant, qui ad scripturarum expositionem accedunt, quanti facienda sit Historica explanatio. de qua Hieronymus in praefatione commentariorum in Abdiam sic loquitur:

C CVM ESSEM paruulus, ut paruulus loquebar, ut paruulus sapiebam, ut paruulus cogitabam: postquam factus sum uir; quae paruuli erant, deposui. Si apostolus proficit, & quotidie praeteritorum obliuiscens, in priora se extendit, secundum praecipuum domini saluatoris, stium tenens, post tergum non respicit: quanto magis ego, qui nec dum ad aetatem perfecti uiri, & in mensuram Christi ueni, mereri debeo ueniam, quod in adolescentia mea prouocatus ardore, & studio scripturarum, allegoricè interpretatus sum Abdiam prophetam, cuius historiam nesciebam? ardebat animus cognitione mystica: & quia legeram omnia possibilia credentibus, ignorabam diuersa esse charismata. literas saeculi noueram; & ob id putabam me librum legere posse signatum. Sperabam in scriniolis latere, quod scripseram; & ingenio mei primam temeritatem ignibus uoneram, cum subito de Italia affertur exemplar a quodam iuvene tot annis, quot ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod quantumuis aliquis male scripserit, inuenit similem lectorem sui. ille praedicabat; ego erubesceram: ille quasi mysticos intellectus ferebat ad caelum: ego, demisso capite, confiteri meum pudorem prohibebam. Quid igitur, condemnamus, in quo pueri lusimus? minimè. sed libere profiteor illud fuisse puerilis ingenij, & hoc, quod nunc scribo, maturae senectutis. Haec Hieronymus, cum in extrema senectute commentaria in Abdiam prophetam iuxta literam conscriberet.

D AVGVSTINVS uerò testatur se, cum prius iuxta allegoriam facili labore scripsisset in Genesim, tentasse multo post in eundem librum literalem expositionem; sed se laboris magnitudine deterritum ac defessum, desistere coactum. eius haec uerba sunt in primo uolumine Retractationum: CVM de Genesi duos libros contra Manichaeos condidissim, quoniam secundum allegoricam expositionem scripturae uerba tractaueram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad literam exponere.

Ee 3 hoc

Psal. 18.

Phil. 3. e
Luc. 9. 5

Gal. 4. e

hoc est, quemadmodum possent secundum historicam proprietatem; quæ ibi dicta sunt, accipi; uolui experiri in hoc quoque negotiosissimo, ac difficillimo opere, quid Valerem. sed in scripturis exponendis tyrocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit; & nondum perfecto uno libro, ab eo, quem sustinere non poteram, labore conquieui. Hactenus Augustini uerba. ex quibus perspicuum fit, historicam explanationem non esse ab expositoribus nostri sæculi negligendam quasi ignobilem triviale & ineruditam; cum ipsa omnes ferè mysticas expositiones, nobilium ac doctissimarum rerum præstantia antecellat. Atque hæc de quatuor generalibus ac præcipuis diuinæ scripturæ explanationibus dicta sint satis: reliquum est, ut ad alias quasdam particulares eiusdem scripturæ explicationes progrediamur.

DE TRIBVS PARTICVLARIBVS, parumq; usitatis diuinæ scripturæ expositionibus.



OST illa quatuor potissima & apud omnes expositores usitatissima sacrarum expositionum genera, iam à nobis descripta, tres etiam reperiuntur particulares diuinæ scripturæ explanationes, nimirum Elementaris, Physica, & Prophetica: quarum licet apud diuinos interpretes rarus sit usus, & sub iam prædictis communibus generibus quodammodo contineri uideantur: tamen, ne quid ad præsens institutum pertinens relinquamus intactum, eas, utpote scitu non indignas, explicabimus, ab ipsa primùm Elementari expositione incipientes.

DE ELEMENTARIA EXPOSITIONE.



LEMENTARIA explanatio, à qua dicti sunt elementarij expositores, ea est, quæ circa significationem simplicium elementorum, siue literarum uersatur. cum autem literæ duo potissimum significant, hoc est Partes syllabarum indiuiduas, & Notas numerorum indices, præsertim apud græcos & hebræos, qui omne numerorum genus per literas representant; explanatio hæc necessariò in duos explanandi modos diuiditur.

DE PRIMO ELEMENTARIAE ESPOSITIONIS MODO.

PRIMVS Modus id est, qui ex resolutione elementorum cuiusque dictionis, & rursus ex noua diuersaq; eorundem elementorum connexionem multiplices sensus tam historicos, quam mysticos ex scripturis sanctis deducit. qui quidem modus secatur in partes duas, hoc est Resolutoriam, & Componentem. Porro pars prior, in qua singulæ literæ singulas dictiones significant, & singulæ per singulas dictiones exponuntur, idcirco Resolutoria appellatur, quia tota in resolutione elementorum uersatur; dum literas cuiuslibet propositæ dictionis alteram ab altera diuelit, ac separat; & ex unaquaque litera dictiones quasdam extrahit, ab eadem litera incipientes. quæ mysteria in tota illius dictionis medulla recondita patefaciunt. Posterior, quæ compositionem tractat, illa eadem eiusdem dictionis elementa, prius disiecta ac disiuncta, iterum nouo ordine transponens, & alterum pro altero uariata sede reponens, connectit; & nouas constat ex eis syllabas, uoces, orationis partes, & sermonis formulas: quarum auxilio diuersorum sensuum intelligentias, & secretissima

tissimâ arcanâ referantur. Hebræi explanationis huius inuentionem sibi uendicant asserentes esse partem Cabalæ, hoc est eius Secretioris, & Anagogicæ, uel Allegoricæ sapientiæ, quam patres eorum à maioribus per manus traditam paulò post tempora Moysis acceperunt. Quod quidem mihi non satis compertum est: siquidem comperio etiam apud uetustissimos græcos eandem exponendi peritiam fuisse, non solum apud Platonem in Cratylo, ubi de nominum etymologia non dissimilem disciplinam tractat; sed etiam apud Esopum Phrygium, qui longè ante tempora Troiani belli eodem sæculo, quo Orpheus, & Linus claruisse creditur. is enim, quemadmodum in eius uita legitur, cum unà cum hero suo Xantho ueteres quorundam ædificiorum ruinas perlustraret, fortè incidit in columnam quandam marmoream; cui septem græcæ literæ erant insculptæ, indicantes thesaurum eo in loco, non longè à columna defossum. quarum cum Xanthus intelligentiam anxie disquireret; Esopus, inuentis dictionibus, quæ ab iisdem characteribus incipiebant, scripturam illam, tribus adhibitis expositionibus, illustrauit. erant autem literæ huiusmodi, A. B. Δ. O. Y Θ. X. quas Esopus manifestans hero suo locum thesauri; quem literæ designabant, sic primùm exposuit.

A, ΑΠΟΒΑΣ, id est Abscedens. B, Βήματα, gradus Δ, τέσσαρα, quatuor. O, ορύξας, fodiens. E, ερησεις, inuenies. Θ, θησαυρόν, thesaurum. X, χρυσίον, aureum. hoc est, Abscedens gradus quatuor, inuenies thesaurum aureum. Cum itaque Xanthus thesaurum effodisset, neque partem ullam auri Esopo decerneret; modestè eum admonuit Esopus, ut præcepto columnæ insculpto parerèt. quod literæ illæ continebant hunc in modum.

A, ΑΝΕΛΟΜΕΝΟΙ, id est Tollentes. B, Βαλίσαντες, ite. Δ, διέλεθε, diuidite. O, ον, quem. E, εύρετε, inuenistis. Θ, θησαυρόν, thesaurum. X, χρυσίον, aureum. hoc est, Tollentes ite, diuidite, quem inuenistis thesaurum aureum. Quod cum Xanthus facere contemneret, solusq; auro potiri uellet; indignatus Esopus, comminatus est, nisi partem acciperet, se alterum eiusdem scripturæ mandatum executurum, ita præcipientibus literis.

A, ΑΠΟΔΟΣ, id est Redde. B, βασιλῆα, regi. Δ, Διονυσίω, Dionysio. O, ον, quem. E, εύρες, inuenisti. Θ, θησαυρόν, thesaurum. X, χρυσίον, aureum. hoc est, Redde regi Dionysio, quem inuenisti thesaurum aureum. SED VTCVNQVE se habeat res, siue græci, siue hebræi hunc exponendi morem primi adinuenerint; duæ sunt, ut iam diximus, ipsius partes: Prioris, siue Resolutorie partis, in qua singulæ literæ singulas notant dictiones, exempla non pauca extant apud uetustos patres; ex quibus Hieronymus in Quæstionibus super librum tertium Regum examinans uerba illa Dauidis morientis ad Salomonem, Habes quoque apud te Semei, filium Gora, filij Gemini de Baurim, qui maledixit tibi maledictione pessima, explicat uim illius execrandæ maledictionis, ostendens conuicia, quæ Semei congesit in Dauidem, ex literis, quæ sunt in dictione illa, PESSIMA; quæ hebraicè scribitur, נִמְרֶזֶת nimrezeth; & his quinque literis constant: nun, mem, res, zaddi, thau.

IN נ nvn, significatur Noeph, id est Adulter, & alienæ uxoris raptor; quia se Vriæ uxoris adulterio fœdasset.

IN מ mem, Moabita significatur: qua uoce Semei exprobrauit ei propriæ stirpis indignitatem, quam ex ignobili & infideli Moabitarum semine duceret.

IN ר res, notatur רוֹצֵחַ Rozeha, id est Homicida, & interfector: qui Vriam innoxium dolo malo sustulit, & omne genus regium Saulis trucidauit.

IN ז zaddi, significatur זָרָע Zarua, id est Leprosus; quia ab omnibus hominibus ex regno suo eiiceretur ad similitudinem uiri leprosi, quem lex iubebat ex urbibus, & hominum confortio pelli.

IN ת thau, significatur תּוֹעֵבָה Thoheua, id est Abominatus non solum ab hominibus, sed à Deo, qui eum, tanquam uirum impium, prorsus abiecerat.

AVGVSTINVS uerò in tractatu nono super Ioannem, & ante eum Cyprianus in tractatu de Sina, & Sion, & post utrunque Beda in commentariis super Ioannem,

Esopi lepidæ, 7 uariæ; septem literarum interpretatio.

3 Reg. 3. 16

nem, declarantes etymologiam nominis Adam, putant primum hominem sic ap- A pellatum, quia terra illa, ex qua factus est, à Deo sumpta esset ex quatuor mundi cardinibus; qui quatuor literis eiusdem nominis comprehenduntur. nam A. ἀνατολήν, id est Orientem; D. δύσιν, id est Occasum; aliud A. ἄριτον, id est Septemtrionem; & M. μεσημβρίαν, hoc est Meridiem significat. hanc nominis interpretationem multis antea sæculis Sybilla in secundo Oraculorum libro his carminibus expresserat:

Ἀντὸς δὴ θεὸς ἔδωκε πλάσσειν τετραγράμματος Ἀδάμ
Τὸν πρῶτον πλαθέντα, καὶ ἑξ ὀνομα πληρώσαντα,
Ἀνατολήν τε, δύσιν τε, μεσημβρίαν τε, καὶ ἄριτον,
quorum hic est sensus.

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam;
Qui primus factus est, & qui nomine complet.
Orientemque, Occasumque, Austrum, Boreamque rigentem.

AD HANC quoque Resolutoria expositionis partem referri potest interpreta- B tio illarum dictionum, quarum singula singulas integras orationes significant; ueluti tres illæ dictiones, quas, ut habetur in quinto capite Danielis, prodigiosa illa manus in pariete coram rege Babylonis descripsit, scilicet מנע MENE; חתת THEKEL; פהרסין PHARESIN; hoc est NUMERATVM, PONDERATVM, DIVISVM. Has Daniel per tres integras orationes exponens, sic interpretatus est. NUMERATVM significat, Numeratum est regnum tuum à Deo, & completum est. PONDERATVM significat, Ponderatum est in statéra, & inuentum est deficiens. DIVISVM significat, Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.

SEQUITVR posterior pars huius expositionis, ad compositionem attinens; quæ fit per commutationem, & transpositionem literarum. hanc apud uetustissimos hebræos fuisse in usu, argumento est Ieremiæ uaticinium aduersus regem Babylonis 25. capite prophetiarum eius descriptum. quo loco propheta, ne apertè iritaret C contra se regem ipsum, nomen BABEL commutatis elementis artificiosè transformauit in SESAC, inquit: ET SESAC calicem iræ Dei bibit post eos. inueniens per uocabulum SESAC iuxta huius explanationis regulam intelligi oportere nomen BABEL. Est autem, ut Hieronymus ibidem refert, explicandi huius nominis regula, quòd sicut nos græcum alphabetum ab A usque ad Ω per ordinem legimus; rursusque ad exercendam memoriam puerorum, solemus lectionis ordinem uertere, & primis extrema miscere, nequentes A & Ω, & B cum Ψ: ita hebræi ab א per ב & ג recto ordine procedunt usque ad ultimam ת cui penultima est ש. Deinde coniungentes simul א & ת, ב & ש, cum ad medium alphabeti peruenerint, literæ ה occurrit ב. unde fit, quòd quemadmodum recto ordine alphabetum percurrentes legimus BABEL, ita permutato ordine legimus SESAC, uocales enim literæ inter ה & ב & ג nominis BABEL, & inter literas ד & ש & ו nominis SESAC iuxta idioma linguæ hebraicæ non ponuntur. Ioannes Picus in Eptaplo sua luculentissimum explanationis huius exemplum affert, exponens illam primam Geneseos dictionem, IN PRINCIPIO. quo in loco scribit D hæc uerba:

DICTIO illa apud hebræos hoc modo scribitur, בראשית beresith. Ex hac igitur dictione, si tertiam literam primæ coniungamus, fit dictio אב ab: si geminata primæ secundam addamus, fit בר be bar: si præter primam omnes legamus, fit ראשית rescith: si quartam primæ, & ultimæ conectamus, fit שבת Sciabat: si tres primas, quo iacent ordine, statuamus, fit ברא bara: si, primam ommissa, tres sequentes, fit ראש os: si, ommissis primæ & secunda, duas sequentes, fit שש es: si, tribus primis ommissis, quartam ultimæ copulemus, fit שש Seth. rursus si secundam primæ, fit רב rab: si post tertiam quintam, tum quartam statuamus, fit אש if: si primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit ברית berith: si ultimam primæ, fit ultimam dictionem, quæ est שו tob, uerso (quod frequentissimum est apud hebræos) ת thau in ו tet elementum. Videamus ergo, quid primum hæc latine significent; tū quæ per

A per ea non ignaris philosophiæ de tota natura mysteria reuelentur: א, patrem significat; bebar, in filio, & per filium: (utrunque enim significat be, oppositio) Rescit principium; Sciabat, quietem, & finem; Bara, creauit; Ros; caput; Es; ignem; Seth, fundamentum; Rab, magni; Isch, hominis; Ber, fœdere; Tob, bono. & totam si ordine consequenti orationem texamus, erit huiusmodi: Pater in filio, & per filium, principium & finem, siue quietem creauit, caput, ignem, & fundamentum magni hominis, fœdere bono. hæc tota oratio ex primæ illius dictionis resolutione, & compositione dissultat. Cuius quàm altus, quàm plenus omni doctrina sit sensus, haud palàm esse omnibus potest. sed, ut aliqua statim omnibus aperta sunt, quæ per has uoces nobis significantur; ita quædam obscura sunt. notum est enim omnibus Christianis, quid sit Patrem in filio, & per filium creasse; quid item sit filium principium esse, & finem omnium: est enim alpha, & omega, ut scribit Ioannes: & ipse principium se appellauit; & nos demonstrauiimus finem rerum omnium esse, ut principio suo restituantur. cætera paulo obscuriora, quid illa scilicet sibi uelint Caput, ignis, & fundamentum magni hominis; quid illud sit fœdus, & qua ratione bonum dicatur. neque enim statim in promptu omnibus uidere hic explicatam mundorum quatuor, de quibus egimus, omnem rationem, cognationem, item & felicitatem: de quibus postremò nos disputauimus. Primum igitur illud aduertendum, uocari à Mose mundum hominem magnum. nam si homo est paruus mundus: utique mundus est magnus homo. hinc sumpta occasione tres mundos, intellectualem, cœlestem, & corruptibilem per tres hominis partes aptissimè figurat, simul indicans hac figura non solum contineri in homine mundos omnes; sed & quæ hominis pars cui mundo respondeat, breuiter declarans. Cogitemus igitur in homine tres partes, supremam caput; tum, quæ à collo ad umbilicum protenditur; tertiam, quæ ab umbilico extenditur ad pedes. sunt enim & hæ in hominis figura uarietate quadam disclusæ, & separatæ. Sed mirum, quàm pulchre, quàm examussum per exactissimam rationem tribus mundi partibus proportionem respondeant. Est in capite cerebrum fons cognitionis: est in pectore cor fons motus uitæ, & caloris: sunt in parte postrema, genitalia membra principium generationis. itidem autem & in mundo, suprema pars, quæ est mundus angelicus, siue intellectualis, est fons cognitionis: quia facta illa natura ad intelligendum est. pars media, quæ est cœlum principium uitæ motus, & caloris; in qua Sol, uti cor in pectore, dominatur: est infra Lunam (quod omnibus) notum generationis principium, & corruptionis. Videtis, quàm aptè omnes hæ mundi partes, & hominis inuicem congruant. Designauit autem Moses primam quidem nomine proprio capitis scilicet: secundam ignem appellauit, & quia hoc nomine à multis cœlum censetur, & quia in nobis hæc portio principium est caloris: tertiam uocauit fundamentum; quia per eam, ut notum omnibus, totum hominis corpus fundatur, & sustinetur. adiecit autem, quòd hæc creauit fœdere bono; quia inter eas fœdus pacis & amicitia ex naturarum cognatione, & mutuo consensu per sapientia Dei legem sancitum est. quod fœdus ideo est bonum; quia ad Deum, qui est ipsum bonum, ita dirigitur, & ordinatur: ut quemadmodum inter se totus mundus est unus, ita & cum suo autore postremò sit unum. Imitemur & nos sanctissimum fœdus mundi; ut & mutua charitate inuicem simus unum, & simul omnes per ueram Dei dilectionem cum illo unum feliciter euadamus. Hæc Picus.

CAETERVM, si hæc tibi pauca uidentur, & utriusque partis exemplum simul connexum uidere desideras, habes diuum Hieronymum in epistola ad Paulam Urbicam, & in præfatione commentariorum in Threnos: quibus in locis tradens quædam, ueluti prima huius artis rudimenta, in primis singula alphabeti hebraici elementa separatim interpretatur: deinde ostendit, quæ Mysteria in singulis ipsorum combinationibus contineantur. cuius uerba, ut tibi amice lector morem geram, hæc subnectere non grauabor: sunt autem hæc: VERVM iam complendum est, quod petiisti, ut sensum uniuscuiusque elementi interpretatio annexa significet. Aleph, doctrina interpretatur; Beth, domus; Ghimel, plenitudo; Daleth, tabularum; Ff He,

He, ista; Vau, &; Zaiß, hæc; Heth, uita; Teth, bonum; Iod, principium; A Caph, manus; Lamed, disciplinæ, siue cordis; Mem, ex ipsis; Nun, sempiternum; Samech, adiutorium; Hain, fons, siue oculus; Phe, os, ab ore, non ab offe dictum intellige, ne literarum ambiguitate fallaris; Zaddi, iustitia; Coph, uocatio; Res, capitis; Scin, dentium; Thau, signa. post interpretationem elementorum, intelligentiæ ordo dicendus est. fiunt enim ex his literis septem connexiones.

QUARVM PRIMA est Aleph, Beth, Ghimel, Daleth, doctrina, domus, plenitudo tabularum; quod uidelicet doctrina ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatnr plenitudine diuinorum.

SECUNDA connexio est He, Vau, Zain, Heth, ista & hæc uita. quæ enim alia potest esse uita sine scientia scripturarum? per quam etiam ipse Christus agnoscitur, qui est uita credentium.

TERTIA connexio habet Teth, Iod, bonum principium. quia quamuis nunc sciamus uniuersa, quæ scripta sunt: tamen ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; & nunc per speculum in ænigmate uidemus. cum autem meruerimus esse cum Christo, & similes angelis fuerimus; tunc librorum doctrina cessabit, & tunc uidebimus facie ad faciem bonum principium, sicuti est.

QUARTA connexio est Caph, Lamed, manus disciplinæ siue cordis. manus intelliguntur in opere, cor & disciplina intelliguntur in sensu: quia nihil facere possumus, nisi prius, quæ facienda sunt, scierimus.

QUINTA connexio est Mem, Nun, Samech, ex ipsis sempiternum adiutorium. hoc explanatione non indiget, sed omni luce manifestius est, ex scripturis in æterna subsidia ministrari.

SEXTA connexio habet Hain, Phe, Zaddi, fons, siue oculus oris iustitiæ, secundum illud, quod in quarto numero exposuimus.

SEPTIMA connexio est (quæ & extrema, quo & in ipso quoque septenario numero fit mysticus intellectus) Coph, Res, Scin, Thau, Vocatio capitis, dentium signa. per dentes articulata uox promitur, & in his signis ad caput omnium, qui est Christus, peruenitur, per quem uenitur ad regnum sempiternum. Hæc Hieronymus.

SUNT quoque apud græcos, ut Isidorus tradit, quinque mysticæ literæ, uidelicet Υ , Θ , Γ , Λ , Σ . quarum prima Υ humanam uitam significat. hanc Pythagoras Samius ad exemplum humanæ uitæ primus formauit: cuius uirgula inferior primam ætatem demonstrat, incertam quippe, & quæ adhuc se nec uitæ, nec uirtutibus dedit. biuium autem, quod superest, ab adolescentia incipit: cuius dextra pars ardua est, sed ad beatam uitam tendens; sinistra faciliior, sed ad labem interitumque deducens. de qua litera uetustissimus quidam poeta, ut Lactantius in libro sexto capite tertio testatur, sic scripsit:

*Littera Pythagoræ, discrimine secta bicorni,
Humana uita speciem præferre uidetur.
Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert;
Sed requiem præbet fessis in uertice summo.
Molle ostentat iter uia lata: sed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus uirtutis amore
Vicerit; ille sibi laudemque, decusque parabit.
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem;
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inops simul, miserabile transigit æuum.*

SECUNDA est Θ thita, quæ mortem significat. nam iudices eandem literam apponebant ad horum nomina, quos supplicio afficiebant. & dicta est Θ thita a morte, id est a morte: unde & habet per medium telum, id est mortis signum. de qua poeta quidam sic ait:

O multum ante alias infelix littera Thita.

TERTIA

A TERTIA T, figuram demonstrat dominicæ crucis: unde hebraicè Signum interpretatur. de qua dictum est in Ezechiele: SIGNA Thau in fronte gementium, & dolentium. reliquas uerò duas α , & ω summam, & ultimam sibi uendicat Christus. ipse est enim principium, & finis dicens: EGO SVM α , & ω . concurrentibus enim in se inuicem his duabus litteris, α ad ω usque deuoluitur, & rursum α ad ω replicatur: ut ostenderet in se dominus & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium. His literis Iustinus philosophus, & martyr addit etiam X. cuius forma ipse in secunda ad Antoninum Pium Apologia affirmat mysterium sacratissimæ crucis Christi contineri, Platonem eius rei testem aduocans; qui in Timæo de filio Dei disserens, inquit, Deum in mundo filium suum instar X literæ posuisse. Prætereo breuitatis causa, quod M. Tullius A. salutarem literam appellet, quia nota esset absolutionis: uerò infaustam, quia condemnationis signum foret.

B SVNT, qui uniuersum hoc expositionis genus explodant, tanquam rem ludicram ac fortuitam: & rursus alij, qui illud supersticiosè admirentur, & usq; in cælum tollant. quarum opinionum extremitatem ipse non approbans, arbitror primum non omnino inuentionem huiusmodi fore contemnendam; tū quia magnos, ut iam ostendi, habeat hæc sententia autor es; tū quod multa sint in sacris literis, quæ sine ea mysticè explicari non possint. neliuti Sacra quædam poemata, quæ ideo dicuntur Alphabeteria, quod iuxta alphabeticorum elementorum ordine disposita sint: ut Dauidis psalmi septem, Mitropedia Lamuelis regis, ac Threni Ieremiæ. quæ quidem Hieronymus existimat non frustra, nec sine ingentibus mysteriis, & ecclesiæ sacramentis in hunc ordinem literarum digesta. Ad hæc, & alia quædam de nonnullis particularibus tam hebræis, quàm græcis literis, quales sunt apud Ezechielem η Thau, litera hebraica signata in frontibus seruandorum, & de A Alpha & Ω Omega græcis characteribus in Apocalypsi Ioannis.

C VERVM ut eos non damno, qui moderatè & aptè hæc suis locis interdum accommodant: ita eos non laudo, qui eadem nimis anxie, & inutit ac prorsus inani labore prosequuntur; cum me non prætereant ex hoc fonte emanasse prodigiosam Valentini, & Gnosticorum insaniam: qui, ut Irenæus, & Epiphanius uterque in primo aduersus hæreses libro ostendunt, omnem diuinam scripturam iuxta hanc elementorum discussionem examinantes, inaudita nouarum hæreseon portenta inuulgant. Atque hæc de primo huius explanationis modo dicta sint satis.

DE SECUNDO ELEMENTARIAE EXPLANATIONIS MODO.



D

SECUNDVS elementariæ explanationis modus, quem Arithmeticum dicere possumus, laborat in inuestigandis significationibus numerorum, quos literæ, in dictionibus & syllabis positæ, repræsentant. qui quidem modus ut apud nos penè incognitus est, ita apud græcos, & apud hebræos hac potissimum ratione usitatus est, quod ipsorum literæ singulæ numerum aliquem significant: siquidem Hebræis \aleph Aleph unum significat, \beth beth duo, γ ghimel tres, δ daleth quatuor, & sic deinceps singula elementa alphabeti hebraici aliquem numerum indicant. Græcis quoque α unum repræsentat, β duo, γ tres, δ quatuor, &c. quæ sequuntur. apud Latinos uerò non ita est: quibus tantum septem sunt literæ numerorum indices, id est C, D, I, L, M, V, X. quarum I unitatem significat, V quinarium numerum, X denarium, L quinquagesimum, C Centesimum, D quingentesimum, M millesimum. & ideo Latini hunc explanationis modum, tanquam Latinis literis ineptum negligunt; quæ Iudæis, & Græcis olim fuisse usitatum ostendunt peruulgatæ quædam utriusque gentis expositiones: de quarum numero extat apud græcos explicatio illa Appionis Grammatici Alexandrini, qui à Tiberio Augusto Cymbalum mundi est appellatus. is, cum exponeret primam illam dictionem Homericæ Iliados, $\mu\eta\mu\eta$ dicere solebat Homerum artificiosè à syllaba $\mu\eta$ librum suum inchoasse, nimirum ut his duabus literis comprehenderet totum nume-

F f 2 rum

rum octo & quadraginta uoluminum, quibus absoluitur uniuersum corpus Iliados, & Odissæ à se editum. numerum enim octo & quadraginta per μ & η græcis designant.

SVNT ET APVD hebræos innumerabiles huiusmodi explanationes, ex disciplina kabalistica profectæ, per quas multa in sacris dictionibus abdita mysteria aperiuntur. ut, exempli gratia, in nomine illo Dei, quod apud ipsos est ineffabile, & quatuor hisce literis scribitur יהוה יהוה, dicunt tres contineri numeros, hoc est Denarium in litera י Iod, Senarium in litera ו Vau, & duplicem quinarium in duobus ה He. quibus etiam numeris aiunt significari infinitam & admirabilem diuinarum uirtutum copiam: propterea quod Denarius totius scientiæ & sapientiæ plenitudinem, Senarius uerò uirtutem uniuersarum rerum, ac totius boni procreatricem sua pte natura designant; quemadmodum Philo Iudæus fati doctè ostendit in explanationibus Hexaameron, & Decalogi; cuius uerba breuitatis gratia omitto.

Es. 9.

AFFERT etiam huius expositionis insigne exemplum Petrus Brutus, episcopus Catanenensis, in suo aduersus Iudæos uolumine: in cuius quarto capite edisserens uaticinium illud Esaiæ de Messia, Multiplicabitur imperium eius, quærit, cur litera מ mem posita in medio dictionis למרבה Lemarbe, id est Multiplicabitur, clausa sit præter naturam suam; cum nunquam in tota diuina scriptura in medio dictionis reperiatur clausa, sed semper aperta? Respondet autem ex sententiâ Rabbi Hammay in libro Sanedrîn, quod Esaias uoluit per hanc literam מ Mem clausam significare occulto quodam supputationis artificio numerum annorum à tempore suo usque ad tempus Messiæ. quam quidem supputationem idem Rabbi Hammay mox citato loco sic digessit, inquit: SI QVIS tempus Messiæ scire uoluerit, accipiat numerum literæ Thau, qui est 400. deinde sumat numeros singulos singularum literarum ab א aleph usque ad מ mem clausum, quarum summa est 185. & coniungat eam cum numero 400. habebit annos 585. qui secundum supputationem hebræorum complent spacium totius temporis à diebus Esaiæ usque ad aduentum Messiæ saluatoris nostri. Quæ uerba dilucidiora euadent consideratis significationibus cuiusque literæ hebræicæ, quæ hæc sunt. Aleph unum significat, Beth duo, Ghimel tria, Daleth quatuor, He quinque, Vau sex, Zain septem, Cheth octo, Teth nouem, Iod decem, Caph uiginti, Lamed triginta, Mem apertum quadraginta unum, Mem clausum quadraginta, &c. Thau uerò significat quatuorcentum. Huc quoque pertinet quod Augustinus tractatu in Ioannem decimo, exponens illud ex euangelio Ioannis, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, dixit, Numerum quadraginta sex annorum ædificationis templi significare ædificationem templi corporei, quod sibi Christus ædificauit ex carne Adæ; cuius nomen A Δ A M apud græcos componitur ex literis, numerum quadraginta sex comprehendentibus. siquidem A unum significat, Δ quatuor, A unum, M quadraginta: qui numeri simul iuncti faciunt quadraginta sex. tot enim diebus Christi corpus in utero Mariæ absolutum est.

Apoc. 13. d.

VIDETUR autem mihi non esse hanc explanationis formam omnino aspernandam, propter locos aliquos diuinæ scripturæ; qui sine quadam obseruatione numeralium elementorum commodè explicari nequeunt. inter hos maximè insignis est locus ex tertio decimo capite Apocalypseos, cuius arithmeticas literas diligenter nos considerare & supputare iubet spiritus sanctus his uerbis: ὁ δὲ ἡ σοφία ἐστὶν. ὁ ἔχει τὸν νῦν ψηφισάτω ἀριθμὸν τῆ θύρας. ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστὶ; καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ ΕΞΑΚΟΣΙΟΙ ΕΞΗΚΟΝΤΑ ΕΞ. id est, Hic sapientia est. qui habet intellectum, computet numerum bestie. numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex. quibus uerbis admonet spiritus sanctus nomen, quo se iniquus ille Antichristus appellabit, componi ex literis numeralibus significantibus numerum 666. de quibus arithmetiis literis, & nomine ex eis resultante, uaria à patribus ad exercitationem ingenij magis, quàm ad assertionis stabilitatem, dicta sunt: quorum aliqua hæc subnectere placet.

Nomen

A Nomen Antichristi secundum Irenæum, & Hippolytum est TEITAN. id est Gigas: notæ uerò numerales, ex quibus deducitur, hoc nomen hæc sunt:

Table with 2 columns: Letter and Value. T=300, E=5, I=10, T=300, A=1, N=50, Summa=666.

Secundum Ticonium nomen eius est ΛΑΜΠΗΤΙΣ, id est illustis: literæ uerò numerales hæc sunt.

Table with 2 columns: Letter and Value. Λ=30, Α=1, Μ=40, Π=80, Ε=5, Τ=300, Ι=10, Σ=200, Summa=666.

B Secundum Aretham nomen eius ΑΑΤΕΙΝΟΣ, id est Latinus: literæ uerò numerales hæc sunt:

Table with 2 columns: Letter and Value. Α=30, Α=1, Τ=300, Ε=5, Ι=10, Ν=50, Ο=70, Σ=200, Summa=666.

Secundum Primasium est ΑΝΤΕΜΟΣ: elementa autem numerorum hæc sunt:

Table with 2 columns: Letter and Value. Α=1, Ν=50, Τ=300, Ε=5, Μ=40, Ο=70, Σ=200, Summa=666.

C ATQUE hæc de elementaria explanatione prolixius fortasse, quàm oportuit, recitauimus; ut rem inusitatam, & paucis notam latius explicarem.

DE PHYSICA EXPOSITIONE.



PHYSICA, id est Naturalis expositio est, quæ mysticos diuinæ scripturæ sermones transfert ad naturæ uniuersitatem, siue ad totius naturæ uires & opera, hoc est ad materiã, formam, partesq; huius mundi sensibilis, inquirens in diuinis eloquijs motum, ordinem, & ornatum sphaerarum celestium, qualitates elementorum, proprietates metallorum, uirtutes plantarum, & animantium mores. hanc quidem exponendi uiam ingressi sunt præcipuè apud hebræos insignes quidam Exodi & Leuitici expositores; qui omnium penè rerum naturas in interpretatione horum uoluminum explicarunt, differentes, quo modo Moses secundum triplicis mundi conuenientiam, & uniuersam rerum naturam, arcam, tabernaculum, uasa, uestes, ritus, sacrificia, & reliqua mysteria ad Deum, & uirtutes cœlestes placandas, & ad expiandum hominem horum imaginem ordinauit. Huius explanationis exemplum ex Philone, Iosepho, Clemente Alexandrino, & Hieronymo super Mosis tabernaculo collectum, hoc est.

Exemplum physice expositionis, in Tabernaculum à Mose descriptum, Exodi capite 26, & 27.

SI QVIS tabernaculi Mosaici fabricam, & quæ in eo sunt, contempletur, & singula non ociosè, sed prudenter consideret; comperiet Mosem, diuinum uirum, in his omnibus representasse quodammodo totius uniuersi naturam. oportebat enim, ut, qui tabernaculum manufactum Deo, totius orbis auctori, condere

Ff 3 instituc-

instituerat, similitudinē earum rerū sumeret, ex quibus mundus à Deo conditus est. **A** Primū igitur omnium ob hanc causam partitus est admirabilem tabernaculi sui structuram in partes tres, nempe in vestibulum, Aulam, & Penetrabile; siue in atrium, Aulam, & adyta; quæ nobis uniuersitatem diuini opificij representarent in tres partes, siue in tres mundos distinctam; hoc est in mundum hunc sublunarem, quem nos incolimus, in proximum huic cœlestem mundum, & in supremum omnium ultra mundanum mundum; quem theologi angelicum, philosophi intellectualem uocant à nemine satis, ut Plato inquit, pro dignitate decantatum.

PRIMA igitur tabernaculi pars, Atrium ac Vestibulum appellata, simulacrum præferebat huius sublunaris mundi; ad cuius similitudinem sub diuo posita erat, nullo defensa tecto uel umbraculo, sed imbribus, Soli, calori, & frigori semper obuia. uersabanturq; in ea promiscuè non modò homines mundi & immundi, sacri, & prophani, sed & omnifarij generis animalia: eratq; in ea ob sacrificia, iugisq; immolationes, perpetua uitæ & mortis uicissitudo. **B**

SECUNDA pars, siue Aula, quæ Sancta dicebatur, medium inter vestibulum & penetrabile locum occupans, totaq; auri splendore fulgens, mundum cœlestem inter supercœlestem, & sub cœlestem mundum collocatum figurabat. erat enim in eius australi plaga candelabrum aureum, septem ardentibus lucernis distinctum: quæ septem significant errantium luminarium motus. nam Sol, Lunaq; cum cæteris planetis, longè à septentrionalibus regionibus desectentes, magis obuersantur australibus mundi partibus. inter has autem lucernas ea, quæ mediam candelabri summitatem obtinet, tres ab utroque latere lucernas habens, solaris astris similitudinem refert. Sol enim quartum à summo pariter atque infimo cœlo orbem possidens, & inter alia sex errantia sidera medius splendens, musicum illud ac uerè diuinum cœlestium sphaerarum organum temperat.

TERTIA uerò tabernaculi pars omnium sacratissima ac secretissima, quæ Penetrabile, Adytum, & sancta sanctorum uocabatur, figuram exprimebat supercœlestis & angelici mundi, qui angelorum, Deiq; optimi est habitaculum. ut enim secretum illud Moisaici tabernaculi adytum mortalibus erat inuisibile & inaccessum, neque ullus in id ingredi poterat, nisi summus pontifex, qui nomen illud ineffabile tetragrammaton **IEHOVA** in fronte gestaret: ita in illum supercœlestem ac diuinum mundum nemini fas est ingredi, & quæ in eo inuisibilia & incomprehensibilia sunt, introspicere, & animo exactè comprehendere, nisi illi soli, quem adumbrabat summus sacrarum rerum antistes, præferens in fronte indicibile nomen **IEHOVA**, quod exponitur, Qui est, quiq; futurus est, & esse facit. Hic autem est supremus rerum omnium moderator Deus, solus ipse gestans ineffabile nomen **IEHOVA**, hoc est Semper existens, & essendi uim cæteris tribuens, solusq; incomprehensibilia supercœlestis mundi eadem, qua se ipsum comprehendit, sapientia plenissimè complectens; Arca etiam, quæ in adytis tabernaculi occultabatur, diuinam erga mundum prouidentiam & gubernationem significabat, sicut enim arca destinata fuerat seruandis tabulis diuinæ legis, & uirgæ Aaronis, & manna; ita in diuinæ prouidentia promptuarijs continentur omnes sapientia leges, quibus tota creaturarum uniuersitas gubernatur, uirga, & sceptrum rectoris potestatis, qua regitur; & manna liberalissimæ largitatis, qua uiuificatur, & pascitur. Cherubim uerò arcam alarum flexibus ambientia, cœlestes illas mentes, ac beatos illos spiritus denotant, qui diuinam maiestatem promptissimæ celeritatis obsequiis, ueluti alato ac ueloci ministerio, ambiunt, ac stipant. **C**

D

DE

DE PROPHETICA EXPOSITIONE.



PROPHETICA expositio est, quæ nullo humano ingenio excogitata, sed solo diuini spiritus afflatu reuelata, scripturas sanctas ad prædictionem futurarum rerum certa & immobili ueritate conuertit, referens prophetarum oracula, uaticinia, uisiones, prophetias, & typicas eorum actiones, quæ in sacris literis continentur ad futuras temporum mutationes, & sæculorum reuolutiones, ad regnorum uicissitudines, ad gentium, populorum, urbium aduersitates, bella, clades, ruinas, uictorias, instaurationes, felicitates, atque alia his similia, quæ diuina prouidentia, uel ita exigentibus mortalium meritis, uel occulto, sed tamen iusto iudicio suo, in posterum fieri decreuit.

EST autem duplex huius expositionis modus: quorum unus quædam nondum impleta, uel nondum intellecta ueterum prophetarum uaticinia, diuino illustrante lumine, reseat, ostendens, & ueluti digito certissimè demonstrans loca, personas, ac tempora, in quibus iandudum prænunciata, sed nondum intellecta oracula compleantur. Alter autem modus antiquas uatum prædictiones, multis iam sæculis impletas & agnitas, iterum futuris temporibus adimplendas fore denunciat. siquidem multæ sunt in diuinis literis prophetiæ, quæ uarios & multiplices habent tam historicos, quam typicos sensus, sed unum tamen cæteris eminentiorem, atque primarium, magisq; proprium; in quem scilicet uaticinantis animus primo conuertitur ferebatur, & in quem præcipuè mentis aciem propheta dirigebat. Cum ergo aliquæ ex his prophetiis iuxta primarium sensum expletæ fuerint; rursus eadem iuxta alios secundarios sensus uel historicos, uel typicos reimplendas fore diuini quidam expositores tradiderunt, afferentes pro exemplo oraculum illud ex

SECUNDO libro regum, quod Deus pollicitus est se in Salomone impleturum: **Ego** 2 Reg. 7. c ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium. quod Paulus, ad Hebræos scribens, Heb. 1. b affirmat denuò consummatum esse in Christo. itemq; illud Ieremiæ uaticinium, Vox in Rhama audita est; ploratus & ululatus multus; Rachel plorans filios suos; & noluit consolari, quia non sunt: quod cum propheta de filiis Israel in captiuitatem Babylonicam abducendis protulisset, Matthæus secundum alterius Ier. 31. c intelligentiæ ueritatem ad interfectionem transtulit paruulorum. itemq; alij rursus iuxta alium sensum, impletionem eiusdem uaticinij factam dixerunt in ultimo urbis sanctæ excidio cum per uiam, in qua Rachel prope Berhlehem condita est, infinita captiuorum Iudæorum millia Romam directa sunt. Mat. 2. s

EXCELLERUNT in utraq; huius explanationis parte Melito Sardensis, Methodius Martyr, Proclus archiepiscopus Constantinopolitanus, Ioachim abbas Florentis, & alij. ex quibus maximè in prima parte eximius fuit Proclus; qui, ut Socrates in septimo historia testatur, cum Scythæ, duce Ruga, aduersus Romanum imperium arma sumpissent, edidit coram Theodosio August. atque eius exercitu prophetica orationem: in qua exponens prophetiam illam ex libro Ezechielis, Ezech. 39. a *Fili hominis uaticinare contra Gog & Magog*, sic ad instantis belli occasionem propheta uerba deflexit, ut pænas omnes, ab Ezechiele descriptas, barbaris imminere prædixit. Cui prædictioni Deus paulò post felicem exitum dedit, igne cœlestus demisso, & præcipuis barbarorum incendio absumptis. Alteram huius expositionis partem non longè à temporibus nostris professus est Hieronymus Saonarola, uir ardentissimi spiritus, in expositione publica prophetarum, præsertim Amos, Zachariæ, & Ezechielis; quorum iam expleta uaticinia, iterum temporibus suis implenda prænunciavit. is quantum hac in parte ualuerit, alij uideant: ipse alienum feruum, & iuxta Pauli sententiam, domino suo stantem, non temere ausim iudicare. Hactenus de Sacrarum expositionum tum uniuersalibus, tum particularibus generibus, ad primam huius artis partem pertinentibus, dictum sit; nunc ad secundam eiusdem artis partem transeundum est. DE

DE

DE SECUNDA ARTIS EXPOSITORIAE
PARTE, SIVE DE INVENTIONE.



DE prima huius sacræ artis interpretatiuæ parte, quam Definitiuam nuncupauimus, hoc est De sensibus diuinæ scripturæ, & de Sacrarum expositionum generibus, deq; ipsorum numero, definitione, & utilitate, quantum præsentis instituti ratio expectere uidebatur, hucusque disserui: consequens nunc esset, ut Inuentionem, quæ secunda est huius artis pars, prosequerem, exponens regulas omnes, & præcepta singula inuestigandi & inueniendi multiplices & obscuras sensuum uarietates in diuinis literis abditas: uerum, cum exacta Inuentionis pertractatio, uix amplo separatoq; uolumine explicabilis, exigua parui libelli portione comprehendere nequeat, multiq; de ea præstantissimi auctores scripta reliquerint omnibus obuia; uisum est mihi absolutam istius partis enarrationem satis superq; ab aliis explicatam prætermittere, & ad tertiam accedere huius artis partem, quæ Dispositiua appellatur, à nullo unquam autore in hanc usque diem nec descripta, nec obseruata. Ne tamen curiosus lector queratur prorsus à me neglectam esse Inuentiuam expositoriæ facultatis partem, perstringam breuissimis uerbis summam capitum, quibus ipsa inuentio comprehenditur, annotatis simul Auctorum nominibus, qui de singulis eius capitibus pertractarunt.

INVENTIO, quæ nos ad inuestigandos arcanos & abstrusos diuinæ scripturæ sensus introducit, duplici absoluitur genere, nimirum Historico, quod historicos intellectus uenatur; & Mystico, quod mystica sensa perquirat. Porro Historicum Inuentionis genus multas amplectitur species, uel partes; quarum insigniores, & inter cæteras magis necessariæ sunt Tropica, Topica, Chronica, Physica, Mathematica, Ethica.

TROPICA est, quæ lectorem introducit ad intelligendos tropos, phrasas, schematismos, idiotismos, proprietates, locutiones; præsertim hebræas, & græcas, atque omnes figuratas orationes; quibus diuinæ literæ supra omnium gentium scripturas abundant. qua in parte Hieronymus, Augustinus, Beda, & Sanctes Pagninus multa scripserunt sequenti uolumine recensenda.

TOPICA siue Topographica est, quæ particulares præstat descriptiones, ac tabulas prouinciarum, regionum, marium, montium, fluminum, sylvarum, urbium, oppidorum, aliorumq; locorum, qui in sacris literis leguntur. quod abundè fecerunt apud Græcos Eusebius Cæsariensis, & apud Latinos Hieronymus, Beda, & Matthæus Aurogallus, Adamanus, Callistus, Orontius, & alii proximo libro numerandi.

CHRONICA, siue Chronographica est, quæ ad tollendas obscuritates quasdam, in sacris literis ex uaria dierum, mensium, & annorum supputatione emergentes, explicat omnes series, successio-

nes,

Anes, ac dinumerationes temporum, sæculorum, annorum, olympiadum, hebdomadarum, ætatum, ac generationum, quæ tota passim diuina scriptura sparsa sunt. Habuit hæc pars scriptores apud græcos præ cæteris insignes Philonem, & Eusebium, apud Latinos Bedam, Hermanum Contractum, & Ioan. Driedonem de quibus in 4. libro dicemus.

PHYSICA docet historiam, proprietates, mores, ac uires præcipuas omnium rerum naturalium; hoc est cælorum, elementorum, animalium, ac plantatum, quæ ubique in sanctis literis describuntur. Laborarunt in hac parte apud Latinos Beda in libro de natura rerum, Anselmus in libro De imagine mundi, & Honorius Aug. in libro eiusdem tituli, & Vincentius episcopus Beluacensis in speculo naturali.

MATHEMATICA est, quæ uiam aperit ad intelligendas considerationes quasdam geometricas, astronomicas, arithmeticas, & musicas; quarum in diuinis literis nonnullæ sunt, tractantes de mensuris, de figuris, de numeris, de ædificiorum ratione, de motibus cælorum, de stellis, de musicis instrumentis, & uaria sonorum ac uocum harmonia. Scripsit de his nonnulla Beda, Honorius Augustudunensis, & Isidorus.

ETHICA est, quæ de uirtutibus moralibus, quæ in sacris literis traduntur, breues quasdam introductiuunculas exhibet; quales illæ sunt, quas Bonauentura Cardinalis, Umberto Magister generalis prædicatorum, Guillelmus Lugdunensis episcopus, & Chrysostomus Iauellus conscripsere. Hæc igitur sunt præcipuæ inuentionis species, sub historico inueniendi genere comprehensæ.

SECUNDVM Inuentionis genus, quod Mysticum appellatur, lectores attollit ad intelligendos spirituales & sublimiores diuinæ scripturæ sensus; hoc est Allegoricos, Anagogicos, & Tropologicos intellectus, adhibitis ad hoc regulis, formulis, & quibusdam præceptis, quibus ueluti clauibus abstrusa spiritualis intelligentiæ arcana referantur, & mystica dictionum ac uocabulorum omnium significata explicantur. Floruerunt in hac parte apud græcos Cyrillus, apud Latinos Ticonius Afer, Eucherius, Rabanus, Hugo Victorinus, Sanctes Pagninus, ac plerique alii, quos sequenti uolumine recensebimus. Nunc pauca hæc de Inuentiuâ huius artis parte annotasse sufficiat.

D DE TERTIA ARTIS EXPOSITORIAE
Parte, quæ Dispositiua dicitur.



TERTIA ac postrema huius sacræ artis pars, quam Dispositiuam, atque Methodicam uocamus, ea est, quæ iam inuentos diuinæ scripturæ sensus, & iam prædicta expositionum genera docet in ordinatam narrationis seriem disponere, & per diuersos dicendi modos, ac uarias docendi uias, quas Methodos nuncupamus, accommodare. Methodi autem, seu uix, tractandis aptandisque sacrarum expositionum generibus idoneæ, innumerabiles penè sunt: ex quibus quæ apud catholicos diuinæ scripturæ expositores præcipuæ sunt, & maxime inter cæteras usitata, subiecta enumeratione comprehenduntur.

G g Enumeratio

ENUMERATIO METHODORVM,
quibus sancti expositores in disponendis sacrarum
expositionum generibus utuntur. hi sunt.

| | |
|-----------------|----------------|
| 1 Translatio | 13 Tabellaria |
| 2 Stigmatica | 14 Enarratio |
| 3 Syllabica | 15 Collatio |
| 4 Partitio | 16 Meditatio |
| 5 Epitome | 17 Poema |
| 6 Egloge | 18 Epistola |
| 7 Notariaca | 19 Inquisitio |
| 8 Paraphrasis | 20 Coaceruatio |
| 9 Lexice | 21 Thematica |
| 10 Annotatio | 22 Collectanea |
| 11 Commentatio | 23 Scholastica |
| 12 Sciographica | 24 Pandesiaca. |

HAB igitur, ac tot sunt Methodi sacris expositoribus deseruientes: quarum in presenti tractatu explicaturi sumus descriptiones, partes, & officia, & exempla in singulis separatim. Accipiemus autem, loco generalis thematis, & exempli aptissimi ad exprimendas uniuscuiusque Methodi peculiare conditiones, ac proprietates, psalmum centesimum decimum sextum, omnium breuissimum. cuius expositionem quomodo per omnes Methodorum species deducere, & per singulas specierum uarietates inuertere possimus, clarissimis cum regulis, tum exemplis ostendemus, initium tractationis ab ipsa diuina scriptura translatione sumentes.

DE TRANSLATIONE SACRA,
METHODVS PRIMA.



TRANSLATIO, siue Interpretatio, quæ tam secundum naturam, quam secundum doctrinam & temporis ordinem inter ceteras explanatorias diuina scripturae Methodos primum sibi locum uendicat, Methodus est, quæ sanctas scripturas ex alia in aliam linguam uertit, non solum sensum sensui, sed uerbum uerbo summa cura & fide reddens. nam etsi in interpretatione secularium scripturarum summa sit interpretis laus, ut non uerbum de uerbo, (id enim sæpe absurdam reddit translationem) sed sensum de sensu appositè, & eleganter exprimat: in sacris tamen scripturis propter uerborum ordinem, & innumera mysteriorum sacramenta, quæ in singulis penè uerbis abdita sunt, fideli interpreti debitum & necessitas incumbit, ut uerbum de uerbo fidelissimè reddat. Ecceuerunt in hoc transferendi studio apud Latinos diuus Hieronymus, Augustinus episcopus Nebiensis, & Sanctes Pagninus; apud Græcos uero septuaginta duo interpretes, Apostolorum & Euangelistarum, qui translatione ipsorum ubique usi sunt, autoritate comprobati; post illos autem Aquila, Symmachus, Theodotion, & alij nonnulli, ex quorum editionibus uaria multarum translationum uolumina tam ab Origene, quam ab aliis Græcis, & Latinis collecta sunt. & ex his alia quidem Tetrapla, alia Hexapla, alia Octapla à numero columnarum dicta sunt.

Primò

A PRIMÒ enim Tetrapla appellarunt Græcos codices, in quibus singula pagina per quatuor columnellas ita distinguebantur, ut in prima columnella esset editio duorum & septuaginta interpretum; in secunda translatio Aquilæ; in tertia Symmachi; in quarta Theodotionis.

HEXAPLA nuncuparunt Græca uolumina, in quorum singulis paginis sex columnarum disponebantur. harum prima habebat contextum scripturae sanctæ hebraicum, & hebraicis literis descriptum. Secunda contextum hebraicum Græcis literis è regione exaratum, propter illos, qui hebraica legere nesciebant. Tertia Aquilæ uersionem continebat. Quarta Symmachi translationem. Quinta septuaginta duorum editionem. Sexta Theodotionis editionem.

OCTAPLA uerò uocantur exemplaria, quorum singula octo columnarum sic erant digesta, ut in primis sex columnis sex prædictæ translationes haberentur; in septima uerò columna quinta Græca editio, ab Origene in Hierico inuenta; in octaua autem sexta Græca editio, ab eodem Origene in litore Agiaco reperta.

B SED, ut hæc lucidiora fiant, sumemus, ut iam prædiximus, exempli gratia psalmum centesimum decimum sextum, cuius uarias translationes in decem capli, hoc est in decem columnarum seriem dispositas, hæc præ oculis ponimus, collocantes in prima columna hebraicam psalmi scripturam, in secunda chaldaicam, in tertia Græcam septuaginta interpretum, in quarta latinam hebraeæ respondentem, in quinta latinam Græcæ respondentem, in sexta latinam chaldaicæ respondentem, in quatuor uerò sequentibus iterum quatuor diuersas latinas editiones hebraicæ respondententes.

Typus translationis decaplæ in psalmum

| I. | II. | III. | IIII. | V. |
|---|--|---|--|--|
| HEBRAEA. | CHALDAEA. | GRAECA. | LATINA Hieronymi Hebraea respond. | LATINA Graeca respondens. |
| הללויה | הללויה | ΑΛΛΗΛΟΥΙΑ. | ALLELVIA. | ALLELVIA. |
| הללו ארץ יהוה כל גוים שבחיהו כל האמים : | שבחו ירויה כל עמיה שבחו יתיה כל אומיה : | Αἰνῆτε τὸν κύριον τὰ ἔθνη, ἐπαινεσατε αὐτὸν τὸν πάντες οἱ λαοί. | Laudate dominū omnes gentes: lau- date eum omnes populi. | Laudate dominū gentes: celebrate ipsum omnes po- puli. |
| פיוגבר עלינו חסד ואמת יהוה לעולם : | ארום אגבר עלינא טוביה וקושטא לעלמא : | Ὅτι ἐπραταύθη τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἡ ἀλήθεια τῆς κυ- ρίας ἕως τῶν αἰῶνα μέ- γα. | Quoniam confir- mata est super nos misericordia eius: & ueritas domini in æternum. | Quoniam corrobo- rata est misericor- dia ipsius super nos: & ueritas do- mini manet in sæ- culum. |

centesimum decimum sextum.

| VI. | VII. | VIII. | IX. | X. |
|---|--|---|---|--|
| LATINA Chaldaea respōd. | HEBRAEA respondens. | HEBRAEA respondens. | HEBRAEA respondens. | HEBRAEA respondens. |
| ALLELVIA. | ALLELVIA. | ALLELVIA. | ALLELVIA. | ALLELVIA. |
| Laudate Deū om- nes populi: lauda- te eum omnes na- tiones. | Laudate Iouā gen- tes omnes: hunc celebrate nationes omnes. | Laudate dominū omnes gentes: præ- dicare ipsum om- nes populi. | Laudate Deū om- nes gentes: hono- rate eum uniuersa nations. | Laudate dominū omnes gentes: om- nes quoque popu- li laudate eum. |
| Quoniam robora- ta est super nos bo- nitas eius: & ue- ritas domini in æ- ternum. | Cuius Iouæ & cle- mentia erga nos excellit: & fides æ- terna est. | Nam benignitas eius erga nos præ- pollet: ac ueritas domini æternūm permanet. | Quoniā aucta est in nos pietas eius: atque ueritas do- mini manet in sæ- culum. | Quoniam gratia eius erga nos ma- gis ac magis ado- lescit: & fides eius in perpetuum du- rat. |

DE STIGMATICO EXPONENDI MODO
METHODVS SECVNDA.



POST primam transferendi sanctas literas Methodum, statim secundo loco sequitur Στιγματικη, siue Punctuaria exponendi Methodus; quam Hebraei פרוש הנקודות Perrus hanekudoth, id est Interpretationem punctorum uocant. Est autem haec peculiaris hebraeorum in sacras literas expositio; quae ex diuersis uocalium punctorum posituris sonos, uoces, prolaciones, ac significata singularum dictionum, & sensum totius sanctae lectionis ostendit. cuius interpretationis inuentio hanc habuit occasionem. Vetus hebraeorum lingua, quae Sancta dicitur, & qua usi sunt diuinorum uoluminum scriptores, atque ipse potissimum Esdras, (qui post captiuitatem Babyloniam sacros libros Hierosolymitano incendio absumptos fidelissime restituit) duas & uiginti literas habet: inter quas nullae sunt uocales literae, hoc est per se sonantes, & absq; alterius literae adminiculo uocem implentes; quales apud nos sunt a, e, i, o, u. sed omnes insonae sunt, siue consonantes; quae per se solae in uocem erumpere non possunt, nam etsi א Aleph, & י Hain, & ה He, & י Iod, & ו Vau hebraeorum literae prima fronte uocalem sonum habere uideantur: sunt tamen ueluti mutae, & uix quicquam per se auribus exhibent.

Cum itaque prisci hebraeorum scriptores uocalibus omnino destituerentur, sola consonantium literarum scriptura, uti cogebantur: quam cum legere uellent, & dictiones ex insonis literis compositas, ac prorsus mutas ore ac lingua exprimere; quod scripturae deerae, sono uiuae uocis supplebant, addentes consonantibus literis sonos quosdam uocales ex communi propriae gentis locutione, & uulgatae prolacionis consuetudine mutuatos. exempli gratia, si scribendum fuerat hoc nomen Lamech: notabant illud tribus tantum consonantibus litteris, uidelicet למך Lmc. deinde, cum ipsum fuerat uiua uoce pronunciantium, ex naturali quadam propriae prolacionis peritia & usu aduocabant, siue consonabant ipsum L, addito fonitu uocalis literae A & M, similiter adhibito sono uocalis E. sicque totam dictionem sono explentes, pronuntiabant למך Lamech. & iuxta hunc morem Iudaei omnes quaecunque hebraica scripta legere consueuerant. Sed postquam Hierosolymitanum regnum funditus fuit euersum, & Iudaei a Romanis in ultimam, ac sempiternam captiuitatem fuerunt abducti, ac toto terrarum orbe dispersi; paulatim coeperunt sermonem patrium obliuisci, linguam sanctam dediscere, sacrae lectionis intelligentiam amittere; & propter defectum uocalium literarum diuinam scripturam dictiones per se, ut iam diximus, insonas uariis & ambiguis sonis efferre, legere, intelligere, & exponere, atque etiam in alias linguas diuersis, & inter se discrepantibus uerbis, ac sensibus tum ex ignorantia, tum ex malitia transferre. Quod cum animaduertissent Rabbinii, Iudaeorum magistri, ueriti, ne uera ac germana diuinam scripturam lectio, uocalibus litteris destituta, prorsus interiret, excogitarunt in locum uocalium puncta quaedam, ac notulas, quae, singulis consonantibus appositae, suum cuiusque literae sonum proderent, ac propriam cuiusque dictionis significationem aperirent. Quod ut fiat appposito exemplo clarius, accipiamus dictionem זכר tribus consonantibus scriptam, in illo diuino oraculo, quod Deus in Exodi libro protulit aduersus Amalechitas, inquit: DELEBO זכר, hoc est memoriam Amalech de sub caelo. quae uox (ut Iudaei quidam, inobedientiam Saulis regis magis pie, quam uere excusantes, affirmant) occasionem praebuit ruinae ipsi Sauli: cui cum praecipisset Samuel, ut praedictum oraculum in mox a se uincendos Amalechitas expleret; ipse, deceptus uocabuli זכר ambiguitate, credidit satisfactum iri praeepto, si tantum mares Amalechitarum abstulisset: quoniam זכר tam masculinum, quam memoriam significaret. & ob id occisis, excepto rege, omnibus masculis, omnem sibi praedam, aurum, argentum, & armenta Amalechiticae gentis referuauit. Ne igitur

Hoc ipsum de aduoculacione hebraicarum consonantium annotauit Hieronymus in epistola ad Euzagrium, sic ut uidere poteris supra pag. 34. b.

A igitur in posterum ex huiusmodi æquiuocationibus labendi occasio nasceretur, uisum est Iudaeorum magistris aduoculare per puncta omnes sacras dictiones. uerbi gratia, ne ultra in dubium uerteretur, quomodo praedicta uox זכר legenda foret; posuerunt sub ; haec duo puncta . . quae Zere uocantur, sonum uocalis E longae exprimentia. sub ם uero collocarunt tria haec puncta . . Sægol appellata, quae uocalis E breuis sonum reddunt. quibus punctorum annotamentis ostenderunt geminam ac perfectam huius dictionis prolacionem esse זכר Zecher, quod memoriam significat; & non זכר Zachar, quod masculinum denotat.

Ad exprimentas autem omnium uocalium tam breuium, quam longarum, sonos, decem punctorum, & uirgularum positiones inuenerunt: quarum nomina, formae, ac uoces haec sunt:

| | BREVES. | LONGAE. |
|----------|---------|---------|
| B | a - | a . |
| | c " | c " |
| | i ם | i ם |
| | o " | o |
| | u \ | u ; |

Est etiam praeter haec decem puncta & alius punctus, Scheua nuncupatus, duobus punctulis, quorum alter alteri perpendiculariter superstat, expressus hoc modo: Hic tamen non reputatur inter uocales, sed a grammaticis uocatur ex officio suo seruus seruorum; quia ceteris uocalibus deseruiat punctis. quibus quamquam hebraeorum doctores uniuersam diuinam scripturam interpretati fuerint, eamque sic interpretatam omnibus promiscue legendam inuulgauerint: tamen, ut uenerandam priscam conscriptionis uetustatem maiestatemque intactam retinerent, ad imaginem antiquarum scripturarum, quas Moyses, Esdras, ceterique diuinorum librorum scriptores scripserunt, inuiolabili decreto sanxerunt, ut uolumina illa Mosaicae legis, quae in synagoga summa cum reuerentia seruantur, sine ullis uocalibus punctis scriberentur; ne autoritati, ac maiestati diuinam legis asceticis, nouitiisque additamentis detrimentum aliquod afferri uideretur.

RABBI Elias Germanus in praefatione libri Masoreth hammaforeth arbitratur huiusmodi punctorum expositionem inuentam fuisse anno quadringentesimo trigesimo sexto post ultimam sanctae urbis euerfionem, a Iudaeis urbis Tyberiadis, qui semper in lingua sancta cultiores omnibus hebraeis habiti sunt. Sed, cum neque Epiphanius, neque Hieronymus talium punctorum ullam fecerint mentionem, & solas consonantes in codicibus suis habuisse satis aperte indicent; uerisimilius mihi uidetur, quod Iacobus, episcopus Christopolitanus, in praefatione psalmodum scribit, uidelicet hoc genus expositionis longè post tempora Constantini repertum a Iudaeis Babylonis Aegyptiae, quae nunc Cayrum appellatur, opera ac solertia Rabbi Hammay, & Rabbi Assè, autorum Thalmudicae doctrinae, qui primi has punctorum notas ostenderunt. non tamen facile affirmauerim, quod idem episcopus eodem loco asserit, Rabbinos uidelicet Iudaeorum, in odium Christianae religionis, unanimes consensu omnem ueterem scripturam hac punctorum appositione contaminasse, deprauasse, & a uero sensu peruertisse; ut hoc peruerso artificio ueritatem, a Christianis ex hebraeo fonte haustam, quoad fieri posset, offuscarent, atque extinguerent: & ob hanc causam, ipse addit, nullam fidem adhibendam esse hebraeorum exemplaribus, huiusmodi punctorum interpretatione corruptis & falsatis. Cui sententiae ne omnino assentiar, prohibet diuini Hieronymi translatio; quae in praecipuis locis diuinam scripturam, quibus fundamenta fidei Christianae, ac ueritas nostrorum dogmatum potissimum comprobantur, & de quibus praesertim inter Iudaeos & nos

& nos controuersia est, semper ferè cum hac punctuaria hebræorum expositione consentiat. tamen in rebus leuissimi momenti, & quæ pluribus sensibus absque illo ueritatis præiudicio interpretari possunt, sæpe dissentiat. huc accedit & illa Augustini in quinto decimo de ciuitate Dei persuasio, quòd nullus unquam sanæ mentis credere poterit Iudæos, quantumlibet malos ac peruersos, in codicibus tam multis, & tam longè lateq; dispersis in unum conuenisse, & odio Christianorum in corruptionem suorum uoluminum conspirasse: ut scilicet, dum aliis inuiderent, scripturæ ueritatem, ipsi se ipsos ueritate priuarent. Atque hæc de punctuaria Hebræorum expositione.

Cum hac aliquam similitudinis umbram habere uidetur Prosodica apud Græcos diuinæ scripturæ illustratio, hoc est tonorum, spirituum, accentuum, punctorum, & hypostigmaton appositio; quæ nunc ubiq; uisuntur in græcis codicibus, quos antiquitus nudis tantum literis absque ullis accentuum notis fuisse conscriptos testes sunt Epiphanius, Salaminæ episcopus, in libro de partibus diuinæ scripturæ, & Franciscus Xymenius, archiepiscopus Toletanus, in editione noui testamenti. uisum est autem postea græcis patribus hæc addere, non solum ad rectam ac distinctam scripturæ sanctæ lectionem, sed ad discernendas quoque ambiguitates quasdam non parui momenti, quæ sine his notulis, apicibus, ac punctis dirimi non poterant. Verbi gratia, cum uenisset in controuersiam, quo sensu intelligenda esset sententia illa, quæ habetur in cantu Angelorum apud Lucam Euangelistam, *Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἀνθρώποις ἐδούλια*, hoc est, *Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis*, an scilicet sentiendum esset, pacem allatam hominibus, bona uoluntate præditis, propter bonam eorum uoluntatem. quem sensum facere uidentur prædicta uerba græca, sine ulla distinctione scripta, & puncto sub ultima litera postremæ dictionis affixo. uel an magis intelligere oporteret, quòd non solum pax, sed & bona uoluntas unâ cum ipsa pace exhibita esset hominibus, quem sensum eadem uerba reddunt, si ita legantur: *Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη*, hoc est, *Et in terra pax*; & postea, interposita distinctionis nota, additur, *Ἀνθρώποις ἐδούλια*, id est, *Hominibus bonæ uoluntatis*, remoto uidelicet puncto, qui sub ultima litera iacebat. Origenes omnem controuersiam sustulit, posito sub ultima litera dictionis *ἐδούλια* exiguo puncto, qui indicaret uocem illam non esse primi, sed tertij casus, sententiamq; concludere talem: *Et in terra pax hominibus bonæ uoluntate, scilicet præditis*. Sunt & aliæ multæ ambiguitates, quæ huiusmodi notulis tolluntur; quas in sacris græcis codicibus quilibet, uel mediocriter græcarum literarum peritus, per se ipsum facillè cognoscet.

Est. 6.

PARADIGMA

A PARADIGMA STIGMATICAE INTERPRETATIONIS
IN PSALMVM CXVI. QVATVOR COLUMNELLAS
COMPREHENDENS.

PRIMA quarum scripturam Hebraicam continet, punctis uocalibus destitutam.
SECUNDA eandem habet scripturam, punctis uocalibus interpretatam.
TERTIA continet hebraica, uerba latinis literis iuxta interpretationem punctorum uocalium descripta.
QUARTA habet latinam eiusdem hebraicæ scripturæ translationem.

| I. | II. | III. | IIII. |
|-------------------------|-------------------------|-----------------|-----------------------|
| הללו את יהוה כל גוים | הללו את יהוה כל גוים | Allelu & Iehoua | Laudate dominum |
| שבחוהו כל האמים | שבחוהו כל האמים | cal goim: | omnes gentes: |
| כי נבר עלנו | כי נבר עלנו | sciabachuhu | laudate eum |
| חסדו | חסדו | cal haummin. | omnes populi. |
| ואמת יהוה | ואמת יהוה | Chi gauat | Quonia confirmata est |
| לעולם | לעולם | alenu | super nos |
| | | chafedo: | misericordia eius: |
| | | ue emeth | & ueritas |
| | | iehoua | domini |
| | | le olam | in æternum. |

DE SYLLABICA EXPONENDI RATIONE
METHODVS TERTIA.



YΛΛΑΒΙΚΗ, hoc est, syllabica, siue Indicatoria Methodus, quæ librorum indices, à græcis συλλαβες appellatos, componit, uetusissimum inuentum est, sicut M. Tullius, ad Atticum scribens, testatur. cum enim studiosi illi ueteres locupletem rerum, ac uerborum omnium copiam semper, & cum summa commoditate in promptu habere desiderarent, excogitarunt sibi indices, alphabetario ordine digestos; quibus minimo laboris, ac temporis dispendio, ad quod quisq; perquireret, tanquam manu duceretur. quorum inuentionem imitati posteriores literarum amatores, præsertim Iurifconsulti, ac theologi libros ferè omnes professionis suæ in elenchos, syllabos, indices, tabulas, & repertoria copiosissima redegerunt, in quibus primum locum tenet opulentissimus ille Biblicus Index, quem uocant Concordantias maiores sacrae Bibliæ, ab Hugone Cardinali, & Conrado Alberstadio Monacho collectus, suffragantibus quingentis diuersorum cænobiorum monachis: qui omnia nomina, uerba, participia, aduerbia, propositiones, atque omnes tam declinabiles, quam indeclinabiles orationis partes, toto Bibliorum corpore comprehensas, in Alphabeticum ordinem digesserunt, annotatis libris, capitulis, & singulis quoque capitulorum lineis, in quibus quæcunque dictio quæsitæ dictioni similis & concordans haberetur. Est autem tanta huius magni Indicis & commoditas, & utilitas, ut quumprimum studiosus lector ipsum prudenter, & cum

H h iudicio

iudicio uerfare didicerit, & familiaritati eius assuescere cœperit, illico sentiat se **A**
in illo inuenisse thesaurum quendam inexplebilem, hoc est uniuersalem, & absolu-
tissimam totius diuinæ scripturæ expositionem: ex cuius usu non minorem fructum,
ac delectationem capiat, quàm si innumeros expofitorum commentarios euolueret.

M E M I N I me olim rogantibus amicis dedisse in hunc indicem, breuem com-
mentariolum **D E V S V E T V T I L I T A T E** Concordantiarum sacræ Bibliæ inscriptum,
breues & dilucidas quasdam regulas comprehendens; quibus instructi sanctarum li-
terarum amatores facîle possent ex hoc uno Concordantiarum uolumine, etiam abs-
que ullis expofitorum commentariis, innumerabilium ferè locorum, in diuinis lite-
ris obscurorum, sensus, & intelligentias uarias, ac multiplices intelligere, & expli-
care; nec explicare solùm, sed, quod longe operosius est, comparare sibi super qua-
cunque diuinæ scripturæ sententia latissimam enarrationem, &, si opus foret,
etiam integræ & copiosæ concionis materiam inuenire. Huius artificij exemplum **B**
proponam tibi in principium psalmi centesimidecimesexti, ostendens, qua ratione
liceat ex hoc Indice concordantiarum colligere locupletissimam enarrationem su-
per duabus primis huius psalmi dictionibus: pro quibus explicandis tria tibi prius
peragenda sunt.

I N P R I M I S, aperto uolumine Concordantiarum, quæres sub syllaba, **L A V**,
uerbum **Laudare**, & omnes similiter uoces eidem uerbo affines; ut **Laus**, **Laudatio**,
Laudans, **Laudabilis**, **Laudandus**, & his similes: & inuenies statim sub his uocabulis
omnia utriusque testamenti dicta, testimonia, autoritates, ac sententias ad Dei
laudem pertinentes numeratim citatas, truncatis tamen periodis, & concisis saepe
dictionibus strictissime annotatas.

S E C U N D O ex tam numerosa sententiarum multitudine eas tantùm colliges, & in
schedula describes, quas uideris illustriores, quasque proposito tuo aptiores, ma-
gisque accommodatas cognosces. cognosces autem illas facîle inter alias, & à cate-
ris minus aptis paruo labore discernes, si prius fueris in sacrarum literarum lectione **C**
uersatus, & non omni prorsus iudicio destitutus. oportebit autem, ut in describen-
dis prædictis autoritatibus, habeas semper præ oculis codicem Biblicum; ut, eo in-
specto, fideliter suppleas, & pristinae suæ integritati restituas periodos illas, quas in
Concordantiis truncatim citatas iam inueneras.

T E R T I O, postquam sententias instituto tuo idoneas integrè conscripseris, ite-
rum omnes à prima usque ad ultimam aliquantulum cogitatione percurrito; &
singularum sensus tecum ipse parumper expendito; ac demum iuxta cõmunem il-
lam partitionis Methodum, qua dialectici, rhetores, & optimi quique scriptores
uti solent; & quam te prius in scholis didicisse necesse est, distinguo iam collectam
sententiarum syluam; & in certos ordines, classesque redige: & in his ordinibus
separatim, & sub diuersis titulis autoritates singulas, ut tibi uisæ fuerint, magis
inter se & sensu, & scopo affines ita coaptabis, ut ex ipsarum dispositione explicetur
tota series argumenti De diuina laudatione. hoc est colligantur à te diuinæ lau-
dationis definitio, causæ, effectus, partes, officia, modi, loca, tempora, neces-
sitas, utilitas, impedimenta, &c. his similia, quæ dialectici, & Rhetores in quocun-
que proposito rei argumento iubent inquiri.

S E D, ut hæc planius intelligas, ponam tibi primùm ob oculos indistin-
ctam farraginem sententiarum diuinæ scripturæ, ad diuinam lau-
dem pertinentium, ex libro Concordantiarum uerbotenus cum suis numeris de-
sumptam: deinde easdem autoritates in particulares titulos ea ratione distribuam,
ut in his legere possis exactam, & copiosam explanationem uerborum, à quibus
psalmus centesimus decimus sextus incipit.

FARRA-

**FARRAGO INDISTINCTA SENTEN-
tiarum sacræ scripturæ, ad Dei laudem pertinentium è uerbo
ad uerbum ex Indice Concordantiarum transcripta.**

L A V D A R E.

| | | | |
|--------------|--------|---|---|
| Pfalm. | 21 | e | In medio ecclesiæ laudabo te. |
| | 21 | f | Laudabunt dominum, qui requirunt eum. |
| | 34 | c | In Populo graui laudabo te. |
| | 34 | d | Tota die laudem tuam. |
| B | 62 | b | Labiis exultationis laudabit os meum. |
| | 68 | d | Laudabo nomen Dei cum cantico. |
| | 83 | a | In sæcula sæculorum laudabunt te. |
| | 99 | a | Laudate nomen eius, quoniam suaue est. |
| | 118 | a | Viuet anima mea, & laudabit te. |
| | 14 | a | Laudate dominum, quoniam bonus. |
| | 144 | a | Laudabo nomen tuum in sæculum sæculi. |
| | ibidem | | Generatio & generatio laudabunt opera tua. |
| | 145 | a | Lauda anima dominum, laudabo dominum. |
| | 146 | a | Laudate dominum, quoniam bonus est. |
| | 148 | a | Laudate dominum omnes angeli eius. |
| | ibidem | | Laudate eum uirtutes, Sol, Luna. |
| C | 50 | a | Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius |
| | 150 | a | Laudate eum in sono tubæ psalterio, cythara |
| Actus | 16 | c | Media nocte laudabant Deum. |

N O N L A V D A R E.

| | | | |
|-------------|-----|---|---|
| Pfalm. | 113 | d | Non mortui laudabunt te, Domine. |
| Esa. | 38 | d | Neque infernus, neque mors laudabit te. |

L A V D A N S.

| | | | |
|-------------|----|---|--|
| Pfalm. | 17 | a | Laudans inuocabo dominum. |
| Lucæ | 24 | g | Erant semper in templo laudantes Deum. |

L A V D A T I O.

| | | | |
|--------|-----|---|--|
| Pfalm. | 49 | c | Quare tu enarras laudationes meas? |
| | 144 | d | Laudationem domini loquetur os meum. |
| | 146 | c | Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio. |

L A V D A B I L I S.

| | | | |
|--------|-----|---|-------------------------------------|
| Pfalm. | 144 | a | Magnus dominus, & laudabilis nimis. |
|--------|-----|---|-------------------------------------|

L A V S.

| | | | |
|--------------|----|---|-------------------------------------|
| Deut. | 26 | d | Creauit in laudem suam. |
| Pfalm. | 21 | f | Apud te laus mea in ecclesia magna. |
| | | | Hh 2 Semper |

| | | | | |
|-------|--------|---|--|---|
| | 33 | a | Semper laus eius in ore meo. | A |
| | 49 | c | Immola Deo sacrificium laudis. | |
| | ibidem | | Sacrificium laudis honorificabit me. | |
| | 68 | g | Magnificabo eum cum laude. | |
| | 115 | a | Tibi sacrificabo hostiam laudis. | |
| | 118 | x | Septies in die laudem dixi tibi. | |
| | 150 | c | Omnis spiritus laudet dominum. | |
| Eccl. | 15 | b | Non est speciosa laus in ore peccatoris. | |
| Eccl. | 43 | d | Maior est omni laude. | |
| Esa. | 63 | b | Laudem domino super omnibus. | |
| Ionæ | 2 | d | In uoce laudis immolabo. | |
| Eph. | 1 | a | In laudem gloriæ suæ. | |
| Heb. | 13 | c | Offeramus hostiam laudis. | |
| Apoc. | 19 | a | Laus & gloria Deo nostro. | B |

PRAEDICTAE FARRAGINIS METHO-
dica partitio, in varias sententiarum classes distributa, & ad
expositionem duarum primarum dictionum psalmi centesimi
decimi sexti pulchrè accommodata.

Thema exponendum **LAUDATE DOMINUM.**

DEFINITIO.

Laudare Deum, est enarrare amplitudinem diuinarum
uirutum, quoad à nobis fieri potest.

GENERATIO & Generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronun-
 ciabunt: **MAGNIFICENTIAM** gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua
 narrabunt: Et uirtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam nar-
 rabunt. **MEMORIAM** suauitatis tuæ eructabunt, &c.
QVIS enarrabit, & quis magnificabit Deum, sicut est ab initio? maior est enim
 omni laude. si glorificatis dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc
 admirabilis magnificentia eius.

ENCOMIUM.

Laus est sacrificium omnium præstantissimum, quo uel maximè delectatur Deus.

Psal. 49 Immola Deo sacrificium laudis: & sacrificium laudis honorificabit me.
 Psal. 68 Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude: &
 placebit domino super uitulum nouellum cornua producentem, &
 unguilas.
 Psal. 15 Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini inuocabo.
 Ionæ 2 Ego autem in uoce laudis immolabo tibi pro salute mea.
 Hebr. 13 Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, placentem, id
 est fructum laborum contentium nomini eius.

DEVM omnia fecisse in laudem gloriæ suæ.

Deut. 26 Cunctas gentes creauit Deus in laudem, & nomen, & gloriam suam.
 Eph. 1

▲ Eph. 1 Elegit nos ante mundi constitutionem; & prædestinavit nos in ado-
 ptionem filiorum per Iesum Christum, in laudem gloriæ gratiæ suæ.

NECESSITAS.

Omnes tam insensibiles, quàm sensibiles, & intelligibiles creaturæ ex diuino
præcepto ad Dei laudem, pro modo suo tenentur.

Psal. 148 Laudate dominum omnes angeli eius: Laudate eum Sol, & Luna,
 omnes stellæ, & lumen: Laudate eum cæli cælorum, aquæ omnes,
 grando, nix, glacies, bestiæ, pecora, uolucres, reges terræ, popu-
 li, &c. usque in finem psalmi, Omnis spiritus laudet dominum.

CAUSAE.

Deus innumera de causis laudandus est à nobis, præcipuè uerò ob eximiam
bonitatem, & innumera beneficia, quæ nobis quotidie ex diuina Bo-
nitatis, & misericordiæ largitate præstantur.

Psal. 134 Laudate dominum, quoniam bonus: psallite nomini eius, quoniam
 suaue.

Esa. 63 Demus laudem domino super omnibus, quæ reddidit nobis dominus;
 & super multitudine bonorum, quæ largitus est secundum indul-
 gentiam suam; & secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Psal. 99 Laudate nomen eius, quoniam suauis est dominus, in æternum mise-
 ricordia eius.

MODVS.

Deus animo primùm, deinde uoce, psalmis, canticis, & musicis instru-
mentis, ac potissimùm bonis operibus laudandus est.

Psal. 145 Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in uita mea.

Eccl. 51 Laudabit usque ad mortem anima mea dominum.

Psal. 61 Labiis exultationis laudabit os meum.

Psal. 146 Laudate dominum: quoniam bonus est psalmus. Deo nostro sit iu-
 cunda, decoraq; laudatio.

Psal. 150 Laudate eum in sono tubæ; laudate eum in psalterio; & cythara. lau-
 date eum in tympano; & choro; laudate eum in chordis, & organo.
 laudate eum in cymbalis bene sonantibus.

TEMPVS.

Non solum statutis diei, noctisq; horis corde, & ore laudandus est Deus, sed
& toto uita tempore affectu, & opere celebrandus.

Psal. 118 Septies in die laudem dixi tibi.

Act. 16 Media nocte Paulus & Silas adorantes, laudabant Deum.

Psal. 32 Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Psal. 34 Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

Psal. 144 Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæcu-
 lum sæculi.

Psal. 145 Laudabo dominum in uita mea: psallam Deo meo, quandiu fue-
 ro.

LOCVS.

In omni loco, sed in ecclesia præsertim, ac templo laudandus est Deus.

- Pfalm. 112 A Solis ortu usque ad occasum laudabile nomen domini.
 Pfalm. 21 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te.
 Pfalm. 34 Confitebor tibi in ecclesia magna: in populo graui laudabo te.
 Pfalm. 134 Laudate serui domini in domo domini, in atris domus Dei nostri.
 Luc. 24 Discipuli, regressi in Hierusalem cum gaudio magno, erant semper in templo laudantes, & benedicentes dominum.

In alia uita geminos esse æternos locos, in quorum altero Deus perpetuo laudatur, in altero nunquam.

- Pfalm. 83 Beati, qui habitant in domo tua, domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.
 Apoc. 19 Audiui uocem in cælo dicentem, Laus & gloria, & uirtus Deo nostro.
 Pfalm. 113 Non mortui laudabunt te, domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.
 Eccl. 38 Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.

VTILITAS.

Premia laudantium Deum sunt auxilium diuinæ gratiæ; salus à uisibilibus & inuisibilibus hostibus, & uita in sempiternum beata.

- Pfalm. 118 Anima mea laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.
 Pfalm. 17 Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis saluus ero.
 Pfalm. 21 Laudabunt dominum qui requirunt eum; & uiuent in sæculum sæculi.

IMPEDIMENTA.

Peccata nos impediunt à diuinis laudibus.

- Eccl. 15 Non est speciosa laus in ore peccatoris.
 Pfalm. 49 Dixit Deus peccatori, Quare assumis laudationes meas per os tuum?

PUGNANTIA.

In scripturis diuinis esse locos, de diuina laudatione in specie pugnantis, quos conciliare oportet.

- Pf. 116. Laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.
 Pf. 150. Omnis spiritus laudet dominum.

CONTRA.

- Pf. 49. Dixit Deus peccatori, Quare assumis laudationes meas per os tuum?
 Eccl. 15. Non est speciosa laus in ore peccatoris.
 Item aliud.
 Pf. 150. Laudate dominum secundum multitudinem magnitudinis eius.

CON-

CON-

CONTRA.

Eccl. 43. Nemo magnificabit Deum, sicut est ab initio. maior est enim omni laude.

VIDES hic ingeniose lector, quam magnam sententiarum copiam tibi subministrauerit Concordantiarum uolumen in unius tantum dictionis particulari indiculo, & quam copiosam uerborum, ac rerum suppellectibilem suppeditauerit ad explicandam primam huius psalmi dictionem. Quod si iterum, resumpto codice concordantiarum, perquisiueris in ipso uoces uerbo laudandi Synonimas, quales sunt Celebro, magnifico, glorifico, benedico, exalto, confiteor, canto, psallo, prædico; & fragmenta sacrarum sententiarum sub ipsis Synonimis uerbis collocata consimili studio colliges: rursus noua ac longè ditiori sermonis abundantia expositionem tuam locupletabis. ac demum si eandem diligentiam in singulis eiusdem psalmi uocibus adhibueris: tanta tibi se se offeret rerum omnium affluentia, ut uix queas susceptæ enarrationis finem inuenire. Atque hæc de syllabica Methodo dicta sint satis.

DE PARTITIONE
METHODVS QVARTA.

PARTITIONIS, quæ multum & ipsa lucis affert diuinis scripturis, duo potissimum sunt officia, diuidere scilicet, ac diuisa colligere. Diuisio totum cuiusque uoluminis corpus non temere, sed iuxta rerum partibilium Analogiam summa cum ratione in membra diuidit, & in partes, quas capita, siue capitula uocant, numeratim diuidit, & numerorum appositione distinguit. Inuentum est autem hoc diuidendi artificium ad commoditatem docentium, atque discipulorum; ut quod simul totum, & uno statim contuitu apprehendi non poterat, commodius & apertius disceretur diuisum in partes. Collectio uerò peculiare diuisarum partium summas strictissimis titulis, siue inscriptionibus colligit: quibus, ueluti oculis, singulorum capitum frontes illustrat, ac exornat. Sed quod ad diuisionem attinet, sciendum est, hanc arithmetice capitum distinctionem, quam nunc in Bibliis habemus, recentem esse. nam ante quingentos annos nullus siue apud Hebræos, siue apud græcos inuenitur diuinæ scripturæ locus numeratim citatus, præter psalmos; quorum, ut ex Actis apostolicis apparet, usque ab initio nascentis ecclesiæ, adiectis numeris mentionem facere solebant: (hos enim numeros, ut Hilarius in præfatione psalmorum testatur, 1xx. interpretes psalmis apposuerunt) & quæ nunc tam in græcis, quam in hebræis & latinis exemplaribus spectantur, capitum diuisiones, ac numeri ex nostris latinis codicibus accepti sunt. partiebantur nanque uetustissimi illi expositores diuinas scripturas, easdemque citabant, non capitum enumeratione, & numerorum recitatione, sed per allegationes particularium historiarum; sicut Augustinus dixit se scripsisse à principio Geneleos usque ad expulsionem primorum parentum de paradiso; & Gregorius etiam se exposuisse à principio libri Regum usque ad Dauidis regis unctionem, pro eo quod nunc dicemus, In tria priora Geneleos capita, & in quindecim anteriora capita primi Regum. Diuidebant item, & in medium proponebant scripturas per locos, siue periodos, aut uersus, aut uersiculos, uel sententias sacrarum uoluminum uerbatim expressas; quas etiam Capita, uel Capitula interdum uocabant: uerbi gratia dicentes, De eoloco Pauli, ubi scriptum est, *Veritatem dico uobis in Christo*, usque ad cum

Rom. 9.
ibidem
Iob 11.

eum locum, ubi dicitur, *ex quibus est Christus; qui est super omnia Deus benedictus in sacula.* uel de eo, quod scriptum est in Iob, *Boves arabant, & asina pascebantur.*

CONSIMILEM diuisionis modum etiam apud antiquos Iudæos fuisse comperio: quorum codices fuisse per sententias, commata, membra, & uersus diuisas, & interuallis quibusdam distinctos, testis est Hieronymus in præfatione Paralipomenon & Esaiæ, asserens se ad utilitatem legentium easdem commatum incisiones, & interuallorum distantias, quas in hebræis codicibus inuenerat, in translatione sua seruasse. tametsi Elias Leuites in præfatione libri Masoreth hammaforet affirmet ex sententia Rabbiorum totam legem fuisse olim quasi Pasuk unum, siue sententiam unam, in qua omnia cohærebant sine ulla uersuum distinctione; & hanc quadringentis ac triginta & sex annis post ultimum sanctæ urbis excidium à Iudæis Tyberitis fuisse in Pesukim, hoc est uersus, & sententias diuisam. Autor libri hebraicarum quæstionum super libris Regum (quem diuus Thomas putat fuisse Iudæum in Christo renatum) ostendit Iudæos dissecuisse libros sacros in certum numerum sententiarum, seu uersuum, dum inquit librum Prouerbiorum apud eos continere uersus nongentos & quindecim. ipse tamen in commentariis hebræorum nusquam legi aliquam ex his sententiis, aut arithmetica nota signatam, aut numerali uoce expressam.

SCIENDVM est autem aliam esse uersuum partionem apud Iudæos, quam apud nos, & Græcos. nam Græci & latini ueteres distinguebant uersus pari dictionum numero, conscribentes in quolibet ferè uersu semper sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas. quod satis apertè indicat Augustinus in libro, cui titulus est SPECVLVM DIVINAE SCRIPTURAE: in quo sæpe annotans numerum uersuum, ex diuinis libris aliquando à se collectum, aliquando uerò prætermisum, ponit pro exemplo unius uersus dictum illud psalmi nonagesimi noni, *POPVLVS eius, & oues pascuæ eius.* pro exemplo autem duorum uersuum sententiam illam psalmi 118. *QVOT sunt dies serui tui, quando facias tu de persequentibus me iudicium?* rursum pro exemplo trium uersuum profert illud ex psalmo 148. *LAVDENT nomen eius in choro, in tympano, & psalterio psallant ei.* Quia beneplacitum est domino in populo suo. In his exemplis si dictiones enumeres, inuenies in primo uoces sex, in secundo duodecim, in tertio, decem & octo. Iuxta hanc igitur uersuum partitionem arbitror intelligendam esse mensuram priscorum, qui uersuum numero solebant significare uoluminum magnitudinem, ueluti nota certiore, quod libri frequenter sint inæquales, ob diuersam materiæ copiam. quo quidem modo Hieronymus, magnitudinem quorundam librorum exprimens, ait Origenem scripsisse in Canticum canticorum uersus ferè uiginti millia, Gregorium Nazianzenum opera sua omnia conclusisse uersibus triginta millibus, Hilarium in commentariis psalmorum mutuatum ex Origine uersus propè quadraginta millia; & se quoque, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse in eam quotidie uersus mille. sic & Diogenes Laertius summam quorundam Aristotelicorum uoluminum contineri affirmat sub uersibus quinque mille trecentis & triginta.

IUDÆI uerò in distinguendis uersibus neque numerum dictionum attendunt, neque cola, aut commata orationis sequuntur, sed ueterem quandam consuetudinem, sola maiorum autoritate, & Rabbiorum traditione sustulam. neque aliam afferunt suæ partionis rationem, præter eam, quod Esdras, & uiri synagogæ, magnæ affati diuino spiritu, diuinas scripturas hoc pacto distinxerint. unde apud eos Pesukim, hoc est uersus ferè omnes inæquales sunt; sicut in exordio Geneseos apparet. ubi Pasuk, seu uersus primus est. *In principio creauit Deus caelum & terram.* secundus uerò multo longior, *Et terra erat inanis, & uacua; & tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus domini ferebatur super faciem aquarum.* post quem sequitur tertius uersus, *Et dixit Deus, &c.* longè breuior. Hunc ergo diuidendi modum ueteres habuere: inter quos quanquam Ammonius Alexandrinus, siue Eusebius Cæsariensis, siue Tatianus quatuor euangelia numeratim in capita diuiserint; hoc est Euangelium Matthæi in capita 355, Marci in ca-

Gen. 1.

pitata 235, Lucæ in capita 343, Ioannis in capita 232: non tamen arbitror illos ad id respexisse, ut nobis certam scripturarum partitionem instituerent; sed ad hoc solum, ut locos indicarent Euangelicæ Symphonix, in quibus Euangelistæ inter se consona dixerant. Post hos igitur nullam apud antiquos comperi numeralem scripturarum diuisionem, præterquam apud unum Hilarium; qui Matthæi euangelium, à se expositum, in canones tres ac triginta dissecuit. nam, quod in primo huius operis libro notauimus, euangelium Lucæ in commentariis Ambrosii diuidi in titulos sexaginta quatuor, & in commentariis Bedæ in capita nonaginta tria, factum esse credimus non ab ipsis autoribus, sed à librariis, uel lectoribus, interpolatas & crebras scribendi uel legendi respirationes amantiibus.

CAETERVM inter græcos expositores, qui annis ab hinc quingentis florere, cœperunt quidam partiri sancta scripta in partes numeratim distinctas, & numerorum characteribus annotatas: quas interdum titulos, & interdum capitula nuncupabant. sic enim Euthymius siue, ut quibusdam uidetur, Oecumenius distribuit euangelium Matthæi in titulos, seu capita sexaginta octo: quorum primum inscripsit, *De Magis, secundum De pueris interfectis, tertium De prædicatione Ioannis, quartum De doctrina Christi &c.* Quidam uerò, capitula à titulis separantes, dissecuerunt uolumina in titulos, atque iterum titulos in capita subdiviserunt; sicut ex Iuda, & Aretha deprehenditur: quorum ille testatur euangelium Matthæi fuisse dispartitum in titulos sexaginta octo, & in capita 355. & Marci euangelium in titulos quadraginta octo, & capita quinquaginta sex: hic uerò narrat Andreæ secuisse Apocalypsim Ioannis in partes quatuor & uiginti, & harum singulas in tria capita; ita ut esset totius libri capitula septuagintaduo.

APVD Latinos autem, qui ab anno salutis nostræ millesimo usque in hæc nostra tempora fuerunt, duplicem inuenio capitum enumerationem; alteram ut uetustiore, ita numerosiore: iuxta quam euangelium Matthæi in uetustis etiam impressis codicibus continet capita nonaginta quatuor, euangelium Lucæ capita centum & septem, Epistola ad Romanos capita quinquaginta. Alteram posteriore, quam nunc in uulgatis bibliis habemus, contractiorem, & paucioribus capitibus comprehensam. cuius numerali citatione usi sunt in commentariis suis Hugo presbyter Cardinalis sanctæ Sabinæ, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonauentura, ac ceteri usque in hanc diem scholastici theologii: quorum præcipua cura fuit diuina testimonia de scripturis sanctis numeratim producere. hos Rabbi Dauid Kimaki, ceteriq; recentiores Iudæi sequuntur in diuisione, supputatione, & allegatione capitum ueteris testamenti. Hactenus de diuisione.

DE COLLECTIONE uerò, qua secundum partitionis officium expletur, animaduertendum est hanc partem non esse rem uulgaris industriæ, sed solertix acutioris. sicut enim antè, quam diuisionem aggrediamur, oportet nos id diligenter inspicere, quod proponitur diuidendum, & analogiam diuidendarum partium rectè nosse, ne perperam diuisio succedat: ita in colligendo opus est acri quodam iudicio, quod singularum diuisarum partium, siue capitum separatas summas aptè, breuiter, & integrè colligat, & quam breuissimè coarctet sub argutis, ac strictissimis quibusdam titulis, & inscriptionibus ad capitulorum initia præfigendis. quod quam sit factu difficile, arguit multiplex illa capitalium titulorum, siue argumentorum, quæ capitibus diuinæ scripturæ præponuntur, diuersitas, in singulis penè uulgatis codicibus euarians; præsertim uerò in capitulis librorum obscurioribus; qualia multa sunt in prophetis, & in epistolis Pauli: in cuius quartò capite epistolæ ad Romanos decem inueni argumenta, siue inscriptiones: ex quibus aliquot summam unius aut duarum sententiarum totius capituli, ceteris omisis perstringebant; aliæ longè à toto capituli scopo aberrabant; nonnullæ uerò etiam cum tota capituli sententia ex diametro pugnant. quas nunc breuitatis gratia prætereo, subiiciens in locum harum diuersas inscriptionum, seu argumentorum formulas super psalmo centesimo decimo sexto: ut ex his artificium colligendi uarium utcumque percipias.

Argumentum Psalmi CXVI. ex Paulo ad Romanos cap. 15. ^A

- 1 Gentes de misericordia, Iudæi de ueritate Deum laudent.
PAULI ALIUD EX EODEM LOCO.
- 2 Gentes ex sola misericordia honorent Deum, Iudæi ex promissionibus.
ARNOBII.
- 3 Gentes, Iudæis exclusis, ad Dei laudes inuitantur.
EUSEBII CAESARIENSIS.
- 4 Ethnicæ uocationis uaticinium.
CHRYSOSTOMI.
- 5 Prædicationis euangelicæ, uniuersum orbem occupaturæ, prædictio.
CASSIODORI.
- 6 Psalmorum, hymnorumque omnium initium, finis, atque compendium. ^B
EVTHYMI.
- 7 Psalmus epeneticus, conuocans omne mortalium genus ad Christi laudes, & ad gratias ei agendas pro tantis in nos collatis beneficiis.
REMIGII.
- 8 Inuitatur uniuersum genus humanum ad celebrandum Deum propter misericordiam nobis in aduentu Christi exhibitam.
HONORII.
- 9 Gentes primùm, Iudæos deinde ad diuinas laudes inuitari.
SMARAGDI.
- 10 Laus Dei ex misericordia, & ueritate; quòd his duabus uirtutibus omnia diuinarum uirtutum opera comprehendantur.
DAUID KIMKI IYDAEI.
- 11 Hymnus laudatorius מִשִׁיחַ לִמְנוּחַי limoth Hamasciach, hoc est ad dies Mes- ^C siae prospiciens.

DE EPITOME
METHODVS QVINTA.

EPITOME, hoc est Breuiarium, siue Compendium, est breuissimum diuinorum uoluminum summarium, comprehendens paucissimis uerbis, & succincto, quantum fieri potest, ac dilucido sermone perstringens ea, quæ fusiùs, & per multas repetitiones in diuina scriptura, cui Ταυτολογία familiarissima est, enarrantur, seruata semper sacrae narrationis integritate, ac sensu. Huius Methodi exemplum cum in psalmo centesimodecimo sexto propter eius angustam breuitatem exhiberi nequeat, apponam tibi eius uice primum Geneseos caput; quod Marcus Antonius Sabellicus ita Compendium contraxit. ^D

EXEMPLVM COMPENDII
super toto primo Geneseos capite.

AETERNA illa maiestas, rerum omnium opifex, senis diebus mundum uniuersum ab initio operata, primùm lucem à tenebris discreuit, cum iam rudis adesset materia, eademque informis, quam Deus à principio parauerat: fuitque omnium hæc prima lux, dies, quæ mundo affulfit. nox illi continuo iuncta est. Cælum inde secunda die in sublimi constitutum; idque firmamentum appellatum. ^E

Tertio

^A Tertio deinceps die terra stabilita: humorque terræ circumfusus. Sol quarta luce, Luna, & stellæ mundo emicuerunt: harum pauca, ut maiora illa lumina, certis errant spatiis: cætera multitudo, quæ porrò immensa est, uarietateque diffusa, penè innumeras rerum, & animalium præscribit effigies. Mox quinta die uolucres, & omnia natantia duobus sunt elementis data. Sexta demum die reptantia, & ipsum quadrupedum genus attributum est terræ, & cum his nobilissimum animal homo: qui unus cælestem mentem fortitus, ad imaginem Dei factus est. Reliquerunt nobis, ut fama est, huius laboris in uniuersam diuinam scripturam non aspernanda monumenta Aurelius Cassiodorus, & Riccardus Victorinus.

DE EGLOGE, SIVE EXCERPTO
METHODVS SEXTA.

EGLOGA, siue excerptum (sic enim Melito, & Cyprianus hunc exponendi modum appellarunt) Methodus est decerpens hinc inde ex omnibus sparsim diuinis uoluminibus diuersas scripturarum autoritates, sententias, periodos, testimonia, exempla uariaque dicta, factaque, aut ad instructionem fidei, & probationem dogmatum Christianorum, aut ad disciplinam morum, & ad pietatis exercitationem. cuius quidem Methodi ab ecclesiasticis uiris diuersæ formulæ excogitatae sunt: in quibus tres usitatiores habentur, uidelicet Specula, Loci communes, & Harmonia. ^B

SPECVLA uocantur uolumina, in quibus iuxta ordinem librorum Vtriusque testamenti coarctantur indiscriminatim, & sine ullo ordine ingens & indigesta farrago sententiarum diuinæ scripturæ, aut ad fidei, aut ad morum eruditionem pertinentium: sicut fecit Augustinus in libro, quem ipse SPECVLVM inscripsit. ^C

LOCI COMMVNES dicuntur, in quibus sententiæ hinc inde per diuersas scripturæ sanctæ partes dispersæ rediguntur in peculiare quosdam ordines, siue classes, uariis inter se titulis, argumentis, & capitulis distinctas; quales sunt loci de fide, de spe, de charitate, & his similes. sub quibus separatim collocantur omnes illæ sententiæ, quæ uel ad fidem, uel ad spem, uel ad charitatem spectant; atque earum naturam, uim, proprietates, & officia singula suis uerbis ostendunt, atque exponunt. Exercuerunt se in hac parte Melito, Sardensis episcopus, & Cyprianus. quorum ille collegit ex diuinis literis opus prænotatum Εὐλόγιον Βιβλικόν hoc est, *Excerptorum libri sex ad Onesimum*: in quibus sub uariis titulis omnes ethicas sententias, quæ ad bene beatæque uiuendum in sacris literis traduntur, decenti ordine digestsit. Cyprianus uerò ad Quirinum filium tres libros consimilis argumenti conscripsit; duos priores ad fidei fulcimentum, tertium ad ædificationem bonorum operum necessarios. ^D

Laborarunt etiam in hoc ipso genere plerique alij, ex quibus nonnulli inter locos communes sacrarum sententiarum à se collectos inseruerunt multas orthodoxorum patrum sententias, locis illis conformes; quæ ueluti expositiones essent præcedentium locorum, quemadmodum fecerunt Beda presbyter, & Defensor uetustus autor in his libris, quos SCINTILLAS SCRIPTURÆ SANCTÆ inscripserunt. Alij uerò unius tantum argumenti gesta, dictaque ex diuinis literis collegerunt, & in unum corpus redegerunt, & insertis de suo breuibus expositiunculis illustrarunt: sicut factum fuit ab autore trium librorum, qui de mirabilibus sacrae scripturæ sub Augustini nomine inscripti sunt.

HARMONIA appellatur opus constructum ex similibus dictis, ac sententiis diuersorum incomplexorum, & inordinatorum uoluminum inuicem ad unius rei expositionem contextis, & in unum continuum ordinatum integrum perfectumque uolumen redactis. Nec desunt qui duplex assignent Harmoniæ genus; unum, in quo literalis contextus partes, ac periodi consimilem habentes sensum accommodantur: alterum, quod absque ulla literarum scriptura ex solis numeralibus notis com- ^E

Ii 2 ponitur.

ponitur. Exhibuit nobis in hoc posteriori genere exemplum Eusebius Cæsariensis in libro euangelicorum canonum ad Carpianum. Prioris uerò generis præclara monumenta reliquerunt. Tatianus Alexandrinus, Theophilus episcopus Antiochenus, Ammonius Alexandrinus, multiq̄ue alij, qui quatuor Euangelistarum historias in unius historiæ corpus compegerunt: quod alij MONOPANTON, hoc est unum ex omnibus; alij MONOTESSARON, hoc est unum ex quatuor; alij PANDECTAM, id est Omnia continens; alij HARMONIAM EVANGELICAM inscripserunt.

INTER hos autem nonnulli quoque fuerunt, qui huiusmodi Harmonias, uel à se, uel ab aliis aditas, adiectis propriis explanationibus elucidarunt; sicut Zacharias, Chrysolopolitanus episcopus, qui in Harmoniam Ammonij, Catenam explanationum ex patribus contexit; & Antonius Bruychius, qui Monotessaron euangelicum à se collectum propria expositione profecutus est. Speramus & nos, si Deus cœptis annuerit, propediem emissuros in lucem Sophiæ MONOTESSARON, quod nunc habemus præ manibus, hoc est unum ex quatuor; uidelicet Proverbiorum, Ecclesiasticis, Sapientiæ, & Ecclesiastici libris. quo opere singulas cuiusque generis, & argumenti sententias, hinc inde iisdem uoluminibus dispersas, sub certis, ac distinctis ordinibus, & titulis separatim redigimus, & adhibitis breuibus commentariis illustrare cœpimus. Hæc satis sint de Egloge: cuius Methodi tria tantum exempla subnectimus, primum Locorum cõmunium ex memoratis Cypriani libris ad Quirinum, secundum Harmoniæ literalis ex Harmonia euangelica Ammonij, tertium Harmoniæ numeralis ex Eusebio.

EXEMPLVM LOCORVM COMMVNIVM ex diuo Cypriano, quo etiam Augustinus aduersus Pelagium usus est.

IN NVLLO GLORIANDVM, Quando nostrum nihil sit.

Ioan. 3. e
1. Cor. 4. b
1. Reg. 2. a
1. Reg. 2. d
2. Mago. 9. e

IN Euangelio κατὰ Ιωαννem, Nemo potest quicquam accipere, nisi datum illi fuerit de cœlo. *item in epistola Pauli ad Corinthios prima,* Quid enim habes quod non acceperis? Si autem acceperis: quid gloriaris, quasi non acceperis? *item in βασιλειῶν libro primo,* Nolite gloriari, neque loquamini elata: non procedat magni loquentia ex ore uestro: quia Deus scientiarum dominus. *item illic,* Inualidus factus est arcus potentum, & infirmi accincti sunt uirtute. *de hoc ipso in Maccabæis,* Iustum est subditum Deo esse, & mortalem non paria Deo sentire. *item illic,* & uerba uiri peccatoris ne timueris, quia gloria eius in stercore erit, & in uermibus. *hodie extolletur, & cras non inuenietur: quoniam conuersus est in terram suam, & cogitatio eius peribit.*

CREDENDI, VEL NON CREDENDI libertatem in arbitrio positam.

Deut. 30. d
Esa. 1. e
Iam. 17. e

IN Deuteronomio, Ecce dedi ante faciem tuam uitam & mortem, bonum & malum: elige uitam, & uiues. *item apud Esaiam,* & si uolueritis, & audieritis me; bona terræ edetis: si autem nolueritis & non audieritis me; gladius uos consumet. os enim domini locutum est ista. *item in Euangelio κατὰ Lucam.* Regnum Dei intra uos est.

EXEMPLVM

EXEMPLVM HARMONIAE LITERARIAE ex Harmonia euangelica Ammonij in historiam Christi euicentis uis uidentes, & ementes de templo, contextum ex dictis quatuor Euangelistarum, uidelicet ex Matt. 21. cap. ex Marci cap. 11. ex Lucae cap. 19. & ex Ioannis capite 2.

IOANNES, Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. **MATTH.** & cum intrasset Hierosolymam, commota est uniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? populi autè dicebant, Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. **I**OANN. & intrauit Iesus in templum Dei: & cum fecisset flagellum de funiculis, eiciebat omnes uidentes, & ementes in templo. oues quoque, & boues, & mensas numulariorum effudit: & cathedras uidentium columbas euerit. & dicit eis: Auferre ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. **MATTH. MARC. LVC.** scriptum est enim, Domus mea, domus orationis uocabitur. **MARC.** Omnibus Gentibus. **MATTH. MARC. LVC.** Vos autem fecistis illam speluncam latronum. **MARC.** Et non sinebat, ut quisquam uas transferret per templum. **I**OANN. Recordati uerò sunt discipuli, quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me. **MATTH.** Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. **LVC.** Et erat docens quotidie in templo. **T**ALE est igitur exemplum Harmoniæ literariæ ex Ammonio desumptum.

EUSEBIUS Cæsariensis, Ammonij studio excitatus, excogitauit & ipse nouam Harmoniæ Numeralis rationem ex Solis numerorum notulis, absque ulla euangelici contextus scriptura compositam. Primum si quidem considerauit, Ammonium singulos quatuor Euangelistas in multa capita difsecuisse, nempe Matthæum in trecenta & quinquaginta quinque capita, & Marcum in centum triginta quinque, Lucam in trecenta quadraginta quatuor, Ioannem in ducenta triginta duo: deinde hos capitulorum numeros, prout inter se diuersis rationibus uel conueniebant, uel diferebant, alterum alteri opposuit, & in decem numeralium figurarum classes, siue tabellas, siue titulos, quos canones appellauit, eleganti ac perspicuo ordine digessit hunc in modum.

PRIMVS Ordo quatuor in se continebat numerorum series, indicantes loca, siue capita euangeliorum, in quibus similia ab uniuersis quatuor Euangelistis dicta essent, Matthæo scilicet, Marco, Luca, & Ioanne.

SECUNDVS continebat numeros capitum, in quibus tres conuenirent, Matthæus scilicet, Marcus, & Lucas.

TERTIVS habebat numeros, in quibus tres concordessent, Matthæus uidelicet, Lucas, & Ioannes.

QUARTVS comprehendebat numeros capitum, in quibus tres coirent, nempe Matthæus, Marcus, & Ioannes.

QUINTVS, in quibus duo, Matthæus, & Lucas.

SEXTVS, in quibus duo, Matthæus, & Marcus.

SEPTIMVS, in quibus duo, Matthæus, & Ioannes.

OCTAUVS, in quibus duo, Marcus, & Lucas.

NONVS, in quibus duo, Lucas, & Ioannes.

DECIMVS, in quibus singuli de quibusdam propriè scripserunt.

HUIVS artificij exemplum habes in subiecta figura.

EXEMPLVM HARMONIAE

NUMERALIS EX LIBRO EVANGELI-
CORVM CANONVM EVSEBII AD CARPIANVM.

EVANGELICORVM CAPITVM, IN

quibus omnes quatuor Euangelistæ conueniunt.

CANON PRIMVS.

| MATTHAEVS. | MARCVS. | LVCAS. | IOANNES. |
|------------|---------|------------|----------|
| VIII. | II. | VII. | X. |
| XI. | IIII. | X. | VI. |
| XIIII. | V. | XIII. | XV. |
| XXIII. | XXVII. | XVII. | XLVI. |
| LXX. | XX. | XXXVII. | XXXVIII. |
| XCVIII. | XCVI. | CCV. | XL. |
| CXXXIII. | XXXVII. | LXXVII. | CIX. |
| CXLI. | L. | XIX. | LIX. |
| CXLII. | LI. | XXI. | XXXV. |
| CXLVII. | LXIIII. | XCIII. | XLIX. |
| CLXVI. | LXXXII. | XCIIII. | XVII. |
| CCIX. | CXIX. | CCXXXIIII. | C. |
| CCXI. | CXXI. | CCXXXVIII. | XXI. |
| CCXX. | CXXII. | CCXXXIX. | LXXVII. |
| LXXXVII. | CXXXIX. | CCL. | CXLI. |
| CCXLIIIII. | CXXXIX. | CCL. | CXLI. |

Huius canonis & aliorum similium intelligentiam assequeris facillimè, si sciueris omnes numeros, qui à sinistra in dexteram in eadem linea collocantur, indicant locos euangeliorum inter se consonos & concordos: sicut in prima linea animaduertere potes; in qua octauum Matthæi caput, Marci secundum, Lucæ septimum, Ioannis decimum ostendunt quatuor infra scriptas euangelistarum sententias esse persimiles.

MATTHÆI VIII. Hic est, de quo dictum est per Esaiam prophetam, dicentem, Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius. D

MARCI II. Sicut scriptum est in esaiâ propheta, Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.

LUCÆ VII. SCRIPTVM est in libro sermonum Esaiæ propheta, Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius.

IOANNIS X. Ego uox clamantis in deserto, Dirigit uiam domini: sicut dixit Esaias propheta.

IN cæteris huius figuræ lineis, & in aliis, quæ habentur in canonibus Eusebii, sicut idem ordo seruat, ita idem intelligendi modus habendus est.

DE EXPOSITIONE NOTARIA CA
METHODVS SEPTIMA.

NOTARIA, siue Notariaca expositio, est Methodus, quæ per notas quasdam, siue characterum, siue linearum, uel punctorum, diuinis scripturis uel appositas, uel insertas, uerborum, ac sententiarum, ac latentium sensuum rationem demonstrat: quarum apud uetustissimos, præsertim græcos, expositores, & in ueteri potissimum testamento frequentissimus fuit usus. ex his pauca quædam exempli gratia collegimus ex Epiphanio, Hieronymo, Stratonico, Suida, & Isidoro: quorum summa hæc est.

OMNIS, quæ per notas fit, expositio, duplici constat notarum uarietate. Ex iis aliæ quidem Literatæ dicuntur, aliæ uerò Illiteratæ: quarum figuræ, & nomina sunt hæc.

NOTAE LITERATAE.

NOTAE ILLITERATE.

| | | | | | |
|----|----|-----------------------|----|---|----------------------|
| 1 | A | Apile. | 1 | ⚡ | Stauron. |
| 2 | Γ | Gehennon. | 2 | ⚡ | Ancyra. |
| 3 | Δ | Diaulos. | 3 | ⚡ | Ancyranos. |
| 4 | E | Ecclifis. | 4 | * | Asteriscus. |
| 5 | Z | Zitima. | 5 | ↑ | Obelus. |
| 6 | M | Mellon. | 6 | ⚡ | Metobelus. |
| 7 | X | Xenion. | 7 | ⚡ | Ceraunion. |
| 8 | Ϝ | Vranion. | 8 | ⚡ | Obelos anostigmenon. |
| 9 | Π | Pneuma. | 9 | ⚡ | Limniscus. |
| 10 | T | Tropos. | 10 | ⚡ | Subliniscus. |
| 11 | Υ | Ypsilon. | 11 | ⚡ | Antigraphus. |
| 12 | Υ | Ypsilon ypogrammenon. | 12 | ⚡ | Antifima. |
| 13 | X | Character. | 13 | ⚡ | Cryphia. |
| 14 | XX | Character diplos. | 14 | ⚡ | Dipla. |
| 15 | ⚡ | Sagur. | 15 | ⚡ | Diplaperistigme. |
| 16 | ⚡ | Pethach. | 16 | ⚡ | Scilus nechudot. |

DE NOTIS LITERATIS.

Notarum literatarum formas, nominaq; iam habes: nunc singulas cuiusque significationes & expositiones accipe.

A, **APILE**, id est Comminatio, significat uaticinia prophetarum, quibus hæc nota præfigitur, non esse prophetias immobilis & ineuitabilis decreti, sed mutabilis euentus, non decernendi, sed comminandi gratia pronuntiatis: ceu sunt prædictio Esaia propheta, dicentis ad Ezechiam: **A**, **DISPONE** domui tuæ: cras enim morieris, & non uiues. Itemq; uaticinium Ionæ ad Niniuites clamantis: **A** **ADHUC** quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

F, **GEHENNON** Locos notat, qui in ueteri testamento obscure loquuntur de perpetuis gehennæ suppliciis: qualis est ille apud Esaia, **F** **PRÆPARATA** est ab heri Tophet à rege, præparata, profunda, & dilatata. nurrimenta eius ignis, & ligna multa; flatus domini, sicut torrens sulphuris succendens eam.

Δ, **DIABOLOS** Sententiis prænotata, indicat eas esse de diabolo intelligendas, ueluti eam, quam Moses in Genesi scripsit: **Δ**, **DIXIT** autem serpens ad mulierem, Nequaquam morte moriemini. & illam apud Iob, **Δ** **BEHEMOTH**, quem feci tecum, fœnum quasi bœs comedet: . . . fringit caudam suam, quasi cedrum . . . & ipse est principium uiarum domini.

E, **ECCCLISIS**, hoc est Euocatio, periodum ostendit loquentem de uocatione gentium, siue de ecclesia Christi ex Gentibus congreganda; ut est illa in Esaia propheta, **E**, **SVRGE** illumare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria domini super te orta est: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui, & c.

Z, **ZITIMA**, id est Quæstio, abstrusam ac reconditam sententiam denotat, obscuritate maxima inuolutam, & quæstionibus difficillimis implicitam: qualis est illa Pauli pericope in epistola ad Romanos, **Z**, **CVM** nondum nati essent, neque aliquid boni uel mali egissent, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, **IACOB** dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus. nunquid iniquitas apud Deum? Absit.

M, **MELLON**, id est Futurum, anteponitur sententiæ, quæ licet de præsentibus loqui uideatur, futurorum tamen tempus continet prænotationem: ut apud Esaia, **M**, **ECCB** ego creo cælum nouum, & terram nouam.

X, **XENION**, hoc est, donum aduentis & hospitibus dari solitum, demonstrat sententias, quæ de donis ac promissionibus terrenis & temporalibus Iudaico potissimum populo factis interpretandæ sunt, sicut in Esaia, **X**, **SI** audieritis uocem meam, bona terræ comedetis.

V, **V RANION**, hoc est Cœleste, locum prodit, in quo eterna uitæ felicitas describitur: ut in psalmo octogesimo tertio, **V**, **Q**uam dilecta tabernacula tua, domine, uirtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria domini. . . . Beati, qui habitant in domo tua, domine in sæcula sæculorum laudabunt te.

Π, **PNEVMA**, id est spiritus, significat pericopen intelligendam esse non carnaliter sed spiritualiter, quemadmodum in Cantico canticorum, **Π** **SVRGE**, propera amica mea, speciosa mea, & ueni columba mea in foraminibus petrae, in cauerina maceræ: ostende mihi faciem tuam, sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, & facies tua decora.

T, **TROPOS**, hoc est Locutionis modus, admonet subsequens dictum non esse intelligendum iuxta primam ac nudam uocis significationem, quam uerba præferunt, sed secundum usitatam alicuius gentis locutionem. qua nota utebantur ueteres

A teres ad indicandum locos diuinæ scripturæ, hebraicis phrasibus, tropis, & idiotismis expressos, ut in psalmo quinto decimo, *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, tantundem ualet, acsi dicas, Optima & illustris fors mihi obtigit. & in tertio uolumine Regum, **T**, **BENEDIXIT** Naboth Deo, & regi, & propterea lapidatus est. hoc 3 Reg. 21. est, quia maledixit Deo & regi, lapidibus interfectus est.

Υ **YPSILON** indicat sententiam proximè sequentem exponendam esse de reiectione, & depositione populi Iudaici, ut in hac Esaia sententia, **Υ**, **OSTENDAM** uobis quid faciam uinea meæ. auferam sepem eius, & erit in direptionem. diuam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam. non putabitur, non fodietur, & ascendet super eam uesperes, & spinæ. & nubibus mandabo, ne pluant super eam hymbrem.

Υ, **YPSILON** ypogrammenon, hoc est Linea subscriptum, significat sententiam, cui ipsum præponitur, loqui de reiectione ueteris legis secundum carnem. Verbi gratia, cum Deus per Esaia dicitur: **Υ**, **NON** offeratis ultra sacrificium frustra. incensum abhominatio est mihi. neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias non feram. Kalendas uestras, & solemnitates uestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta. Laboraui sustinens.

X, **CHARACTER**, hoc est, stylus, figura, uel sicut Gellius interpretatur, genus dicendi cuilibet auctori peculiare. Hac nota, ut scribit Diogenes Laertius, solebant, Platonici in libris Platonis annotare phrasas & locutiones Platoni proprias, & electiores. quod & olim in scriptis Gregorij Nazianzeni, studiosos quosdam Gregorij characteris annotatores facitasse testatur in Collectaneis Stratonicus.

XX, **CHARACTER** duplicatus. hoc signo, ut refert Diogenes, in operibus Platonici assumebatur ad designandas opiniones & dogmata Platoni propria, in quibus ipse à cæteris philosophis omnino dissentiret. Hanc notam in Origenis uoluminibus posuerunt Gregorius Nazianzenus, & Basilius, ad indicandum peculiaria eius dogmata à communi patrum definitione discrepantia.

Ⓢ, **SEGAR** id est Clausura, sacris hebræorum codicibus inserta, significat sequentem narrationem coherere priori.

Ⓧ, **PETHACH**, id est Porta, siue apertura, in iisdem diuinis Iudæorum uoluminibus ostendit sequentem narrationem habere diuersum argumentum à priore.

DE NOTIS ILLITERATIS.

† **STAVRON** græcè, Latine Crux præfigitur clausulis ueteris testamenti, quæ uaticinium de Christo continent. quale illud est in psalmo uigesimo primo, **†**, **FODERVNT** manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. & in psalmo octogesimo sexto: **†**, **DEDERVNT** in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Ⓛ **ANCYRA**, id est Ancora præfixa sententiæ ostendit in ea mentione fieri de nouo testamento, & Euangelio, quemadmodum in Ieremiæ capite trigesimo primo, ubi legitur, **Ⓛ**, **ECCB** dies ueniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iudæ **Ⓛ**, **Ⓛ**us nouum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus uestris, quando eduxi eos de terra Aegypti. & hoc erit pactum, quod faciam cum domo Israel. Dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.

Ⓢ, **ANCIRANOS**, id est Ancora superior, apponebatur tam sacrae lectioni, quam expositorum cōmentariis, ubi aliqua res erat maximè præ cæteris obseruanda ac notanda: nunc in huius notæ locum iurisperiti manum subrogarunt, quæ protento indice locum ostendat.

***** **ASTERISCVS**, hoc est Asterismus, siue Stella, ostendit, dictiones, & sententias diuinæ scripturæ, quas priores interpretes omiserunt: posteriores uero interpretes ex hebraica ueritate restituerunt. ueluti in translatione Hieronymi apud Oseam Asteriscus præfulgens sententiæ illi *****, *Ex Aegypto uocaui filium meum*, notat

K k eam

eam fuisse à septuaginta interpretibus prætermiffam, & demum fuisse ab Hieronymo loco suo repositam. In operibus Platonis apponebatur hæc nota ad dogmatum approbationem

O BELVS, id est Veru, lancea, uel hasta, uel iacens, uel tranſuerſa uirgula pyramidalis præponitur uerbis, ſiue ſententiis diuinorū codicum ſuperflue iteratis, ſiue in hiſ locis, ubi lectio aſcitiua uidetur, incertæ, obſcuræ, uel ambiguae autoritatis: ut tali nota ueluti ſagitta confodiantur ſuſpecta, ac ſuperflua. ſic Hieronymus dicit ſe in libro Danielis, ſuſannæ, & Belis hiftorias, quia in hebraicis uoluminibus non haberentur, antepoſito ueru iugulante tranſfixiſſe, ceu narrationes præter hebraicam ueritatem ex Theodotionis editione deſumptas. Epiphanius tradit Originem primum omnium aſterifcos ad illuſtrandū, quæ minus antè fuerant, & obelos ad iugulandum ſuperflua, diuinæ ſcripturæ codicibus apoſuiſſe.

Dan. 13.

M E T O B E L V S, id eſt poſt ueru, ponitur ſtatim poſt uerba, uel ſententias iugulatas: ut quæ iugulata ſunt à cæteris, quæ in textu ſequitur, uerbis diſtinguantur. ut, cum in pſalmo uigeſimo primo iuxta Septuaginta editionem legitur, *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquiſti?* apparet, quòd duo illa uerba, *Respicere in me*, inter obelum, & metobelum poſita, ſuperflua ſunt.

Pſal. 21.

C E R A V N I O N, hoc eſt fulmen, ponitur, quoties multi uerſus improbantur, ne per ſingulos obelentur. quo ſigno Origenes ſuſannæ, & Belis hiftorias, in calce libri Danielis additas, reiecit. In libris Platonicis Ceraunion ad moralem philoſophiæ inſtitutionem aſſumebatur.

Dan. 13.

O B E L V S A N O S T I G M E N O N, id eſt Supernè punctum habens, ponitur in hiſ, de quibus dubitatur, utrum tolli debeant, uel apponi. uer bigratiæ, Lucæ tertio capite, Generatio Cainam, quam Euangelifta interpoſuit inter generationem Arphaxad, & ſalè, enumerans quindecim generationes ab Adam uſque ad Heber, Obelo Supernè punctuato ſignanda uidetur: quia in decimo, & in undecimo capite Geneſeos, & in principio primi Paralipomenon ab Adam ad Heber tantum quatuordecim generationes numerentur; nullaq; prorsus fiat mentio de generatione Cainam.

Luc. 3.

L I M N I S C V S, id eſt uirgula, inter geminos punctos iacens, alterum ſupernè, alterum infernè, apponitur in hiſ, quæ diuerſi ſacræ ſcripturæ interpretes eodem ſenſu, ſed diuerſis ſermonibus tranſtulerunt: ueluti cum in uetulo pſalterio in pſalmo ſeptuageſimo primo ponebatur ſecundum ſeptuaginta editionem, *Et honorabile nomen eorum coram ipſo*; ſtatim addito Limniſco — ſubiiciebatur, *In oculis ipſius*, ſecundum aliam translationem. Limniſcum uerò inter has duas translationes Origenes idcirco interpoſuit, ut agnoſceres unam ſententiam à duobus interpretibus duobus diuerſis modis fuiſſe conuerſam. Eſt autem hæc nota à medicis chirurgis deſumpta: apud quos Limniſcus eſt linamentum, ſiue lin-teolum detritum in tenuem, ac longam formam confectum, quod duabus ſectionibus incifi uulneris immittitur.

Pſal. 71.

S V B L I M N I S C V S, id eſt Simplex linea, ſubiectum habens punctum, ſignificat ſententiam, cui apponitur, à duobus, uel tribus interpretibus eodem ſenſu, & iifdem uerbis fuiſſe tranſlatam.

A N T I G R A P H V S, id eſt Semicirculus dextrà ſpectans, & punctum intra ſe tenens, ſignificat uel in translationibus eſſe ſenſum, uel inter ipſos tranſlatores diuerſum, uel ab ipſa hebraica ueritate diſſentiens: ueluti locus ille Geneſis, qui hebraicè legitur, *Et Ioseph accusauit fratres ſuos apud patrem de crimine peſſimo*, Aquila ſenſu non ſolum ab editione noſtra, ſed ab ipſa hebraica ſcripturâ planè diuerſo uertit, *Accuſauerant Ioseph fratres ſui apud patrem de crimine peſſimo*.

A N T I S I M A ponitur ad eas diuinæ ſcripturæ lineas, ac uerſus, quorum ordo permutandus eſt, ſicut & in antiquis autoribus poſitus inuenitur: ueluti cum in græca editione euangelij ſecundum Matthæum, quam in uſu habuit; & expoſuit Chryſoſtomus, *Beatitudo lugentium* præponitur beatitudini mitium: notanda eſt *Beatitudo lugentium* ſigno : , ut noſcat lector uerum ordinem duarum

rum

Arum beatitudinum eſſe tranſpoſitum. Hieronymus in locum huius ſigni adhibuit in translatione libri Eſther octo priores literas alphabeti græci, minio deſcriptas, ab alpha uſque ad thita: ut ex earum poſitione ordinem hebraicæ hiftoriæ, à ſeptuaginta interpretibus ſuſque deſque iactatum, reſtitueret.

C R Y P H I A, hoc eſt Occultatio, circuli pars inferior eſt, punctum intra ſe continens. ponitur autem in hiſ locis, ubi quæſtio dubia & obſcura aperiri, uel ſolui non potuit. quam notam nonnulli ex uetuliſſimis patribus præpoſuerunt uerbis Pauli in undecimo capite ad Romanos, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, uolentes hoc ſigno indicare quæſtionem illam de electione gentium, & reprobatione Iudæorum, nono, decimo, & undecimo capite ab Apoſtolo tentatam, non fuiſſe ab ipſo ſolutam. Eadem nota uſi ſunt ueteres expoſitores in commentariis ſuis, ubi difficultatem arduam indeciſam reliquerunt.

Rom. 1.

D I P L E hanc ſcriptores apoſuerunt in libris eccleſiaſticorum uirorum ad ſeparanda, uel demonſtranda teſtimonia ſanctarum ſcripturarum, ne cum uerbis, ac lectione commentariorum confundantur. nunc in locum huius notæ ſucceſſit hæc nota ⊖ .

D I P L E periſt igmæ, id eſt Cum geminis punctis. hanc antiqui apponebant in hiſ, quæ Enodothus Epheſius in carminibus Homericis non rectè adiecerat, aut detraxerat. Eccleſiaſtici in hiſ uſi ſunt, quæ interpretes hebraicæ ueritati adiecerant, uel ademerant.

S C I L V S N E C H V D O T H, id eſt Tria hæc puncta, ſuper quamuis literam poſita, apud kabaliftas Iudæorum expoſitores in uſu ſunt, quoties per ſingulas alicuius diſtionis literas ſingulas diſtiones uolunt intelligi. uerbi gratia cum in pſalmo tertio dicitur, *Multi inſurgunt aduerſum me*, kabaliftæ, exponentes hoc de populo Iudaico, quærun, qui ſunt iſti רבים rabim, id ſt Multi, qui inſurgunt aduerſus populum Iſrael? & reſpondent, Iſti רבים ſunt illi quatuor populi, quos Dauuid ſignificat per quatuor literas diſtionis רבים Rabim; hoc eſt ר res Romani; ב beth Babylonij; י Iod Iones, ſiue græci; מ mem Medi, ſiue Perſæ. has enim quatuor diſtiones literæ, ſuper notatæ punctis, oſtendunt. Sunt & aliæ huius artificij notæ quamplurimæ: ſed hæc in exemplum præſentis diſciplinæ ſatis ſuperque ſunt. Diogenes Laertius in libro tertio De uitis philoſophorum teſtatur ex prædictis notis multas in libris Platonis fuiſſe apoſitas; quas arbitror Originem inde acceptas, ad illuſtrationem diuinorum uoluminum tranſtuliffe.

Pſal. 3.

P R A E T E R has iam deſcriptas notas ſunt etiam nonnulli caractères, quibus ſeptem illæ celebres ueteris teſtamenti translationes norantur, uidelicet: **O B S E P T V A G I N T A** duorum interpretum editionem ſignificat. pro quo caractere Latini expoſitores crebrò ponunt **L X X**. omiſſo duorum numero breuitatis gratia.

A K A Q V I L A E translationem connotat.

D Σ S Y M M A C H I uerſionem deſignat.

⊖ T H E O D O T I O N I S interpretationem oſtendit.

ε E P S I L O N minusculum quintam editionem græcam, ab Origene in Hæricunte urbe Palæſtinæ inuentam, demonſtrat.

ς E P I S I G M O N (ſic enim appellatur hæc nota) Sextam editionem græcam, ab Origene in litore Attiaco circa Nicopolim in doliis inuentam, oſtendit.

A S E P T I M A M editionem, à Luciano martyre editam, deſignat.

DE PARAPHRASI METHODVS OCTAVA.



PΑΡΑΦΡΑΣΙΣ Paraphrasis, Ecphrasis, seu Metaphrasis, (quas, omiſſa quorundam rhetorum diſtinctione, idem ſignificare uolo) illa eſt, quæ ipſam diuinæ ſcripturæ narrationem in aliam uertit narrationem, ei proportione respondentem: in qua quidem, ut Themistiſtus aſſerit in præfatione Poſteriorum Ariſtotelis, licet Paraphraſtæ, ſeruata ſemper eiſdem ſenſus integritate, proluxa, & in longum effuſa ſubſtringere; preſſa, & concifa liberè dilatare, atque ampliari; omiſſa ſupplere; hiantia explere; inuoluta & obſcura apertis & conſpicuis uerbis illuſtrare, & decora ſermonis elegantia exornare; atque ea, quæ longè inter ſe diſſita, & nullo ordine uidentur diſpoſita, connectere, & in ordinatam ſeriem diſponere.

DVÆ ſunt autem Paraphraſeos ſpecies: altera preſſior, ac ſtrictior, quæ nihil aliud eſt, quàm liberior quædam tranſlatio. hanc ſiue Paraphraſticam tranſlationem, ſiue Tranſlatitiã Paraphraſin appelles, rectè appellabis. Excelluerunt in hac ſpecie inter Hebræos Onkelos, Ionathan, & Iofeph; qui Thargum, hoc eſt Paraphraſin in uniuerſum uetus teſtamentum Chaldaica lingua ediderunt.

ALTERA, quæ aliquanto fuſior, ac latior eſt, duplici uarietate diſtinguitur: ex quibus prior, quæ magis uerborum ſenſus, quàm ipſa uerba, ſectatur, ſententiam ſacræ lectionis ſub copioſa quadam breuiloquentia elucida. qua in re multum ualuit apud Græcos Gregorius, Neocaſareenſis epiſcopus, & apud Latinos Franciſcus Titelmannus. Poſterior uerò, quæ plus continet artificij, uſque adeò eſt uerborum tenax, ut ne ullum quidem uerbum ſacri contextus patiatut aut tranſponi, aut immutari, aut prætermitti. Vocatur autem à nobis poſterior hæc uarietas, & quidem non ineptè, Paraphraſis intertextæ, quoniam uerba ſacræ lectionis unã cum ipſis elucidationis uerbis tanto artificij intertextat, neſtatque; ut, niſi characteribus, uel magnitudine, uel forma diſparibus utraque diſtincta fuerint; haud facilè hæc ab illis poſſint diſcerni. Huius non minus laborioſæ, quam proficuæ ſolertiæ exemplum præbuit Raynerius Snoygoudanus in Paraphraſi omnium pſalmorum ab ipſo edita: quod unã cum cæterarum Paraphraſeon formulis hîc inferendum exiſtimaui.

EXEMPLVM PARAPHRASEOS TRAN- ſlatitiæ, in pſalmum centeſimum decimum ſextum.

LAUDATE dominum uniuersæ gentes: laudibus extollite illum, quot quot uſquam eſtis populi. copioſiſſimè enim uſus eſt erga nos gemina miſericordia ſua, & conſtantia in promiſſis ipſius duratura eſt perpetuò.

EXEMPLVM PARAPHRASEOS LATIO- ris ſenſum magis, quàm uerba, proſequentis, ex Fran- ciſco Titelmanno in eundem pſalmum.

Laudate
dominum
omnes gen-
tes:

VOS omnes gentium nationes, quæ olim longè eratis à Deo, idolis, atque dæmoniis ſeruientes, Deumque uerum ignorantes, nunc laudem date, & gloriam Deo domino, in quem apoſtolica edocti prædicatione credidiſtis.

* Neque

A * Neque ſolus de cætero Iudæorum populus Deum laudet, uerùm abſque diſcretione omnes populorum nationes, ubiuis terrarum conſtitutæ, pariter collaudate dominum Deum. * Laudate eum omnes populi.

2 Iam enim in tempore iſto gratiæ, nobis omnibus credentibus impleta eſt, & opere exhibitã miſericordia patribus olim promiſſa; hoc eſt generis humani per Chriſtum redemptio. eſtque miſericordia domini (à qua olim longè eramus, quando eramus natura filii iræ) iam ſuper nos credentes corroborata, atque ſtabilita, ita ut nunquam auferri poſſit à nobis credentibus in eum. * & ueritas promiſſionum eius non faller nos in ſempiternum; ſed quæ promiſit, infallibili ueritate cuſtodiet credentibus: quæ ſanè duplex ratio, maximi gaudij cunctis credentibus debet eſſe materia. 2 Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.
* & ueritas domini manet in æternum.

B EXEMPLVM PARAPHRASEOS INTER- textæ ex Raynerio Snoygoudano; in qua uerba ſacri contextus à uerbis elucidationis diſformibus literis diſcernuntur.

LAUDATE Dominum Deum, omnes gentes totius mundi: Laudate eum, atque magnificate beneficia gratis præſtita omnes populi Iudæorum ad fidem conuertendi. Quoniam confirmata eſt, per effectum incarnationis Chriſti Super nos fideles Miſericordia eius & reparatio noſtra miſericorditer promiſſa. quia quod per prophetas promiſit, per aduentum Chriſti compleuit. & ueritas domini, quæ Chriſtus eſt, Manet nobiſcum in æternum uſque ad conſummationem ſæculi.

C EXEMPLVM ALTERVM PARAPHRA- ſeos intertextæ ex noſtris in uarios pſalmos commenta- riis, in qua contextus ab expoſitione literis mauſculis diſtinguitur.

LAUDATE unicum & ueram Deum, cœli, terræque creatorem, ac totius mundi DOMINVM, patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, OMNES, toto terrarum orbe diſfuſæ GENTES, quæ ſecundum naturæ leges piè, ſanctæque uiuunt. præcipuè uerò, ac præ omnibus gentibus LAUDATE, celebrate, & innumeris laudibus, hymnis, pſalmis, & canticis extollite EVM non ſola uoce, ac lingua, ſed animi affectibus, & operibus uoci conformibus, prædicare eum OMNES duodecim tribus Iſrael, ac POPVLI Iudæorum inclyti, quos dominus ex cunctis nationibus terræ ſingulari quodam priuilegio elegit ſibi in peculium. Eſt autem dominus uobis ſingulari quodam priuilegio elegit ſibi in peculium. Eſt autem dominus uobis tam gentibus, quàm Iudæis hac maximè de cauſa laudandus: QUONIAM CONFIRMATA, præſtita, pleniffimeque completa EST, & in nouiffimis temporibus largiter, ac ſplendide effuſa SUPER NOS, non tantum Iudæos, ſed etiam Gentes MISERICORDIA, benignitas, & gratia humanæ reparationis exhibitã nobis in Chriſto Ieſu filio EIVS unigenito: ET eſt iterum, atque iterum Deus nobis perpetua laude celebrandus, quoniam VERITAS promiſſionum, quas olim Deus per prophetas in ſcripturis ſanctis de mittendo filio ſuo fecerat, ipſaque dei patris, ac DOMINI noſtri fidelitas, & dictorum firmitas, ac pollicitationum conſtantia non excidit, aut proſus euauit; ſed fixa permanſit, & adhuc immota MANET, & uſque adeò ſtabilis IN ÆTERNVM, & in ſæculum ſæculi permanebit; ut nulla unquam uis eam infringere, labefactare, immutare ue poſſit.

DE LEXICE

METHODVS NONA.



LEXICES, hoc est Vocabulariæ, uel Dictionariæ expositionis, quæ grammaticam uocabulorum significationem declarat, duæ sunt uarietates, nempe Vniuersalis, & Particularis, non aliter inter se distinctæ, quàm totum & partes. Ex his prior dictiones, uocesque omnes græcas, hebræas, chaldæas, & latinas, toto diuinæ scripturæ ambitu comprehensas, primùm diuellit: diuulsas deinde ac distinctas iuxta alphabeticam seriem in lexicos & dictionarios redigit. in quo laboris genere Philo Iudæus, & Origenes apud Græcos, Hieronymus, & Sanctes apud Latinos feliciter defudarunt. Posterior autem uarietas, de qua nunc potissimum loquimur, prioris quodammodo particula dici potest. hac uti solent expositores nonnulli ordinis & perspicuitatis maximè studiosi: qui in exponendis particularibus uoluminum capitulis, sectionibus, & periodis, primo loco grammaticam uocem elucidationem proponunt, mox secundo loco expositionem sensuum à priore separatam subnectentes. quod inter Latinos egregiè præstiterunt Claudius Guillaudus in commentariis super epistolis Pauli, & Hector Pinçus in explanationibus Esaiæ. Huius posterioris partis exemplum hoc erit.

EXEMPLVM LEXICAE EXPOSITIONIS

in psalmum centesimum decimum sextum.

HALLELVIA הללויא dictio hæc apud hebræos ex duabus uocibus componitur, nempe ex uerbo הלל hallelu, & nomine יהי ia: quorum illud significat Laudate, hoc uerò Deum. IA enim est unum de nominibus Dei: qui, ut R. David Kimki asserit, IA uocatur; quia est creator mundi, & causa essendi ipsi mundo. uenit enim IA à uerbo היה haiha, quod significat Fuit.

GENTES hebraicè dicuntur גוים goim. quo nomine solent Iudæi communiter appellare omnes nationes, quæ non sunt de genere Iudæorum.

CONFIRMATA EST, hebraicè נבר gaur dicitur. quam uocem Chaldæus interpretatur, & græcus significantius transtulerunt. is enim אגבר Agebar, uertit: hic uerò ενκραταιωθη, quorum utrunque significat Roborata est, ualida, fortisque effecta est.

VERITAS, hebraicè אמת Emeth, hoc in loco non solum significat adæquationem rei ad intellectum; sed fidelitatem, constantiam, & firmitatem dictorum, ac promissorum præcipuè denotat.

MISERICORDIA EIVS, hebraicè חסדו chafedo. Chaldæus transtulit טוביה to-ueia, hoc est Bonitas, uel benignitas.

MANET, græcè μένει. dictio hæc in hebræo non habetur, sed in græca tantum, & latina editione. subintelligitur tamen.

DE ANNOTATIONE

METHODVS DECIMA.



ANOTATIONES, quas græci uocant Σημειώσεις, Σχόλια, & Γλώσσας, nos annotamenta, Vacationes, Excerpta, uel Lingulas uocare possumus, illæ sunt, quibus, quoties deest ocium ad integra conficienda commentaria, sanctas literas breuibus interpretatiunculis, ueluti stellulis, lingulis, ac punctis quibusdā sparsim, & hinc inde illustramus; annotatis tantum his, quæ uel obscuriora, uel magis insigniora uidentur. In hoc labore notissimus apud Græcos fuit Appollinarius, apud Latinos uerò Hugo Victorinus, & Anselmus Laudunensis, glossæ, quæ Interlinearis dicitur, autor.

SUNT autem apud glossatores geminæ Glossematum uarietates, quæ non alia ratione inter se differunt, quàm scripturæ situ, & positione. ex his alteram, quæ circa margines sacri contextus collocatur, extrinsecam, siue marginalem uocant, alteram uerò intrinsecam, siue interlinearem appellant, quod intra linearum septa minoribus literis descripta coaptetur. utriusque hæc sunt exempla: in quibus notula alphabeticæ, dictionibus interiectæ, ostendunt locos annotationum respondentes locis sacri contextus.

EXEMPLVM GLOSSAE MARGINALIS

in psalmum centesimum decimum sextum.

a Halleluia.

LAUDATE dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est sup r nos misericordia eius: & ueritas domini manet in eternum.

ANNOTATIONES MARGINALES.

AQUANQVAM hic psalmus nunc in codicibus Hebræorum sit ἀνεπιγραφός, hoc est titulo destitutus, in græcis tamen exemplaribus, & in editione latina Hieronymi titulus præponitur Alleluia. ex quo titulo deprehenditur psalmum esse ενπαινετικόν, continereq; laudes, & gratiarum actiones. b Corde, ore, opere. c Præponit gentes Iudæis, quia pauci de Iudæis crediderunt, multi de gentibus. d Per populos iudæos intelligit; aut sub aliis uerbis eandem repetit sententiam, laudationis uocem ingeminans, ac magis magisque intendens. e Humanæ redemptionis gratia. f Veritas, inquam, euangelij per Christum data. nam lex non ueritatem, sed umbram continebat ueritatis. gratia enim, ait Ioannes, & ueritas per Christum data est.

EXEMPLVM GLOSSE INTERLINEARIS
EX ANSELMO LAVDVNENSE.

Laudate dominum omnes ^a gentes: ^b laudate eum
^a gentiles. ^b alias, & collaudate

Omnes ^a populi. ^b Quoniam ^c confirmata est
^a Iudæi. ^a hac causa. ^c dato spiritu sancto, dum inimici ce-
dunt nomini, propter, quod liberati sumus.

Super nos misericordia ^a eius: & ueritas domini ^b
^a reparatio hominis misericorditer permissa. ^b Christi ^c Christus, qui est ueritas patris. ^B

^a manet in æternum.
^a alias in seculum seculi.

DE COMMENTATIONE
METHODVS VNDECIMA.




COMMENTATIO, quæ græce Υπομνηστικὴ appellatur, breuis est diuinæ scripturæ expositio, Annotatione, siue scholiastica Methodo aliquanto copiosior. in qua quæcunque nobis in dies tam ex quotidiana autorum lectione, quàm ex propria inuentione occurrunt, & in mentem ueniunt, colligimus; & tam nostras, quàm aliorum expositorum sententias, sine multa cura & ordine, ferè ex tempore scribimus, præparantes uel nobis, uel aliis ueluti materiam ad construendum longè maiora, longèq; ampliora explanationum uolumina. Ammonius Hermæas, Hypomnemata, hoc est Commentaria, dixit esse præparaciones ad συντάματα, hoc est coordinata scripta, quæ multo tempore, multaq; solertia in ordinem rediguntur. Nunc in consuetudinem abiit, ut sub communi commentariorum appellatione omnia penè explanationum genera intelligantur. Professus est præ cæteris hunc commentandi ordinem D. Hieronymus in expositione sexdecim Prophetarum, & in quatuor præsertim libris Commentariorum in Matthæum; quos intra quindecim dierum spacium celerima festinatione confecit. Methodus hæc exempli appositione non indiget, cui quidam è regione opponunt alteram exponendi methodum, quam propria & peculiari appellatione explanationem uocant Commentationis breuitati omnino contrariam. est enim explanatio iuxta ipsorum definitionem latissima & copiosissima, ac diu multumq; meditata explicatio.

DE SCIOGRAPHICA EXPOSITIONE
METHODVS DVODECIMA.



SCIOGRAPHICA, hoc est Umbratilis, & picturalis expositio est, quæ per uarias figurarum & imaginum delineationes clarius & apertius præ oculis ponit ea quæ non ad modum apertè uerbis ex primi puerunt, non tam ornamentis ac decoris gratia, quàm necessitatis ratione à factis expositoribus excogitata. nam sicut in disciplinis mathematicis innumera pene habentur, quæ sine linearum, ac figurarum circum-

A circumductione nec doceri, nec disci possunt: ita permulta sunt in sacris literis, quæ cogitatione concipi nequeant, nisi ipsarum imagines umbris, uel picturis expressæ oculorum intuitu conspiciantur: ueluti sunt forma, figuraq; Arcæ à Nohe fabricatæ, structura tabernaculi Mosaici, dispositio templi Salomonis, compositio templi, & urbis descriptæ ab Ezechiele, eiusdemq; rotarum coaptatio, Terræ sanctæ, siue totius Palæstinae geographica descriptio, Sacerdotalium uestimentorum ornatus; quæ absq; picturarum ope, & breuium quarundam annotationum sub ipsis picturis adiectione uix, & ægrè possunt intelligi: contra uerò, adhibitis picturis, multo plura unico intuitu consequimur, quam & longa & numerosa commentariorum lectione. magis enim longèq; distinctius animo apprehenditur, & tenacius memoria retinetur, quod oculis colligitur, quàm quod solis auribus percipitur. unde & ipse Deus, cum uaticinium, quod per Ezechielem prophetam de futura urbis sanctæ obsidione protulerat, mentibus iudæorum uellet apertius explicari, & altius insculpi, præcepit prophetæ, ut in lateritio lapide, siue abaco singularum prophetiæ partium *σκιογραφίαν*, siue umbratilem picturam geometrica arte delinearet, adumbrata obsessæ urbis forma, unà cum uallis, aggeribus, arietibus, machinis, & hostilibus castris, cæterisq; aliis ad urbium obsidionem & oppugnationem necessariis: ut ex aspectu illius picturæ Iudaicus populus prænunciata sibi damna ueluti per partes certius & exactius agnosceret. Dederunt nobis in hoc expositionis genere laudatissima opera Eusebius potissimum Cæsariensis episcopus; qui primus topographiam totius terræ sanctæ depinxit, adiecta breui eiusdem picturæ declaratione; Hieronymus, qui uniuersi uestimenti pontificalis habitum, formamq; uenusta delineatione expressit; Riccardus Victorinus, qui templi Ezechielis architecturam geometricis rationibus in tabulis designauit; Cassiodorus Senator, cuius pictura ueteris tabernaculi maxime celebratur; Beda Presbyter qui schemata Mosaici Tabernaculi, & templi Salomonis operum summa arte fideiq; excudit; Albertus Dureryus, qui & formam turris Babylonicæ, & quomodo in ea multa millia hominum commodè habitare possent, primus pennicillo demonstrauit; Ioannes Buteo, qui typum arcæ Nohe mathematico artificio demonstrauit; ac præter hos plerique alij, à nobis in libro de Catholicis diuinæ scripturæ expositoribus enumerati. Huius expositionis exemplum exhibemus tibi in pictura indumenti Pontificalis, quo summus olim hebræorum sacerdos utebatur, apposita succincta declaratione ex Philone, & Iosepho, ex quinto libro Stromatum Clementis, & ex Hieronymo; quæ per caractères numerorum indices, singulas eius uestimenti partes, & ornamenta declarat.





A **כתנת** Chetthoneth, hoc est Tunica byssina, siue Linea interula, græcè *πρόσθρον*, id est Talaris, hæc adhæret corpori; & tam arcta est, & strictis manicis, ut nulla ferè præsertim à superiori parte in ea sit ruga: descenditque usque ad crura, & talos.

B **מעיל** Meil, Hiacynthina tunica talaris eiusdem coloris arctas habens manicas, & in superiori parte, qua collo inducitur, usque ad medium Pectus aperta; ad extremam & imam oram, id est ad pedes limbum habens purpureis, coccineis, & aureis tam floribus, quam gemmis mira arte distinctum: à quo duo & septuaginta aurea tintinnabula, totidemque aurea mala punica ita dependent, ut inter quælibet duo tintinnabula malum unum sit, & inter duo mala tintinnabulum unum. ut, cum pontifex ingreditur in Sancta sanctorum, totus uocalis sonorus, & maxime populo uerendus incedat.

C **אפר** Ephod, Septuaginta interpretes *Ἐπρωμίδα*, Aquila, *Ἐπρωμίδα*, nos Superhumeralia, quod humeris utrinque superponatur, appellare possumus, elegans palliolum est absque manicis, hiacyntho, cocco, purpura, auroque contextum in modum monastici scapularij sine cuculla, habens humeralia duo, hoc est constans duabus partibus æqualibus; quarum una tergo, altera pectus ad umbilicum usque tegit; in qua circa medium pectus lacuna quædam uacua relinquitur ad Rationalis receptionem.

D **שהם** Scioam, Septuaginta Smaragdos, Iosephus Sardonicas transtulit. sunt gemmæ duæ auro inclusæ tantæ magnitudinis, ut in utroque fena patriarcharum nomina insculpta contineantur: quæ fibularum uice superhumeralia utrinque circa collum annectunt.

E **אבנט** Auneth, chaldaicè *חמייני* Hemeianin, cingulum est, siue Zona lata digitos quatuor, intus inanis, ita contexta, ut exuium serpentis senectem exuentis, uel oblongum animalis intestinum uideri possit, stamine constans byssino, floribus, ac gemmis puniceis, purpureis, hyacinthinis, & aureis intertexta: quæ semel atque iterum circa pectus ephodum, & tunicas astringit, & ad talos usque defluit. Quocirca errant Vatablus, & Castalio, qui in suis Scio-tericis annotamentis hanc Zonam pinxerunt ad similitudinem breuis ac latæ corrigiæ, à pectore umbilico tenus descendenti, iuxta Ephodi mensuram. hos enim prædicta Philonis descriptio refellit.

F **חשן** Choscen, græcè *ἀγύρον*, nos Rationale nuncupare possumus. pannus est amplitudine palmi per quadrum, auro, iisdemque coloribus, quibus Ephod, uariatus ita quadrans lacunæ ante pectus relicta, ut eam adamussim expleat: cui intextæ sunt, & auro illigatæ duodecim diuersi generis gemmæ, magnitudine, pulchritudine, & precio incomparabiles, per quatuor ordines sic distinctæ, ut in singulis uersiculis terni lapides collocentur, & in singulis lapidibus singula tribuum nomina sculpta sint.

G **מבעות זהב** Tabooth Zaab sunt annuli aurei quatuor per singulos quatuor rationalis angulos habentes contra se in ora posterioris humeralis sub axillis alios quatuor annulos, quibus Ephodus hiacynthinis intercurrentibus uictis annectitur.

H **שרשרת זהב** Sciarseroth Zaab sunt catenæ aureæ, quæ duobus superioribus Ephodi angulis, qui respiciunt ad collum, per annulos aureos annexæ, copulabantur in superiori parte cum Sardonicum posituris; ne magnitudo, & pondus lapidum hiacynthinas uictas rumperet.

I **מצנפת** Miznepheth, græci *Τίραρυ*, nonnulli Galerum, alij Infulam uocant, lineum pileolum figuram habens dimidiatæ spheræ, nullumque habens in summo fastigium, sacerdotibus omnibus commune: cui superpositus est alter hiacynthinus pileolus aliquanto sublimior. quem autor libri Ecclesiastici Mitram, Salomon in libro sapientiæ Diadema uocant. Hunc aurea corona triplici ordine circumdat: in cuius posteriori parte caliculi aurei, hyoscyami floribus persimiles, spectantur; in anteriori uerò parte, quæ fronti imminet, sanctum Dei

nomen, quod Iudæis ineffabile reputatur, quatuor hebraicis literis, uidelicet Iod, A
 n he, Vau, n he, incisum est.

DE TABELLARIA, SIVE COLUMNARI EXPOSITIONIS ORDINE METHODVS DECIMATERTIA.

TABELLARIA, siue Columnaris Methodus est, compendiosa, dilucidæ, ac ditissima expositionis per tabulas & columnas ordinatissima coaptatio: quæ sacræ lectionis sensum clarissimè, ac distinctissimè præ oculis ponit; & ueluti in speculo singularum dictionum elucidationem pulcherrimo ordine, ac decentissima numerorum serie demonstrat; & ad facilitatem apprehensionis, ac memoriæ stabilitatem summopere confert. hoc enim nobis natura insitum est, ut quanto res distinctius & ordinatius oculis proponuntur, tanto eas facilius, lucidius, ac distinctius uis intellectiua apprehendat, & memoria tenacius, ac diutius conseruet. Disponitur autem huiusmodi coaptationis artificium duabus potissimum tabellis, siue columnellis, ita in eadem pagina digestis, ut prima tabella, siue columna contineat singulas sacræ lectionis dictiones grandioribus literis expressas, & alteram sub altera à capite usque ad calcem eiusdem columnæ aptissimo ordine collocatas, & suis numeris signatas. Secunda uerò columna complectitur uerba expositionis minoribus characteribus descripta, singulis sanctæ lectionis uerbis, ita è regione respondentibus, ut in unaquaque scripturæ linea, una ex dictionibus sacri contextus, & eiusdem dictionis expositio uno eodemque aspectu cernatur: quemadmodum in C subiecto exemplo apparet.

PSALMI CXVI. EXPOSITIO.

- | | | |
|----|------------|--|
| 1 | LAVDATE | animis admiramini, linguis enarrate, operibus exprimate Dei opera. |
| 2 | DOMINVM | Deum, ac præsertim patrem uisibilem, atque inuisibilem omnium creatorem celebrate. |
| 3 | OMNES | quot quot ab ortu ad Occasum, & ab Aquilone ad Austrum uniuersum terrarum orbem incolitis. |
| 4 | GENTES: | quæ circumcisionis expertes, sub lege naturæ piè sanctæque uiuunt. |
| 5 | LAVDATE | psalmis, hymnis, atque omni uerborum, & affectuum applausu extollite, |
| 6 | EVM | cuius gloriam omnes creaturæ perpetuò enarrant. |
| 7 | OMNES | duodecim trib. Israel, uos, inquit, præ cæteris gentibus collaudate eum, |
| 8 | POPVLI. | Hebræorum inclyti, quos Deus singulari priuilegio sibi ex omnibus nationibus terræ elegit in peculium. |
| 9 | QVONIAM | hac potissimum de causa nobis tam Iudæis, quam gentibus Deus est maximè laudandus: quia |
| 10 | CONF. EST | hoc est, præstita, plenissimeque completa, & in nouissimis temporibus largiter effusa, |
| 11 | SVPER NOS | non tantum Iudæos, sed etiam gentes, non tantum iustos, sed etiam peccatores, |
| 12 | MIS. EIVS: | benignitas, & gratia humanæ reparationis exhibita nobis in Christi incarnatione. |
| 13 | ET VERITAS | promissionum, quas per prophetas fecerat de mitteudo filio suo, ipsa, inquam, |
| 14 | DOMINI | Dei patris fidelitas, &c. |

DE

A DE ENARRATIONE METHODVS XIII.



ENARRATIO est publicè ad populum habita diuinæ scripturæ expositio: quæ in Homiliam, & Declamationem distinguitur. HOMILIA, quam aliqui Tractatum appellant, alij familiare colloquium, est familiaris & domestica diuinæ scripturæ ad plebem elucidatio: cuius scopus est explicare sensus scripturarum, non solum ut auditores ad pernoscenda mysteria sacræ doctrinæ introducat, sed ut eos hortetur ad obseruationem, & executionem eorum, quæ audierunt. frustra enim intelligas, nisi opere exequaris quæ perceperis. Solent autem homiliae, hoc est qui eiusmodi familiaribus colloquiis utuntur, ad populum ferè semper distribuere Homilias suas in tres partes, hoc est Præparatoriam, Didacticam, & Adhortatoriam. In Prima breuibus, sed uariis & amœnis exordiis uiam sternunt auditoribus, dum eis summam lectionis exponendæ breuiter proponunt; eiusque tum præstantiam, tum uoluptatem, & utilitatem ostendunt. In secunda parte uerba diuinæ lectionis, uel secundum historiam, uel secundum spiritualem intelligentiam, uel iuxta utranque, prout res postulat, dilucidè explanant. Mox in Tertia, quæ semper in quibusdam breuibus aut præcatiunculis, aut doxologiis concluditur, ad mores, uitæque institutionem descendunt, ad uirtutem hortantur; & quantum familiaris colloquij lex patitur, piè admonent, moderatè reprehendunt, leuiter obiurgant, affectus suauiter excitant, ab humilibus ac sordidis curis auocant animos, eosque ad honesti studium incendunt, & ad bene beateque uiuendum inflammant.

DECLAMATIO, siue Concio, eadem, ac eodem ferè ordine obseruat, quæ Homilia; nisi quòd stylo aliquantulum grandiori utitur, & interrupto sæpe expositionis cursu, crebrius ad mores digreditur; acrius aduersus hominum crimina insurgit; & maiori spiritus, ac uerborum uehementia, ac uocis concitatione multitudinis scelera reprehendit, uniuscuiusque ordinis, status, ac sexus peculiaria uitia liberiùs detegens, seueriùs increpans, duriùs obiurgans, & grauiùs detestans; seruata tamen semper euangelicæ, ac ueræ pietatis modestia. Summus in utraque huius Methodi parte fuit Ioannes Chrysostronus: cui nec græca ecclesia superiorem, nec latina parem habuit unquam, neque deinceps. fortasse habitura est.

EXEMPLVM HOMILIAE, IN PSALMVM centesimum decimum sextum, ex diuo Ioanne Chrysostrono collectum.

D PRIMA PARS PRAEPARATORIA.

SUAUE quidem est pratium, & hortus: utroque tamen suauius multo spirat diuina psalmodum lectio: illic siquidem flores inuenire est, sed qui tempore marcescunt: hinc autem occurrunt sententiæ in natiuo uigore perennantes. illic aspirat Fauonius: hinc afflat aura spiritus sancti. illic spinæ pro muro obsepunt hortum: hinc Dei prouidentia tutum reddit lectorem. illic cicadæ stridore suo obstreperæ; hinc carmina suauis iubilo personantia. illic ex ipso aspectu quiddam oblectationis concipitur; hinc autem ex ipso auditu plurimum decerpitur utilitatis. adfert enim psalmodum meditatio multam uoluptatem, & consolationem, mentem à terra abducit, extollit cogitationem, animum erigit, & in altum euehit. Hortus uno quopiam circumscribitur loco; hymnorum uerò melodia nullo non loco terræ habitabilis circumfertur. Hortus utique pro temporum qualitate seruit necessitatibus;

L1 3 psalmo-

psalmodum uerò lectio perinde hyberno, atque æstiuo tempore perennat comantibus undique foliis, & fructuum pondere degrauatur. Attenti itaque sitis ad uerba huius psalmi, quem enarrandum suscepimus, omnium breuissimum, propter eos, qui prolixos psalmos memoria tenere non possunt.

SECUNDA PARS DIDACTICA.

LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES: breuis psalmus est, sed grandem habens intelligentiam. continet enim prophetiam ecclesiæ credentium, & prædicationem prædicationis euangelicæ, quæ erat occupatura uniuersum orbem terræ, neque enim duas, aut tres solummodo nationes, sed OMNES GENTES, ac populos conuocat psalmus ad Dei laudem. Per Omnes gentes, ac populos intelligimus hinc non solum Iudæos, sed omnes, quot quot usquam sunt, toto terrarum orbe gentes; de quibus dixit Osea: VOCABO non plebem meam, plebem meam; & non dilectam meam, dilectam meam; & exurget regere gentes: & gentes in eum sperabunt. quod sanè euenit, quando Christi aduentus resplenduit. Deinde ostendit, quam habeant gentes laudandi occasionem, dicens, QVONIAM CONFIRMATA EST SUPER NOS MISERICORDIA EIVS: hoc est, quod non ex propriis factis, nec ex uita, nec ex fiducia, sed ex sola Dei misericordia, & clementia seruati sumus. Hæc autem misericordia, inquit, Confirmata, hoc est coacta est, roborata est coaluit, firmata; ac solida facta est, & petra durior. incrementum enim quotidie suscipit, quotidie se impendit, & nunquam deficit: ut quotidie gaudeat lucris, quia maius gaudium est in cælo super uno peccatore, à uanitate uia suæ conuerso, quam super nonaginta iustis, qui non indigent poenitentia. Sequitur, Et VERITAS DOMINI MANET IN AETERNUM. quæ est ista ueritas, quæ manet in æternum? Veritas Christus est, sic dictus, quia in eius aduentu maximè resplenduit ueritas, quæ in ueteri testamento sub typis, & figuris latuerat. Hoc ipsum significans quoque Euangelista dicebat: Lex per Moysen data est; gratia, & ueritas per Christum. Ipsa etiam ueritas ea est, quæ fidem tenet rectam, ueram, & integram, quæque Christo inhæret, dicenti, Ego sum Via, ueritas, & Vita. ipsa est ueritas, quæ manet in æternum, & nos perducit ad antiquum dierum, ad æternum Deum nostrum, sine initio, sine fine permanentem. Ad huius ergo perpetuam laudem hinc nos conuocat psalmus.

TERTIA PARS ADHORTATORIA.

CAETERVM non est quid leue, laus hæc, quam à nobis postulat Deus; sed est ministerium ingens, & optimum, sacrificium maximum, & oblatio longè omnium Deo gratissima. SACRIFICIUM enim, inquit, laudis glorificabit me. & rursus, LAUDABO nomen Dei, & magnificabo ipsum cum laude; & placebit Deo super uitulum nouellum, cornua producentem, & ungulas. Nihil à nobis æquè requirit Deus, ac laudes, & gratiarum actiones, propterea enim animam nobis inspirauit, rationales nos fecit, & à brutis lingua discreuit; ut eum laudemus, celebremus, & iugiter glorificemus. non quod ipse opus habeat nostra laudatione, sed ut nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum suppeditatorem; & ut, quicquid lucri ex ista celebratione fit, ad nos redeat, & dignos faciamus nos ipsos semper maioribus subsidiis. Non est autem, ut quidam malè existimant, res parui momenti, & exigui laboris Deum laudare. sed, si quid Deo offerre uoluerimus, nihil habemus laudatione maius, nihil laudatione difficilius. Et quamnam habet, inquit, difficultatem laudatio? cui autem non uel humilis, & abiectæ conditionis homini id præstare, & Deum laudare est facile? Si rem diligenter & exactè didiceris, & dilectè, uidebis & laborem, qui in re est, & lucrum, quod ex ea percipitur, maximum. Primum quidem hæc laus à iustis requiritur, & oportet uitam prius rectè insistentem, hymnos ita Deo canere: Non est enim pulchra laus in ore peccato-

Zec. 15.

tis.

Aris. Secundò non uerbis solum, sed etiam factis laudare oportet: & hanc laudem Deus maximè requirit, hanc gloriam. **I**UCEAT enim, inquit, lux uestra coram hominibus; ut uideant bona uestra opera, & glorificent patrem uestrum, qui in cælis est. ita Cherubim, & Seraphim laudant Deum. quocirca Esaias quoque, cum mysticam illam audisset angelorum melodiam, se ipsum afflicto, & miserum dicit, dicens: **H**ER mihi, quod homo sum, impura habens labra, & habito in medio populi, impura labra habentis. & ideo, cum propheta præcipit laudes offerre, incipit à superioribus potestatibus, sic dicens: **L**AUDATE dominum de cælis, laudate eum omnes angeli eius. Oportet itaque angelum fieri, & ita laudare Deum, ut gloria eius per rectam nostræ uitæ institutionem illustretur. quemadmodum enim, dum malè uiuimus, contumeliis & probris afficitur Deus, dicente Deo, **S**ORDERE me fecistis coram nationibus terræ: & propter uos blasphematur nomen meum inter gentes: ita dum uirtutis curam gerimus, nomen Dei propter nos ab aliis quoque glorificatur. Atque hæc est Dei clarissima magnificentia, quando per innumeras linguas glorificationem offerimus, laudantes Deum non solum nostris linguis, sed & proximos incitantes, ut nostro nomine Deum magnificent. quod sanè fit, cum etiam tacentes, & nihil dicentes, ita uiuimus, ut homines de nostris bonis operibus obstupescant, & prorumpentes in diuinas laudes dicant, Gloria tibi Deus; quales sunt serui tui; quantam præferunt philosophiam; quomodo despiciunt presentia; quomodo omnia ipsis umbra, & somnium reputantur, & nulli uisibilia sunt affixi: sed omnia transigunt, sicut hi, qui in terra aliena agunt, peregrini, & quotidie ex hac uita migrare cupiunt, & anhelant? Quantum putas his uerbis celebrari, ac magnificari Deum? & quod ualde admirabile, ac rarum est, etiam hi, qui talia de nobis iudicant, breui ab errore desistunt, & ad optimam uitam exemplo nostro prouocati redeunt. sicut enim, cum lumen apparuerit, dispellit tenebras: ita & uirtus, si in nobis conspicua fuerit, malitiam effugat, & erroris tenebras abigit, mentemque uidentium excitat ad glorificandum Deum non minus uerbis, quam factis. Non ergo hanc Dei laudem rem esse leuè existimemus; sed annitiamur, ut ante os nostrum uita nostra ipsum laudet. instituamus ita uitam nostram, ut nulli occasionem demus blasphemiae: sed omnes prorumpere faciamus in Dei laudes, declinemus à malo, uirtuti studeamus; unusquisque uestrum in continentia uitium effugiat, & sobrietatis uirtutem operetur. Qui præcipitis & temerarie lingua est, & quæcunque obuientia effutit, ponat custodiam ori suo, & nunquam absque utilitate proferat uerba, sed audiat Paulum dicentem: **O**MNIS uociferatio, & furor, & blasphemia, & obscenitas, & scurrilitas tollatur à uobis cum omni malitia. & iterum, **S**i quis sermo bonus ad ædificationem utilis, ut det gratiam audientibus. Iuramenta quoque uana modis omnibus fugiat, audiens sententiam Christi, **D**ICTVM est antiquis, Non peierabis. ego autem dico uobis, Nolite iurare. & his omnibus muniamus linguam nostram, labia, & mentem; ne uel quid malarum cogitationum intrinsecus nascatur, uel per linguam foris proferratur. Aures quoque diligenter sepiamus, ne uanas fabulas audiant: sicut & beatus Moses præcipit, dicens: **A**UDITVM uanum ne accipias, aduersus proximum nostrum ne obloquamur; ne Dauid accuset nos; dicens, Sedens aduersus fratrem tuum obloquebaris, & contra filium matris tuæ ponebas scandalum. Si sic ergo aures, linguam, mentemque; & opera nostra exerceamus, & uerbis opera consona faciamus; non solum nos digni erimus Dei laudatores, sed & nomine nostro laudabunt dominum omnes gentes, & collaudabunt eum omnes populi.

Matth. 5.

Esa. 6.

Zec. 15.

Matth. 5.

DOXOLOGIA.

OREMVS, ut hæc nobis concedantur gratia, & miseratione domini nostri Iesu Christi: cui simul cum patre, & spiritu sancto. sit gloria, imperium, honor nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

MV LXXXIII

DE

DE COLLATIONE METHODVS XV.



COLLATIO, siue Collatiua expositio dicitur, quæ diuina eloquia familiaribus, mutuisq; colloquiis, ac dialogis exponit: cuius duæ sunt species, Continuata nimirum, ac Interrupta. Porro Continuata est, in qua, continuato orationis incessu, unus perpetuò loquitur, referens colloquium à se uel ab alio cum aliis habitum, simulq; connectens per uerba inquam, & inquit colloquentium interrogata, & responsa. ceu apud græcos fecit Cebes Thebanus in dialogo, cui titulus est, Πρωξξ, id est TABVLA, mysticæ picturæ sensum explicante; & apud latinos Seuerinus Boethius in duobus dialogis in expositionem Porphyrij à se editis. Interrupta uerò est, in qua, ne Inquam, & Inquit sapius, & cum fastidio repetantur, narrationis interrumpitur progressus; & iuxta Platonis, & Ciceronis morem uariæ inducuntur personæ inter se colloquentes, & sensus sanctorum uoluminum mutuis percontationibus examinantes, ita ut tanquam à præsentibus coràm sermo haberi uideatur. Priorem Collationis speciem complexus est ex græcis Ioannes Casianus, multa diuinarum litterarum loca in Collationibus suis edisserens, & Zacharias, Hieropolitanus episcopus, in dialogo super statua Danielis aurea, qui inscribitur ΧΡΥΣΕΙΚΩΝ; & ex latinis Iacobus Sadoletus, Carpentoractis episcopus, in commentariis epistolæ ad Romanos. Posteriorem uerò speciem sectati sunt inter græcos Apollinarius iunior, Laodicensis episcopus, euangelica & apostolica scripta ad formam dialogorum reducens; ex latinis uerò Salonijs Viennensis episcopus, & Ioannes Gerfonius; quorum ille Prouerbia, & Ecclesiasten Salomonis, hic Canticum canticorum Salomonis dialogo explicarunt. Exempla utriusque speciei hæc sunt.

EXEMPLVM COLLATIONIS CONTINVATAE
IN PSALMVM CXVI.

CVM externa die psalmum centesimum decimum sextum, pro concione enarrans, dixissem eundem psalmum, psalmorum, hymnorumque omnium esse initium, finem, summam, atque compendium; Aurelius noster, qui tunc aderat, expleto sermone ad me uenit: cumque in sermonem eorum, quæ fueram locutus, incidisset, mirari se dixit, quomodo psalmus, hic longè omnium breuissimus, hymnos, ac psalmos omnes comprehenderet: petiitque id sibi à nobis explicari. tum ego, Nihil, inquam, est, cur mireris optime fili, si consideres omne psalmorum, atque hymnorum genus inuentum esse ad decantandas laudes diuinorum operum, præcipue uerò ad celebrandum geminas illas Dei summi uirtutes Misericordiam, & Veritatem; quarum amplitudo omnia Dei gesta factaque admirabilia concludit, dicente Dauid: VNIVERSAE uiæ domini Misericordia, & Veritas. Atque hic Aurelius, Fateor, inquit, non solum hunc esse hymnorum omnium scopum, sed & omnia diuina opera duabus hisce uirtutibus contineri. uerum, quid ex hoc colligere uelis, ediffere. Ego uerò, Nonne uides, inquam, ut duo hæc præstantissima Dei opera, Misericordia, & Veritas, præsentis psalmo breuibus quidem uerbis, sed planè facundis ac fecundis cumularissimè prædicantur? Video, inquit ille, satisque ambas per spectas habeo. Tunc ipse ueluti ex concessis ab eo sententiam inferens, inquam: cum itaque psalmus hic enarret laudes diuinæ misericordiæ & ueritatis, quibus cuncta diuina opera omnibus passim canticis, hymnisque decantata comprehenduntur; consequens est, ut, quot quot sunt in toto psalmorum, & odarum ambitu, laudes & encomia diuinorum operum complectatur, ueluti in summa & compendio coarctata, &c.

EXEMPLVM

EXEMPLVM COLLATIONIS INTERRUPTAE
IN PSALMVM CXVI.

AVRELIVS, Dic mihi uenerande Augustine, uerumne est, quod nuper, te concionante, audiui, psalmum centesimum decimum sextum, psalmorum hymnorumque omnium initium, finem, & compendium esse? AVGVSTINVS, Verum mi Aureli. AVR. Miror, quid fieri possit, ut psalmus, longè omnium breuissimus, tam multos ac penè innumeros hymnos, psalmos, & odas comprehendat. AVG. Sed ita profectò est. nam quemadmodum in ipsum circuli centrum omnes lineæ concurrunt: ita in hunc unum psalmum cæteri tanquam in finem, & initium psalmorum omnium confluunt. AVR. optarim hoc apertius explicari. AVG. concedisne omne psalmorum, & hymnorum genus Dei laudes continere, ad celebranda potissimum diuina opera conditum? AVR. Concedo. AVG. Faterisne summam omnium diuinorum gestorum ad duo illa splendidissima referri opera, Misericordiam, inquam, & Veritatem? AVR. Fateor, & sæpe etiam Dauidicum illud in ore habeo, *Vniuersa uia domini misericordia, & ueritas.* AVG. Sed nonne uides, ut duo hæc admiranda opera Dei psalmus hic breuibus, sed fecundissimis uerbis deprædicet? AVR. Video equidem, & satis agnosco. AVG. Igitur, cum psalmi huius scopus, & argumentum sit duo illa celebrare, quibus psalmorum omnium argumenta coarctantur, consentaneum est omnes psalmos uno hoc psalmo concludi, &c.

DE MEDITATIONE METHODVS XVI.



MEDITATIO, siue Contemplatio, siue affectiua expositio est ex intimis & feruentibus astuantis animi affectibus in uiua & ardentia uerba prorumpens enarratio: qua potissimum uti solent pij quidam expositores, qui omnes conatus suos in hunc unum finem intendunt, ut se ipsos excitent, & prouocent in amorem eorum, quæ legunt, & explanant: ut in se quodam modo transforment, quod tractant, & uiuo affectuum, operumque experimento sentiant, quæ uerbis enarrant, semper cum Deo uersantes in cogitationibus piis, suauibus meditationibus, ardentibus desideriis, & ignitis colloquiis, semperque aspirantes, suspirantes, & anhelantes ad ea, quæ in explanandis diuinis scripturis, spiritu illustrante, didicerunt, & iam intus, eodem spiritu inflammante, experiri cœperunt. Quam sanè Expositionem multi breuiter definientes, dicunt, Meditationem esse soliloquium animæ de diuinis scripturis cum Deo loquentis: uel sic, Meditatio est secretissima expositoris cum Deo locutio: & ardentissima diuinæ caliginis contemplatio. Conficitur autem hoc diuinum explanationis genus, & nix paucissimis agnitis tribus potissimum exercitamentis, hoc est, Ascensu in Deum, Descensu in seipsum, & Regressu in Deum. uerbi gratia, si explicanda sit ea Pauli sententia ad Colloenses, *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.*

PRIMUM attollet expositior mentem in Deum, pieque contemplabitur, qualis, & quanta sit admirabilis Dei sapientia; & quanto poterit sermonis splendore, ostendet diuinæ sapientiæ thesaurum, quæ unico & indefinenti intuitu semper intuetur, & conspicit uniuersa, non solum maxima, & nobilissima, sed & minima quæque, ac uilissima: cui in numerato sunt omnes stella cœli, & omnes arenæ maris: cui omnis mens, & omnis uoluntas loquitur: cui omnis quantumlibet occulta cogitatio patet: & quam nullum secretum latet, pertingens usque ad intimos, & impenetrabiles, inscrutabilesque recessus humani cordis.

Mm Hæc

HÆC ubi diu, multumque explanator admirans mente reuoluerit, secundo loco **A** stylum ad se ipsum conuertat, & in se ipsum descendens meditetur, quemadmodum Deus ille, qui inspicit omnia, etiam in ipsum oculos dirigit, & omnes cogitationes, & desideria ipsius, uerba item, factaque omnia considerat, & continuè obseruat. quæ posteaquam secum ipse cum summa reuerentia perpenderit, accommodabit omnia ea, quæ iam conceperat de Deo, ad propriam personam in hunc modum: **O** **Q**UAM magna mihi necessitas bene operandi incumbit, qui omnia ago in oculis Dei cuncta cernentis: ò utinam ego peccator in oculis Christi Iesu, cuius me scientia cognoscit, & sapientia perpetuò intuetur, gratiam ac beneuolentiam inuenire possim: ò utinam illi placeam: ò utinam semper agam, quæ eius conspectum non offendant.

TERTIO regrediens in Deum, unde descenderat, explanationem suam in morem precatonis ita supplicando formabit: **SERVATOR** hominum Christe Iesu, in quo sunt omnes Theauri sapientiæ, & scientiæ Dei; qui me uilissimum uermiculum oculis summæ sapientiæ tuæ dignaris aspicere; quem cogitationes meæ nullæ latent; apud quem gemitus cordis mei, & desiderium miseræ uoluntatis meæ non est absconditus; concede mihi seruo tuo, ut nihil agam aspectui tuæ maiestatis indignū.

FVERUNT in hac explanandi forma notissimi, Bernardus Abbas, Petrus Aliacus Cardinalis Cameracensis, Hieronymus Sauonarola, & Franciscus Titelmannus.

EXEMPLVM MEDITATIONIS

in psalmum centesimum decimum sextum.

SYMMVM illud bonum, quò nihil maius excogitari potest, omni quidem laude, ut sapientissimus filius Syrach ait, maius est: quippe cuius est incomprehensibilis essentia, maiestas inaccessibilis, & nomen prorsus ineffabile: quod nulla creatura potest animo concipere, nedum uerbis exprimere. præcipit tamen, iubeatque Deus ipse, ac uult hominum ore laudari: & nunc maximè in præsentis psalmo per os Dauidis conuocat omnes populos hebraeorum, omnesque gentilium nationes ad suas ipsius laudes. Quid igitur faciam? quibus uerbis, qualingua laudabo Deum illaudabilem mutus ego uermiculus? cuius si cuncta corporis membra uertantur in linguas, & omnes artus humana, immo & angelica uoce resonent; nihil dignum dicere potero diuinæ ipsius celsitudini: ante cuius conspectum omnis laus fileat, & omne encomium silentio definitur. Tacebo ne? & uocem Dei per os Dauidis ad me clamantem, & me ad laudandum creatorem meum prouocantem contempnam? absit. scio, quid faciam. procumbam ad pedes eius; quem Cherubin, Seraphin, & uniuersa angelorum agmina cœlestibus hymnis indefinenter collaudant: & ex intimo corde dicam ei, **OMNIPOTENS** clementissime Deus, cuius incomprehensibilis maiestas laudari non potest, fac, ut saltem aliquas tibi offeram **D** laudes pro operibus tuis, quæ celebrari possunt, præsertim uerò pro misericordia, quam mihi misero præstitisti, & pro ueritate promissionum tuarum, quam in me adimplesti. ne derelinquas me orphanum, sed confirma super me misericordiam tuam: ut ueritas tua Christus uita mea manet mecum in æternum, & in sæculum sæculi. Amen.

DE POETICA METHODVS XVII.



POETICAE explanationis, quæ diuina uolumina uariis carminum generibus exponit, duplex est genus: unum carmine duntaxat constans, Carmineum appellatum: quo in exponendis sacris uoluminibus usi sunt apud græcos Apollinarius senior, & Gregorius Nazanzenus; apud latinos uerò Iuuenicus presbyter, & Arator diaconus. Alterum genus

A genus est ad imitationem operum Boethij De consolatione philosophica, & Martiani Capellæ De nuptiis Philologiæ & Mercurij, prosæ, & carminis uarietate intermixtum; & ob id Profocarmineum à plerisque nuncupatum. Quo in genere plurimum ualuerunt apud græcos Eulalius Cynopoleos episcopus, & apud latinos Vileramus Abbas Marpurgenfis; quorum uterque Canticum Cantorum Salomonis uenusta prosæ, ac uersus intermissione elucidauit.

EXEMPLVM CARMINEAE EXPOSITIONIS

in psalmum centesimum decimum sextum.

Ode dicolos distrophos, senariis, ac dimetris iambicis constans

OMNES ubique uoce gentes consona
Vno ore patris optimi
Laudes in astra ferre promptas intimis
Castè, pieque sensibus.
Sed quas canes tu maximè laudes pia
Abramidarum natio?
Dignata, mirum, gentibus præ cateris
Tanto fauore numinis.
Que misericordiæ Dei profusio?
Que magnitudo? quanta uis?
Que largitas? demisso IESV filio
De patris æterni sinu;
Qui fausta faustus intulit terris bona,
Malis fugatis omnibus.
Non ille, non date immemor quondam fide,
Iurisque iurandi fuit,
Obstrinxerat, quo se uolens seruo suo
Post Abrahamum Dauidi.
Mentirier mortalium est: sed unius
Non est Dei mentirier.
Se terra tollens astra transcendet prius;
Inque ima cælum concidet,
Quàm ueritati aspergier Dei queat
Vel tantulum labecula.
Quin luce solis aurea nitentior
Cunctis manebit seculis.

Exemplum Profocarmineae expositionis
breuitatis gratia omittitur.

DE EPISTOLA METHODVS XVIII.



EPISTOLARI Methodo usi sunt hi, qui diuinas scripturas per literas, & epistolas ad amicos præsertim consulentes transmissas explanarunt. de quorum numero fuit inter græcos Isidorus Pelusiota; qui in explicatione sacrorum uoluminum usque ad decem millia scripsit epistolas; apud latinos uerò Hieronymus, interdum & Augustinus

nus, & Ambrosius: quorum plurimæ exstant epistolares sanctorum eloquiorum epistolæ. Huius Methodi exemplum apponere superfluum esse arbitror. A

DE INQUISITIONE METHODVS DECIMANONA.



INQUISITIO est, quæ per inuestigationem, & dissolutionem difficultatum, diuinas scripturas exponit, cuius quidem tres sunt species, Problema, Quæstio, Disputatio.

PROBLEMA, quod etiam Quæstio problematica dicitur, illud est, in quo ad propositam de sanctis literis interrogationem magis ambigunt inquirendo, quam aliquid certi decernendo, respondetur: uel cuius responsio nihil firma assenatione deliberat, sed adhuc, quod propositum fuerat, diligentius inquirendum relinquit: sicut fit in omnibus penè quæstionibus, quas Augustinus in duodecim libris de Genesi ad literam magis, ut ipse fatetur, quæsiuit, quam inuenit. B

QUÆSTIO, quam alij Percontationem, alij Simplicem quæstionem, alij Quæstiunculam nuncupant, illa est, in qua ad propositas interrogationes cum certa firmæque assertionem, ac simplici breuitate respondetur: sicut fit in duobus libris Quæstionum euangelicarum diui Augustini.

DISPUTATIO, quæ & Disceptatio, & Decertatio, & Composita quæstio à quibusdam nominatur, illa est, quæ super aliqua sacrorum uoluminum parte, adhibitis utrinque contrariis tam hæreticorum, quam catholicorum ratiocinationibus, & argumentationibus, latisimè, doctissimèque disputat, uel ad tuendam apologetico more diuinæ scripturæ ueritatem, hæreticorum machinis labefactatam; uel ad exercendas, ac magis magisque exacuendas ingenij uires. Valuit supra omnes mortales in hoc disputationis genere Augustinus Hipponensis episcopus, in libris præsertim disputationum contra Manichæos, & contra Pelagianos. C Exempla, tribus huius Methodi speciebus in una eademque propositione à Diuo Augustino accommodata, hæc sunt.

EXEMPLVM PROBLEMATIS SIVE

*Quæstionis problematicæ super mendacio, quo obstetrices
Aegyptiæ deceperunt Pharaonem, ex Augusti-
no in Quæstionibus super Exodum.* D

DE Obstetricum mendacio, quo Pharaonem fefellerunt, queri solet, utrum talia mendacia approbata sint autoritate diuina: quandoquidem scriptum est, Deum benefecisse obstetricibus. Exod. 1.

RESPONSIO.

RESPONDETUR, incertum esse, utrum Deus pro misericordia ignoscebat mendacio, an & ipsum mendacium dignum præmio iudicabat. aliud enim faciebant obstetrices uiuificando infantes paruulos, aliud Pharaoni mentiendo. nam in illis uiuificandis opus misericordiæ fuit: mendacio uero illo pro se utebantur, ne noceret illis Pharao. quod potuit non ad laudem, sed ad ueniam pertinere. neque tamen hinc autoritas ad mentiendum accipienda est: sed diligentius de hac Quæstione disserendum est per alia exempla, quæ huic similia in scripturis habentur.

EXEMPLVM

EXEMPLVM QUÆSTIONIS SIMPLICIS

*super eodem obstetricum mendacio, ex libro Augustini
ad Consentium contra Mendacium.*

CVM Deus obstetricibus mentientibus benefecerit, & domos ædificauerit, meritò queritur, an ipse mendacium illarum approbauerit? Exod. 1.

RESPONSIO.

QUOD scriptum est, Deum benefecisse obstetricibus, non ita factum est, quia mentitæ sunt; sed quia in homines Dei, misericordes fuerunt. non est in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. sicut enim mirum absurdumque non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora bona uellet ignoscere: ita mirandum non est, quòd uno tempore in una causa Deus utrunque conspiciens, id est factum misericorditer, factumque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc malum illud ignouit. Restat itaque, ut intelligamus illis mulieribus pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem, mercedem utique temporalem non autem æternam.

EXEMPLVM DISPUTATIONIS SUPER

*eodem Mendacio obstetricum, ex libro Augustini de
Mendacio ad Consentium.*

PROPOSITIO DISPUTATIONIS.

MAGNA Quæstio est de mendacio, quæ nos in ipsis quotidianis actibus nostris sæpe conturbat, existimantibus quibusdam aliquando esse mentientem honesto quodam, & officioso, ac misericordi mendacio; quibusdam uero affirmantibus nullo modo uirum bonum debere mentiri.

ARGUMENTA ADVERSARIORVM.

QVI ergo cum Priscillianistis hæreticis sentiunt, licere aliquando mentiri, hoc est falsum enunciare cū uoluntate fallendi, adhibent testimonia sententiæ suæ ex sacris literis, commemorantes Saram, cū risisset, angelis negasse, quòd riserit; Iacob, à patre interrogatum, respondisse, quòd ipse esset Esau; maior filius eius; Aegyptias quoque obstetrices, ne infantes Hebræi nascentes interficerentur, etiam Deo approbante, ac remunerante mentitas. & multa huiusmodi exempla eligentes eorum hominum mendacia commemorant, quos culpæ non audeas: atque ita Fatearis aliquando esse posse non solum reprehensione non dignum, sed etiam dignum laude mendacium. Addunt etiam, quòd non solos premant diuinis libris deditos, sed etiam omnes homines, sensumque communem, dicentes: si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari; non es mentiturus? si quid ægrotus interroget, quod ei scire non expedit, qui etiam possit te non respondente grauius affligi; audebis ne aut uerum dicere in perniciem hominis, aut silere potius, quam honesto & misericordi mendacio ualitudini eius opitulari? His atque talibus copiosissimè se arbitrantur urgere, ut, si consulendi causa exigit, aliquando mentiamur.

ARGVMENTA CATHOLICORVM.

CONTRA illi, quibus placet nullo unquam modo esse mentiendum, multo fortius agunt, utentes primo autoritate diuina: quoniam in ipso decalogo scriptum est, *Falsum testimonium ne dicas*. quo genere complectitur omne mendacium. quicquid enim aliquid enunciat, testimonium perhibet animo suo. Sed, ne quis contendat non omne mendacium falsum testimonium esse appellandum, quid dicturus est ad id, quod scriptum est, *Omne mendacium noli mentiri*. & *Os, quod mentitur, occidit animam*: quod, ne quis arbitretur, exceptis aliquibus mentientibus, posse intelligi, alio loco legat, *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Vnde ore suo ipse dominus sic inquit: *SIT IN ORE uestro Est, Est, Non, Non*: quod autem amplius est, à malo est. Hinc & apostolus, cum exuendum ueterem hominem præciperet, quo nomine omnia peccata intelliguntur, consequenter ait in primis ponens: *QVAPROPTER* deponentes mendacium, loquimini ueritatem.

DETERMINATIO DISPUTATIONIS.

HIS itaque ex utraque parte consideratis, illi mihi magis audiendi uidentur, qui dicunt, nullo pacto esse mentiendum. nihil enim aliud omnia scripturarum monent testimonia, nisi nunquam esse omnino mentiendum.

CONFUTATIO HAERETICARVM OBIECTIONVM.

NEC illis, quæ de ueteribus libris mendaciorum exempla prolata sunt, terremur: ubi, quicquid gestum est, figuratè accipi potest, quamuis reuera contigerit. quicquid autem figuratè fit, aut dicitur, non est mendacium. omnis enim enunciatio ad id, quod enunciat, referenda est: omne autem figuratè aut factum, aut dictum, hoc enunciat, quod significat eis, quibus intelligendum prolatum est. unde credendum est illos homines, qui prophetis temporibus digni autoritate fuisse commemorantur, omnia, quæ scripta sunt de illis, prophetice dixisse, atque gessisse; nec minus prophetice eis accidisse quæcunque sic acciderunt, ut eodem prophætico spiritu memorie, literisq; mandanda iudicarentur.

DE obstetricibus autem, quia non eas possumus affirmare prophætico spiritu fingendi futuri ueri gratia, aliud pro alio renunciaffe Pharaoni, dicimus, non pro mendacio, sed pro charitate, & affectu suo erga innocentes hebræorum infantes approbatas, & remuneratas à Deo. Sed quid, si ad me confugiat, qui mendacio meo liberari possit? quid, si æger mendacio meo sanandus me consulat; mentiar ne? absit. omne enim, quod mentitur, occidit animam. quare, cum mentiendò uita æterna amittitur, nunquam pro cuiusquam temporali uita mentiendum est. neque enim decet alterum spiritualiter mori, ut alter corporaliter uiuat. Nullo igitur aut modo, aut prætextu mentiendum esse decernimus.

DE COLLECTANEA
METHODVS VIGESIMA.

COLLECTIO, siue Collectanea, uel collecticia Methodus, est expositio, ex quibuscunque scriptis aut ipsamet autorum uerba cum sensibus, aut solos absque uerbis sensus desumens, & in proprium usum aliena uerba, sensaque conuertens. Huius autem tres sunt species, RAPSODIA uidelicet, SYLLEGMA, & ABBREVIATIO.

DE

DE RAPSODIA.

RAPSODIA, quam nonnulli Stroma, siue Stromaticam exegefin appellauerunt, expositio est ex uariis autorum compositionibus coagmentata, coaceruatis in unam connexionem non solum sensibus, sed ipsis quoque autorum clausulis, sententiis, atque integris periodis, ac paragraphis, nullo prorsus immutato uerbo. Hac autem Rapsodia ipsa quoque triplici uarietate distinguitur, nempe in AGIOGRAPHICAM, ECCLESIASTICAM, atque ETHNICAM.

DE AGIOGRAPHICA RAPSODIA.

AGIOGRAPHICA Rapsodia, quam quidam Εαυτεξεγεσιν Eautexegefin, hoc est sui ipsius expositionem appellant, est elucidatio diuinæ scripturæ, ex ipsis diuinæ scripturæ uerbis, merisque sententiis hinc inde dispersis collecta, & in unum corpus redacta, ex apertioribus locis obscuriores locos illustrans. quam Augustinus in libro tertio De doctrina Christiana cap. 26. magnopere commendat, & cæteris expositionibus præfert, asserens non posse melius, & rectius intelligi, & exponi quædam in sacris literis obscura loca, quæ ex aliis apertioribus sanctarum scripturarum locis, in quibus illa eadem clarius & apertius recitantur. Oportet autem Agiographum expositorem in concinnandis his locis ea dexteritate, & artificio uti, ut appareat sententias illas non per uim eum in locum pertractas, sed ibidem sponte sua enatas. quod ut commodius & uenustius fiat, raro, sed aliquando tamen licebit expositori pauca quædam uerba inferere de suo; quibus ueluti anfulis longè inter se disita, scripturæ dicta elegantiori compage cohæreant. Versati sunt in hac parte aliquando diuus Bernardus, Martinus Laudunensis Cartusianus, (cuius adhuc extat Paræneticus liber ad Monachum Tyrunculum, mira arte ex sententiis sacrosanctis inuicem inter textis congestus) & temporibus nostris Henricus Elmestius Germipolitanus; qui nuper homilias in omnes epistolas, & euangelia, quæ per anni circulum leguntur, ex meris scripturæ sanctæ Stromatis, ac Rapsodiis pulchro artificio aptauit. Huius expositionis Exemplum hoc sit.

TYPVS AGIOGRAPHICÆ RAPSODIÆ

in psalmum centesimum decimum sextum; in qua pauca illa uerba, difformibus & longiusculis characteribus conscripta, non sunt de textu diuinæ scripturæ, sed aliunde ascita.

D literulæ uerò minusculæ, & interlineares una cum numeris, ad marginem appositis ostendunt capita scripturarum, ex quibus centones huius expositionis desumpti sunt.

LAUDATE DOMINVM ^a Deum & patrem domini nostri Iesu Christi, ^b qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum uoluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ ^c laudate, & superexaltate eum in sæcula OMNES GENTES, ^d quæ olim eratis gentes in carne; quæ dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, ^e quæ olim ad simulacra muta ducebamini euntes; ^f quæ eratis illo in tempore sine Christo alienatæ, à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

^a Rom. 15. 6
^b Eph. 1. 4

^c Dan. 3.

^d Eph. 2. c

^e 1 Cor. 12. 4

^f Eph. 2. c

do. nunc autem in Christo Iesu, uos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi: s qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non misericordiam consecuti, nunc autem misericordiam consecuti: h qui iam non estis hospites, & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei: i uobis dico gentibus k ex omni natione, quæ sub cælo est, l ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro: m nobis dico gentibus, n quas Deus creauit in laudem, nomen, & gloriam suam, o afferte domino gloriam, & honorem; p iubilate Deo in uoce exultationis; q cantate ei canticum, bene psallite ei in uociferatione, r componentes uosmet ipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus in gaudio cantantes, & psallentes in cordibus uestris, s & gratias agentes semper in nomine domini nostri Iesu Christi Deo, & patri. LAUDATE EVM t date gloriam laudi eius, u modulamini illi psalmum x in uoce exultationis, & confessionis, OMNES POPULI y Israelitæ, quorum est adoptio filiorum, gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus Christus: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. z quos dominus Deus elegit, ut essetis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram: non quia cunctas gentes numero uinceretis, cum omnibus sitis pauciores; sed quia dilexit uos dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus uestris. a Et uos gentes super misericordia honorate Deum: **Q**UONIAM CONFIRMATA EST SUPER NOS *gentiles* MISERICORDIA EIVS, b cum benignitas, & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit; per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit abundè per Iesum Christum. c *vos quoque* d uniuersum semen Israel glorificate eum. **Q**UONIAM VERITAS DOMINI, e qui custodit ueritatem in sæculum, f cuius nomen est fidele, & uerax, g qui non est sicut homo, ut mentiatur, h **M**ANET IN AETERNUM s impossibile est enim mentiri Deum, qui i iurandum iurauit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis i in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, k & spem uitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora secularia. l Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE ECCLESIASTICA RAPSODIA SIVE CATENA.

ECCLESIASTICA Rapsodia, quæ communi appellatione Catena dicitur, est ex diuersis ecclesiasticorum patrum scriptis uerbotenus collecta expositio. Hæc uerò duplex est, Anonyma, & Proonyma. Porro ANONYMA catena est, quæ tacitis, ac suppressis nominibus autorum, solas ipsorum sententias, dictaque in unam continuatæ narrationis consonantiam, redigit, non aliter, quam si unus solus loqueretur, in qua expositor interdum nonnulla de suo addit, ut decentius, & illustrius diuersas inconnexarum sententiarum uarietates connectat, quod apud Græcos egregiè præstitit Procopius Gazæus, qui Octateuchum, hoc est Priores octo ueteris testamenti libros ex Rapsodiis innominatorum patrum exposuit; apud Latinos uerò Eucherius Lugdunensis episcopus, & Isidorus Hispalensis episcopus.

CATENA PROONYMA est, quæ expositorum periodos, ac sententias eodem texturæ artificio contexit, hac sola re distans à superiori catena, quod illa autorum nomina præmittit; hæc uerò autorum suorum nomina intra scripturæ contextum, uel extra contextum in marginibus paginarum ascribit, hoc maxime obseruans, ne supersinò repetat sententias omnium autorum, qui super eodem loco eandem attulerunt explanationem; sed illas tantum assumat expositiones, in quibus diuersi expositores de eadem re diuersa locuti sunt, sicut apud Græcos: Oecumenius, & Theodolus Cælesyriæ presbyter; apud Latinos uerò Beda Venerabilis, Thomas Aquinas, & Aloysius episcopus Veronensis fecerunt.

EXEMPLVM

EXEMPLVM CATENAE IN PSALMVM centesimum decimum sextum.

HIERONYMVS, Paruus hic psalmus est in numero uersuum, sed magnus est in spiritualis mysterij sacramento. CASSIODORVS, Clamat enim chorus sanctorum, omnes gentes dominum debere laudare, dicens, Laudate dominum omnes gentes. GLOSSA, id est omnes gentiles. LYRANVS, Ad fidem Christi uocandi. HIERON. Qui relictis simulacris accessistis ad eum per fidem, quod Magi ab oriente uenientes inchoauerunt, offerentes munera regi nato. sicut Matthæus ait, Laudate eum omnes populi. LYRANVS, HVGGO CARDINALIS, GLOSSA, id est omnes Iudæi in duodecim tribubus diuisi. qui quasi ratione utentes, eo quod sub lege uiuebant, dicuntur populi respectu Gentium, quæ quasi pecora sine lege uiuebant. LYRAN. Præponit autem Gentes Iudæis, quia pauci de Iudæis primò crediderunt, & multi de Gentibus, sicut ait Apostolus. CASSIODORVS, Causa autem, quare debeat dominus toto orbe laudari, subiungitur, cum dicitur: Quoniam confirmata est, inquit, Super nos Misericordia eius. HVGGO CARDIN. Cum in aduentu Christi misericordiam, quam per prophetas promiserat, exhibuit. CASSIODOR. GLOSSA, Quod enim per prophetas promiserat, in aduentu Christi compleuit, & firmavit misericordiam: quia quicquid dedit, custodiuit, ut nunquam moueatur. HIERONYMVS, GLOSSA, Vel tunc confirmata est Misericordia, cum effudit super credentes spiritum sanctum iuxta promissionem, quam Lucas Euangelista commemorat. LYRAN. & cum dicit, confirmata est, loquitur de futuro per modum præteriti propter certitudinem prophetiæ. in aduentu enim Christi, & non ante, fuit misericordia Dei confirmata per effectum, quæ ante expectabatur per magnum desiderium. & ueritas domini manet in æternum.

DE ETHNICA RAPSODIA.

RAPSODIA Ethnica est ex dictis ac sententiis Gentilium autorum uerbo tenus decerpta expositio. & hæc quoque duplex est, uidelicet Catena & Cento, qui & Centro dicitur. Differt autem à Catena Cento, quod illa citra magnum laborem prolixas periodos, & longas sermonum lacinias in unam texturam congregat, præfertim uerò ex scriptis, quæ prosa, siue soluta oratione constant: Cento autem maiori labore, & solertiori industria adunatur potissimum ex scriptis poetarum; ex quorum uariis, & inconnexis uersibus noua quædam carminis structura solidatur, hac scilicet ratione, ut in unum uersuum coeant aut cæsi duo, aut unus, & sequens cum medio. nam duos iunctim locare, ineptum est: & tres una serie coaptare, memora naga. Laborarunt multa non contempnenda ingenia in his Rapsodiis uariè colligendis: sed meo quidem iudicio non semper expositionem diuinarum scripturarum, quam quærebant, ex Ethnicis assecuti sunt; sed potius Symphoniam quandam, & consonantiam inter diuinas, & prophanas ethnicorum sententias studiosis sacrarum literarum non omnino inutilem. Versatus est in priori huius Ethnica Rapsodiæ formâ Dominicus Nanus Albensis, locos uarios quatuor Euangelistarum ex dictis gentilium philosophorum, oratorum, & poetarum exponens. In Posteriore uerò, summa cum laude ingenium suum exercuerunt duæ illustrissimæ scæminæ, Eudocia, Leonis Atheniensis philosophi filia, ac Theodosij imperatoris uxor; & Proba Falconia, Adelphi proconsulis uxor: quarum illa Ομηροκέντρα, siue Homero centonas; hæc uerò Virgilio centonas contexuerunt, hoc est Locos uarios utriusque testamenti ex Græcis Homeri, & Latinis Virgilij carminibus uel descripserunt, uel exposuerunt. Exempla horum laborum hæc sunt.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ

Nn EXEM.

EXEMPLVM CATENAE ETHNICAE IN

locum illum ex secunda Petri epistola capite tertio, *Cœlum istud, quod nunc est, & terra, igni reposita sunt in die iudicij: in qua cœli fluminis instar præteribunt; elementa autem incensa resoluentur; & terra, &, quæ in ipsa sunt, colliquescent; & cœli inflammati, & elementa liquefcent.*

SIBYLLA ORACVLORVM LIBRO SECVNDO.

*Tunc ardens fluius calo manabit ab alto
Igneus, atque locos consumet funditus omnes,
Terramque, oceanumque ingentem, & cœrula ponti
Stagna, lacus, fluios, fontes, Ditemque seuerum,
Cœlestemque polum: cali quoque lumina in unum
Fluxa fluent, forma deleta prorsus eorum:
Astra cadent etenim de calo cuncta reuulsa.*

PLATO IN TIMAEO.

TEMPVS cum cœlo factum est; ut simul facta, simul etiam dissoluantur: si quando solutio quædam ipsorum fiet.

LVCRETIVS LIBRO V.

*Vna dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animus fallit. quàm res noua, mira que menti
Accidit. exitium cali, terra que futurum.*

OVIDIVS LIBRO PRIMO METAMOR.

*Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correpta que regia cali
Ardeat, & mundi moles operosa labore*

Seneca in fine libri de consolatione ad Martiam.

SI tibi potest solatio esse commune fatum; nihil, quo stat loco, stabit; omnia sternet, adducetque secum uetustas; supprimet montes, forbebit maria; flumina auertet; & commercio gentium rupto, societatem generis, cœtumque dissoluet; alibi hiatibus uastis subducat montes; urbes tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentia halitus mittet, necabitque omne animal, orbe submerso; & ignibus uastis torrebit, incendetque mortalia; & cum tempus aduenerit, quo se mundus renouaturus extinguat, uiribus ista se suis cadent; & sidera sideribus incurrent; & omni flagrante materia, uno igni, quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.

LVCANVS

LVCANVS LIBRO PRIMO PHARS.

*-Sic cum compage soluta,
Sæcula tot mundi suprema coegerit hora
Antiquum repetens iterum chaos; omnia mistis
Sidera sideribus concurrent; ignea pontum
Astra petent; tellus extendere littora nolet,
Excucietque fretum; fratri contraria Phæbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi; totaque discors
Machina diuulsi turbabit fœdera mundi.*

EXEMPLVM CENTONIS IN PSALMVM

centesimum decimum sextum, ex Virgilio carminibus olim à nobis concinnati: in qua inuitatur uniuersum mortalium genus ad celebrandum Deum propter Misericordiam, generi humano in Christi natiuitate exhibitam.

a Quæ terras, tractusque maris ^b longo ordine gentes
c Incolitis, ^d uaria linguis, habitusque ^e per orbem,
f Quæ redit à nobis Aurora, diemque reducit,
g Et qua sera rubens accendit lumina uesper,
h Commune celebrare Deum, ⁱ pœana canentes.
k Magnanimi heroes, ^l pueri, inuictaque puella,
m Matres, atque uiri, ⁿ tantarum in munere laudum
o Ipsi lætitiæ uoces ad sidera ferte;
p Quod noua progenies cœlo descendit ab alto,
q Attulit & nobis ^r longo post tempore tandem
s Auxilium, aduentumque Dei; ^t cum fœmina primam
u Virginis os, habitumque gerens, ^v mirabile dictum
x Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edit
y Nascentem puerum, ^z cali cui sidera parent.

a Aen. 6.
b Aen. 8.
c Aen. 6.
d Aen. 8.
e Aen.
f Gen. 1.
g Gen. 1.
h Aen. 8.
i Aen. 6.
k Aen. 6.
l Aen. 6.
m Aen. 6.
n Aen. 8.
o Ecl. 4. 5.
p Egl. 4.
q Aen. 8.
r Ecl. 1.
s Aen. 8.
t Aen. 1.
u Aen. 2.
v Aen. 8.
w Aen. 1.
x Aen. 2.
y Ecl. 4.
z Aen. 10.

DE SYLLEGMATE.

SYLLEGMA, id est sensuum collectio, est ex diuersis expositorum commentariis iuxta sensum tantum collecta expositio: in qua seruata solum ueritate sensus, quæ ex expositionibus aliorum educta est, uariatur dictionis genus: & stylus diuersus assumitur: sicut apud Latinos fecerunt Haymo Alberstatensis episcopus, & Rupertus Tuitiensis abbas, & ut etiam quibusdam uidetur, diuus Hieronymus; qui omnia Græcorum expositorum commentaria deflorauit.

DE ABBREVIATIONE.

ABBREVIATIO ab Epitome, de qua superius diximus, hoc tantum differt, quod illa scripturas diuinas in breuitatem colligit: hæc uero expositorum

Nn 2 torum

torum diuinæ scripturæ prolixas explanationes, latissimaque uolumina in compendium, summamque perstringit, succineta ac dilucida breuitate, ut & ab occupatis, & à simplicioribus paruo temporis, ac laboris dispendio facilius legi, & intelligi possint. Elaborarunt in hac parte feliciter apud græcos Thophylactus Chrysofomi abbreniator, & ex latinis Odo Abbas; qui triginta & quinque libros comm. Gregorij in Iob intra unius parui uoluminis angustias coarctauit.

DE COACERVATIONE METHODVS VIGESIMA PRIMA.



COACERVATIO, siue Coacervatus exponendi modus duplex est, alter in sensuum, alter in testimoniorum accumulatione consistens. Primus est, qui ad elucidationem assumpti loci quatuor, siue sex præcipuas diuinæ scripturæ expositiones, aut simul permixtas & confusas coacervat, aut singulas separatim collectas alteram post alteram subnectit, & in unam continuatæ explanationis seriem iungit. siquidem ex expositoribus quidam sunt, qui nullum seruantes ordinem, Historicæ, Ethicæ, Mysticæque explanationes absque ullo discrimine in unum aceruum confundunt: contra uerò quidam, quibus ordo placet, in primis Historicam enarrationem, ceu basim totius explanationis, subternunt; secundo loco Moralem ad utilitatem legentium super ponunt, tertio Allegoriam, quarto Anagogiam ad delectationem & ornatum addunt. quod ex recentioribus Dionysius Carthusianus in commentariis psalmodum, & Guillelmus Pepinus in commentariis Geneseos, & Exodi diligentissimè obseruarunt. ex uetustis uerò D. Gregorij in commentariis super Iob statim post Historicam expositionem Allegoricam, & Anagogicam, quæ idem apud eum sunt, subnectit: & ex his postremò Ethicæ enarrationis fontes ad mores informandos deducit.

SECVNDVS coacervationis modus in testimoniorum aggregatione positus est, qui ad enodationem & confirmationem propositi loci uaria scripturarum testimonia, autoritates, & locos ex diuinis literis similes in unum contractos adducit, & hos rursus, præsertim si obscuri fuerint & impliciti, superaddita nouæ expositionis interpositione, particulariter edisserit: quò fit, ut dum expositor per singula prolata scripturæ testimonia exponendo progreditur, explanationis corpus quodammodo in immensum excrescat, uixq; finem inueniat. Desudarunt in hoc exponendi genere inter scholasticos Henricus Langesteinus; qui, consumptis multis annis in publica enarratione Geneseos, uix ad quartum eius libri caput post quatuor integros annos peruenire potuit, editis super his quatuor magnis uoluminibus; in quibus omnes ferè utriusque testamenti libros interpretatus est. Hunc longè prolixiore opere superauit Thomas Hasselbachius; qui cum uno & uiginti annorum spacio nondum peruenisset ad finem primi capitis Esaia, quem continuè enarrauerat, demum reliquit Enarrationis suæ in primum Esaia caput libros uigintiquatuor. Ex patribus uerò maiori cum laude in hoc labore uersatus est D. Gregorius; qui in omnibus scriptis suis, præcipuè autem in quinque ac triginta libris commentariorum in Iob tot diuinorum eloquiorum sententias, fragmentaque, congescit, & congesta exposuit, ut ex his, ueluti ex ditissimo promptuario, multi non ignobiles expositores integras omnium ferè scripturæ sanctæ uoluminum expositiones acceperint. quales sunt Patherius D. Gregorij notarius, Claudius Clafsitanus abbas, Beda presbyter, Alalphus monachus, Guernerus Parisiensis, ac plerique alij Gregorianæ lectionis studiosi; qui ex Gregorij sententiis in utrunque testamentum explanationes collegerunt. Huius Methodi exemplum cum absque multa prolixitate referri nequeat, remittimus curiosum lectorem ad commentarios D. Gregorij super Iob, præsertim uerò

A uerò ad secundum eiusdem operis librum, in cuius uigesimo nono, trigesimo, ac trigesimo octauo capitibus ad expositionem sententiæ illius, *Tunc surrexit Iob, & scidit uestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adorauit, & c.* afferuntur, & explicantur duodecim diuina testimonia ex uariis Bibliorum locis congregata.

DE THEMATICA EXPOSITIONE METHODVS VIGESIMA SECUNDA.



THEMATICA explanandi Methodus est, quæ peculiare diuinæ scripturæ partes una cum earum expositionibus applicat ad alicuius particularis argumenti tractationem, ostendens totum suscepti argumenti corpus, membra, partesq; singulas in propositis scripturæ sanctæ locis ueluti in tabula depictas inueniri. Huius interpretationis artificium subindicat D. Ambrosius emanasse à Xenophonte, Socratis audire; qui in eo libro, quem *Κύριος παιδείας*, hoc est *CYRI INSTITUTIONEM* inscripsit, proposita sibi Cyri Persarum regis persona, & rerum ab eo gestarum narratione, iusti ac sapientis regis disciplinam ex intimo philosophiæ sinu descripsit: quem postea æmulati sunt insignes diuinorum uoluminum expositores; ex quibus Philo apud Iudæos, tractaturus argumenta duplicis uitæ, contemplatiuæ scilicet, ac politicæ, duos libros separatim conscripsit, in quorum priore, cui *DE VITA SAPIENTIS PER DOCTRINAM PERFECTI*, siue *DE ABRAHAMO* titulus est, Abrahamæ uitam ex duodecimo usque ad uigesimalium tertium caput Geneseos collectam, summam exponit, demonstrans Moysen in Abrahamo pingere uoluisse imaginem uiri per contemplationem perfecti: in posteriore uerò libro, qui *DE VIRO CIVILI*, siue *DE IOSEPH* attitulatur, exponens carptim gesta Ioseph à trigesimo septimo capite Geneseos usque ad quadragesimum octauum docet Iosephum esse exemplar uiri ciuilibus, & ad Reipublicæ gubernacula idonei. Hoc idem apud græcos præstitit Gregorius Nyfenus in libro, cui titulum indidit *DE PERFECTA HOMINIS VITA*, siue *DE VITA MOSIS*; in quo breuiter explicans, quæ Moses de se ipso in Pentateucho scripsit, quæcunque ad perfectum uitæ genus expediunt, in Mosis simulacro expressit. id ipsum quoque apud latinos fecit Ambrosius in uariis libris, quos sub diuersis titulis, & argumentis in explanationem ueteris testamenti composuit, præcipuè uerò in duobus uoluminibus *DE ABRAHAM PATRIARCHA*, siue *DE VIRO PER ACTIONEM PERFECTO PRÆNOTATIS*. in quibus explanans gesta Abrahamæ à duodecimo usque ad decimum octauum geneseos caput delineauit uiri moralis, ac uerè actiui ideam. In his itaque autoribus legere poteris exemplum præsentis methodi, quod hîc propter eius prolixitatem inseri non potest.

DE SCHOLASTICE, METHODVS VIGESIMA TERTIA.



SCHOLASTICVM expositionis genus duplex est, Vetus, ac Nouum. Porrò Vetus est, quo olim in enarrandis sanctis literis usi sunt eloquentissimi illi patres, qui post longam eloquentiæ exercitacionem de scholis Rhetorum ad sacra studia uenientes, enarrationes suas rhetoricis, quæ secum detulerant, ornamentis delectandi gratia exornabant, intermissis etiam ad concitandos animos grauissimis affectibus: ut, quæ dicebant, non solum ab auditoribus intelligerentur, sed etiam amaretur. & in hac significatione Beda presbyter in libro *De arte metrica Prudentium*

appellauit nobilissimum Hispanorum Scholasticum : & Gennadius in catalogo scriptorum illustrium recensuit Musæum, Iulianum, Eucherium, ac plerisque alios inter Scholasticos, hoc est inter summos scholasticæ eloquentiæ professores. Hieronymus quoque scribit se, calentibus adhuc in ipso Rhetorum studiis, multa de sacris rebus scholastico flore pinxisse; & in Commentarijs epistolæ ad Titum ait, Paulum Apostolum, cum in Areopago concionaretur, argumentum concionis ab inscriptione Aræ Atheniensium scholastica quadam elegantia traxisse.

ALTERVM scholasticæ explanationis genus, quod nunc habemus ex theologia sacra, & philosophia præsertim Peripatetica conflatum, recens, ac nouum est, annis abhinc circiter quadringentis enatum, paulò post tempora Lotharij II. imperatoris; qui anno domini MCCC. libros legum Romanarum pulueribus obfatos reperit, & in lucem reduxit; mandauitq; publicè in scholis legi, & secundum eas leges ius dici. itaque per hanc occasionem in usum reuocatus est thesaurus legum: unde multi commentaria multa scripserunt in leges. Caterùm, florescentibus iam ubique legum studiis, eaq; doctissimis quibusque, quemadmodum in re noua fieri solet, amplectentibus, animaduertentes pij quidam clerici, ac monachi scripturæ sacrae cognitionem frigescere, & contemni præ studio legum, ipsi quoque theologikum studium aggressi sunt, atque exemplo iurisconsultorum cœperunt sanctos libros exponere, & expositiones suas scriptis edere: ex quibus quæ usque in hanc diem in scholis ipsorum usitiores fuerunt, in decem distribuuntur ordines.

QVORVM primus complectitur Concordantias,

SECUNDVS Dictionaria,

TERTIVS Historias,

QVARTVS Postillas,

QVINTVS Quæstionaria,

SEXTVS Lecturas,

SEPTIMVS Compendia,

OCTAVVS Sermonaria,

NONVS Metrica,

DECIMVS Meditationes.

1 PRIMVM igitur in Concordantijs omnes dictiones tam declinabiles, quam indeclinabiles, diuinis uoluminibus comprehensas, in ordinem alphabeticum digesserunt, annotatis libris, capitibus, & lineis omnibus, ac singulis, in quibus quæcunque uoces, quæ sitæ uoci similes & concordantes, habentur.

2 IN Dictionarijs, quæ & Distinctionaria propter multiplices dictionum distinctiones, quæ in his sunt, appellarunt, omnes diuinæ scripturæ uoces alphabetica serie dispositas, multiplici sensu tam literali, quam spiritali exposuerunt, singularum uocum significata diuidentes, distinguentes, definientes, dilatantes, & iuxta uniuscuiusque dictionis naturam diuersas materias pertractantes.

3 IN Historijs omnes historicos utriusque testamenti libros redegerunt in unum continuatæ atque absolutæ historiæ corpus, intermiscentes, ubicunque rerum series exposcere uidebatur, multas non solum externas historias ex indubitatis scriptoribus mutuatas, sed apocryphas etiam narrationes, ueterum potius traditione, quam scripto ullo acceptas; adiectis insuper ad explicandum obscuros historiæ locos breuibus annotatiunculis, ex dictis sanctorum patrum collectis.

4 IN Postillis diuinæ scripturas iuxta literalem, ac spiritualem intelligentiam simplicissimè, ac breuissimè elucidarunt, omnia prorsus omni disputationum subtilitate.

5 IN Quæstionarijs è contra, posthabitis omnibus ferè scripturæ expositionibus, dubitationes, & quæstiones obscuras ex uarijs scripturarum locis proposuerunt; & adhibitis hinc inde contrarijs tam philosophicis, quam theologicis argumentis, subtilissimè, ac plenissimè de propositis locis disputarunt.

6 IN Lecturis uerò utranque partem amplexi, multiplices scripturarum sensus latius ac fufius, quam in Postillis fecissent, exposuere; & quæstiones, quas latissimè

mè

A mē in Quæstionarijs tractauerant, in arcum restringentes, explanationibus suis immiscuerunt.

7 IN Compendijs libros diuinæ scripturæ uel omnes, uel aliquos generali quadam partitione in partes, & membra diuiserunt; & sic membratim diuisos, in breues summas coarctarunt.

8 IN Sermonarijs, super diuersos diuinæ scripturæ locos populares sermones, & conciones ex scholasticis dubitationibus, & moralibus documentis contextos exhibuerunt.

9 IN Metricis exposuerunt libros sanctos multiplici nouorum carminum, & Rhythmorum uarietate ab ipsis primùm inuenta.

10 IN Meditationibus, quæ & affectiuæ contemplationes dicuntur, explicant diuinæ literas per imaginarias quasdam representationes, quas ad commouendos & inflammandos animos excogitarunt.

B CAETERVM, quò ad phrasim attinet, idem est omnibus loquendi modus. nullo utuntur furo secularis eloquentiæ, nullo accuratæ elocutionis defectu: quippe qui nec delectare, nec flectere desiderant, sed tantum docere. narrationem habent simplicem, breuem, ac pressam; sermonem uerò demissum, apertum, maximeque uulgarem, protritum, & iuxta uulgi consuetudinem barbarismis, ac solæcismis refertum; sed in Lecturis, & in Quæstionarijs præsertim obscurum, & abstrusum, cum propter subtilitatem Quæstionum difficillimarum, tum propter nouas, & barbaras quasdam uoces latinis auribus inauditas, & in Scholis ipsorum nuper enatas. quibus fit, ut nonnulli Rhetorum, eloquentiæ addicti, non solum ab ipsorum lectione abstineant, sed & ipsum scholasticum nomen, ut barbarum, ineruditum, & nulla dignum existimatione abhorreant. qui sanè mihi grauius in hoc uidentur errare, & Ciceronis sui iudicium, quod tantopere admirantur, contēnere. is enim à philosopho non eloquentiam, sed eruditionem requirit. nam libro primo de finibus bonorum & malorum, Epicuri mentionem faciens, ORATIO me, inquit, istius philosophi non offendit: nam & complectitur uerbis quod uult, & dicit planè quod intelligam. Et tamen à philosopho, si affert eloquentiam, accipio: si non habet, non admodum flagitem. Cum igitur Cicero à philosophis eloquentiam minime exposcat, non uideo, cur eadem tantopere à Scholasticis theologis exigi debeat: qui licet iuxta Pauli sententiam imperiti sint sermonè, non tamen scientia: sed quanto magis elocutionis elegantia destituuntur, tanto magis eruditione præstant, proponentes non picta, sed solida, docentes quæ maximè profunt, & quæ ad destinatum finem pertinent; & ita docentes, quemadmodum oportet, & cum rudibus, & cum eruditis. Sed de his alijs: non enim institui præfenti loco Scholasticorum, in quorum scholis educatus & euectus sum, defensionem suscipere; sed ipsorum duntaxat exponendæ rationem explicare.

C QVANTVM ergo attinet ad docendi modum, totius explanationis Methodus apud ipsos quinque potissimùm innititur fuscimentis, uidelicet Diuisione, Distinctione, Definitione, Argumentatione, & Allegatione iuxta Peripateticorum, & iurisconsultorum consuetudinem. Diuisionibus usque adeò abundant, ut nullam quantumuis breuem diuinæ scripturæ periodum explicent, nisi prius in diuersas partes, ac membra diuidant, atque distribuant. Distinctionum apud eos tanta uis est, ut singulas penè assumpti loci dictiones in uaria diuersaque uocum ac rerum significata distinguant; distinctas uerò suis unamquamque definitionibus ac descriptionibus explicent. Allegationum ita sunt copiosi, ut in qua uis proposita re numerosam testium, ac testimoniorum multitudinem adducant in medium, citato semper nomine auctorum, in scriptione librorum, & numero capitulorum, ex quibus testimonia proferuntur. Præfationes commentariorum suorum, siue hi Postillæ, siue Lecturæ, siue Compendia, siue quæcunque alia sint, semper auspiciantur ab aliqua sanctarum scripturarum sententia, sed extra librum, quem exposituri sunt, & ab alio quoquam sacro uolumine petita. ex cuius sententiæ uerbis totius libri argumentum, quod subiectum uocant, & quatuor eiusdem operis causas deducunt, quas

quas Materialem, Formalem, Efficientem, & Finale[m] appellant. Quibus explicatis, uniuersum opus diuidunt in duas partes principales, nempe in Proemium, & Tractatum; & rursum harum singulas in tres, aut quatuor minus principales subdiuidunt, easque iterum in alias minores particulas dissecant; & in hunc modum nunc diuidendo, nunc diuisa explicando, ad finem usquelibri perueniunt.

Hoc FERÈ modo pertractant eam partem, quæ pertinet ad sermones populares, quos Prædicationes appellant, diuidentes eos in Exordium, & Narrationem. Exordium agrediuntur ab aliqua sententia, desumpta penè semper aut exlectione euangelica, aut ex epistola eodè die in sacris mysterijs prælecta, quæ Thema appellant. mox breuiter proposito sermonis argumento, ea, quæ dicenda sunt, diuidunt partitione potissimum trimembri, uel quadrimembri in tres, aut quatuor partes; quas alij Mysteria, alij Doctrinas, alij Veritates, alij Aduisamenta nuncupant; terminantes membra singula partitionis in rhythmicam consonantiam, ut facilius animo apprehendantur, ac tenacius memoria retineantur. In Narratione deinde, quam Familiarem uocant, ordinem propositæ partitionis sequentes, in principio cuiusque Mysterii, seu ueritatis, dubia quadam scholastica, uel ex summis theologis D. Thomæ, Alberti, Alexandri, Bonauenturæ, & Scoti, uel ex dogmatibus Peripateticorum petita; & ex multis tam diuinæ scripturæ, & ecclesiasticorum patrum, quam poetarum, oratorum, ac Gentilium scriptorum testimoniis, aut ex Manipulo Florum, aut ex Polianthea collectis, & nominatim ac numeratim citatis copiosissime confirmata ad enarrationem propositi loci accommodant. quibus explicatis, tandem in fine mysterij conuertunt se ad detestationem uitiorum, quam Prædicam, & Feruorem uocant, protritit, & quammaximè uulgaribus reprehensionibus, obiurgationibus, & increpationibus utentes.

HÆC est ergo scholastica Methodus iuxta suos ordines, partesque descripta: in qua præstantiores fuerunt, quantum ad Concordantias pertinet, Hugo Carenis, & Conradus Alberstadius; in Dictionariis uerò Petrus Bertorius Gallus, & Marcus Ulmenis; in Historiis Petrus Comestor, Scholasticæ historiæ autor; in Postillis Hugo Carenis, & Nicolaus Lyranus; in Lecturis Albertus Magnus, & Thomas Aquinas; in Sermonariis D. Vincentius Hispanus, & Robertus Licienis; in Metricis Godofridus Viterbiensis, & Petrus Riga Remensis; in Meditationibus scholasticis Bonauentura Cardinalis, & Landolphus Carthusianus, Ioannes Gerson, & Dionysius Carthusianus. Ex his igitur insigniora quædam apud ipsos scholasticæ uarietatis exempla, ad exactam præsentis artificij cognitionem, hunc in locum duximus inferenda.

Exemplum expositionis, ex concordantiis desumptæ,
superius uidere poteris Methodo tertia.

EXEMPLVM EXPOSITIONIS,
siue Distinctionariæ expositionis, ex Dictionario
Petri Bertorij Galli, cognomento
DICTIONARIUM.

Expositio in literam A, siue de litera A.

IN PRIMIS notare possumus, quòd hæc litera, uel syllaba A tripliciter sumi potest. sumitur enim pro litera principiatiua, pro interiectione dolendi & lamentatiua, & pro propositione ablatiua: per primam possum intelligere rerum omnium principiatiorem: per secundam possum accipere hominem miserum & infortunatum, per

A per tertiam autem hominem impium & peccatorem. Primo enim modo A est prima litera alphabeti, significans illum, qui in ordine rerum est primus, scilicet Deus, qui de se ipso dicit Apocalip. primo: Ego sum alpha & omega, principium & finis. Alpha enim græcè idem est, quod A latinè. Secundo modo A est interiectione dolentis: & sic potest significare humanam conditionem, quæ scilicet est flebilis & inanis. unde ista est illa prima uox, quam puer, ad hanc miseriam ueniens, statim clamat, dicens A, A, quasi dolendo pro miseria, quam intrauit. de qua Sapientia cap. 7. scribitur, Ego natus accepi aerem, & primam uocem similem aliis emisi plorans. Tertio modo A est præpositio ablatiua, deseruiens Ablatiuo, id est mundi principibus: & sic potest significare mihi uiros superbos, qui semper aliis se uolunt præponi, & maximè præpositos & baliuos, qui deseruiunt ablatiuo, id est mundi principibus; qui non cessant auferre bona subditorum suorum. 2. Corinth. 12. DAMASCI præpositus gentis Arethæ regis uoluit me comprehendere & c. unde de tali A potest dici illud, quod scribitur in psalmo 130. A VIRO iniquo eripe me. De primo iterum A initiatiuo potest dici quicquid dicitur de Deo, uel etiam de principio. De secundo A lamentatiuo potest dici omne, quod dicitur de humana miseria. De tertio uerò A dici potest quicquid de malis principibus dicitur, & c. Præterea breuitatis causa cæteras huius literæ significationes, quas idem autor multis ac prolixis uerbis in principio sui Dictionarij profequitur.

Exemplum Scholasticæ historiæ, quod breuitatis causa hic omittimus, uidere poteris in historia Petri Comestoris, qui per excellentiam quandam Magister historiæ Scholasticæ à Scholasticis appellatur.

EXEMPLVM QVAESTIONIS SCHOLASTICÆ
in psalmum centesimum decimum sextum.

QVAERITVR, utrùm Deus sit laudandus, & præsertim oris laudatione? Et uidetur quòd non. dicit enim philosophus in primo Ethicorum, Optimorum non est laus, sed maius aliquid, & melius: sed Deus est super omnia optima: ergo Deo non debetur laus, sed aliquid maius laude. unde Eccles. quadragesimo tertio dicitur, quòd Deus maior est omni laude.

PRAETEREA, Laus Dei ad cultum ipsius pertinet; est enim religionis actus: Sed Deus mente colitur magis, quàm ore: unde dominus Matthæi quintodecimo contra quosdam inducit illud Esaiæ, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*: Ergo laus Dei magis consistit in corde, quàm in ore.

PRAETEREA, Homines ad hoc ore laudantur, ut ad meliora prouocentur: sicut enim mali ex suis laudibus superbiunt; ita boni ex suis laudibus ad meliora prouocantur: unde dicitur Prouerbiorum uigesimo septimo, *Quomodo probatur in conflatorio argentum, sic probatur homo ore laudantium*: Sed Deus per uerba hominum non prouocatur ad meliora, tum quia immutabilis est, tum quia summè bonus est, & non habet quo crescat: Ergo Deus non est laudandus ore.

SED CONTRA est quod dicitur in psalmo 116. *Laudate dominum omnes gentes, & c.* & in psalmo sexagesimo primo, *Labiis exultationis laudabit os meum*.

RESPONDEO, dicendum, quòd uerbis alia ratione utimur ad Deum, & alia ratione ad hominem. Ad hominem enim utimur uerbis, ut conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere nisi uerbis nostris, ei exprimamus: & ideo laude oris ad hominem utimur, ut uel ei, uel aliis innotescat, quòd bonam opinionem de laudato habemus: ut per hoc & ipsum, qui laudatur, ad meliora prouocemus; & per

Oò alios.

alios, apud quos laudatur, in bonam opinionem & reuerentiam & imitationem ipsius inducamus. sed Ad Deum Verbis utimur, non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus; sed ut nos ipsos, & alios audientes ad eius reuerentiam inducamus. & ideo necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem: cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius, secundum illud psalmi, *Sacrificium laudis honorificabit me.* & in quantum homo per diuinam laudem affectu ascendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his, quæ sunt contra Deum, secundum illud Esaiæ quadragesimo octauo, *Laude mea infrenabo te, ne intereas.* Prodest etiam laus oris ad hoc, quod aliorum affectus pronocetur in Deum. unde dicitur in psalmo, *Semper laus eius in ore meo.* & postea subditur, *Audiant mansueti, & latentur.* Magnificate dominum mecum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod de Deo dupliciter possumus loqui: uno modo, quantum ad eius essentiam: & sic, cum sit incomprehensibilis & ineffabilis, maior est omni laude. debetur autem ei secundum hanc comparisonem reuerentia, & patriæ honos. unde & in psalmo secundum translationem Hieronymi dicitur, *Tibi silet laus Deus,* quantum ad primum: *Et tibi reddetur notum,* quantum ad secundum. Alio modo, secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur: & secundum hoc debetur laus Deo. unde dicitur Esaiæ sexagesimo tertio, *Miserationum domini recordabor: laudem domini super omnibus, quæ reddidit nobis dominus.* & Dionysius dicit primo capitulo de diuinis nominibus, OMNEM sanctum theologorum hymnum, id est diuinam laudem, inuenies ad beatos Thearchiæ, id est diuinitatis processus, manifestatiuè & laudatiuè Dei nominationes diuidentem.

AD secundum dicendum, quod laus oris inutilis est laudanti, si sit sine laude cordis. tunc enim loquitur Deo laudem, dum magnalia operum eius recogitat cum affectu. ualet tamen exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis, & ad prouocandum alios ad Dei laudem, sicut dictum est.

AD tertium dicendum, quod Deum non laudamus propter utilitatem suam, sed propter utilitatem nostram, ut dictum est.

EXEMPLVM SCHOLASTICAE LECTVRAE IN PSALMVM CXVI.

VERBUM abbreviatum fecit dominus super terram. Esaiæ capite decimo, & ad Romanos cap. 9.

IN ISTA sententia Esaiæ tanguntur quatuor causæ huius psalmi, uidelicet Materialis, Formalis, Agens, & Finalis. & primò Materialis innuitur per ly VERBUM; quia materia, de qua agitur in hoc psalmo, est misericordia & ueritas Dei, ostensa in uerbo incarnato. Formalis tangitur in dictione ABBREVIATVM; quia forma huius psalmi est breuitas compendiosa, comprehendens omnes diuinas laudes, quæ in toto libro psalmorum dispersæ sunt. Agens tangitur ibi, FECIT DOMINVS; nam Deus fuit causa agens, quæ fecit hunc psalmum per os Dauid. Finalis tangitur in uerbo SUPER TERRAM; quia finis, qui mouit Deum ad mittendum uerbum incarnatum, & ad pronuntiandum hunc psalmum de uerbo incarnato, fuit utilitas totius terræ. Diuiditur autem præfens psalmus more aliorum psalmorum in duas partes, uidelicet in Titulum, & Tractatum, qui incipit, *Laudate dominum, &c.* Titulus est *Halleluia.* in quo innuitur, quod iste psalmus est halleluaticus, hoc est laudatorius, inuitans totum mundum ad laudandum Deum pro misericordia obtenta in aduentu uerbi incarnati. In tractatu uerò autor exequitur, quod proposuerat in titulo. & diuiditur in duas partes: in prima inuitat omnes homines ad laudandum Deum, in secunda reddit causam inuitationis ibi, *Quoniam confirmata.* Prima pars adhuc diuiditur in duas. secunda incipit ibi, *Laudate eum omnes populi.* prima uerò ibi, *Laudate dominum omnes gentes: in qua inuitat nationes Gentiles,*

Gentiles, quæ Gentes dicuntur ad Dei laudem. Sed oritur difficultas, utrum Deus sit laudandus? & uidetur quod non. dicit enim philosophus in primo Ethicorum, quod optimorum non est laus: sed maius aliquid & melius: sed Deus est super omnia optima: ergo Deo non debetur laus, sed aliquid, maius laude. unde Ecclesiastici 44. dicitur, quod Deus est maior omni laude. Sed contra est quod hîc dicitur in psalmo, *Laudate dominum omnes gentes.* Respondeo, dicendum, quod de Deo dupliciter possumus loqui, Vno modo, quantum ad eius essentiam: & sic, cum sit incomprehensibilis & ineffabilis, maior est omni laude. debetur autem ei secundum hanc comparisonem reuerentia, & patriæ honor. Alio modo, secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur, ut sunt misericordia & iustitia: & secundum hos Deus laudandus est, & de facto laudatur in præsentî psalmo, &c.

B DE COMPENDIO SCHOLASTICO.

SCHOLASTICVM Compendium diuiditur in Prosaicum, & Metricum: Sex his autem Prosaicum duplex est, alterum Vniuersale, quod summa tantum capita totius operis diuidit, enumerat, & colligit: alterum Particulare & distinctius, maiori industria elaboratum, quod partes totius operis primarias in minores particulas, & particularia membra usque ad minimos articulos, & articulorum incifuras diuidit, enumerat, & summam perstringit ad faciliorem apprehensiuæ uirtutis commoditatem, & memoriæ auxilium. Hoc autem rursus in duo distinguitur, nempe in Arboreum, & Columnare: ex quibus Arboreum dicitur, quod per plures linearum ac ramorum, ab uno stipite prodeuntium, deductiones ac diuisiones digestum, ramosa arboris speciem figuramque repræsentat. Columnare uerò appellatur, quod in duabus eiusdem paginæ columnis conscribi solet: in quarum prima singula compendij commata, membra, & incisa decenti ordine alterum sub altero coaptantur; in altera uerò columna uerba, uel sententiæ sacræ scripturæ, singulis Compendij membris respondententes, è regione collocantur. Vtriusque exempla hæc sunt.

EXEMPLVM COMPENDII SCHOLASTICI Vniuersalis ex compendio Petri Aureoli Cardinalis in uniuersam scripturam.

SCRIPTURA diuina diuidi potest in partes octo principales secundum octo modos docendi, quos assumit. docet nanque politicè & legislatiue in prima sui parte, scilicet in Pentateucho: docet uerò secundò chronicè, seu historicè & enarratiue in altera sui parte, uidelicet in decem libris, Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdra, Tobia, Iudith, Esther, & cætera, quæ sequuntur: in quibus autor aliarum partium diuisionem breuiter profequitur. quibus expletis, rursus aggreditur diuisionem primæ partis his uerbis:

ITA QVE prima pars, quæ est Politica & legislatiua, sub librorum quinario continetur. tractatur enim primo de qualitate domini legem iniungentis, secundo de qualitate famuli legem proponentis, & tertio de qualitate cumuli legem continentis, & quarto de qualitate populi legem admittentis, & quinto de breuitate epilogi legem exponentis. Incipit ergo Genesis partem politicam, & tractat de domino legem iniungente, describens eius omnipotentiam pro eo, quod creator fuit omnium à principio: quod declarat in quinque capitulis. pro eo, quod saluator fuit hominum sub diluuiio: quod declarat in aliis quatuor capitulis. pro eo, quod disseminator fuit omnium gentium, confuso labio per uniuersum mundum: quod declarat

A in duobus capitulis. describens eius benevolentiam, amicitiam ad homines, præcipuè ad patres Israelis spiritualis: quod ostendit ex Abrahamæ segregatione. Quantum ad locum, *Egredere de terrâ tua, & de cognatione tua*; quantum ad signum circumcissionis; quantum ad factum obliuionis filij: & hoc à duodecimo capite usque ad uigesimum quintum. Similiter ex Isaac custoditione, quem seruauit, & custodiuit inter illas nefarias nationes; & hoc à uigesimo quinto capitulo usque ad uigesimum nonum, similiter de Iacob præelectione, & multiplicatione à uigesimo nono capitulo usque ad trigessimum nonum. similiter in Ioseph exaltatione à trigesimo nono capite usque ad finem. ac si uellet ita arguere liber ille: Leges illius domini, qui est omnipotentissimus, & solus Deus beneuolus, sunt ab hominibus obseruandæ: sed ille dominus, qui leges, quæ ponentur in hoc tractatu politico, instituit & iniunxit, est solus Deus omnipotentissimus, & humano generi summè beneuolus, & maximè patribus sanctis: ergo illius leges sunt ab hominibus obseruandæ. ut sicut politicæ, humanitus adinuentæ, incipiunt à fine omnium actuum humanorum: sic ista politica, diuinitus reuelata, incipiat à principio productionis uniuersorû; à quo, tanquam ab iniungente, omnes leges & bonitatem & rectitudinem fortiuntur. Hucusque Genesis. cui accedit Exodus, quasi liber secundus, & tractat, &c. & sic deinceps singula diuinæ scripturæ uolumina percurrunt usque ad ultimum.

EXEMPLVM

A EXEMPLVM COMPENDII

SCHOLASTICI PARTICVLARIS,

quod Columnare dicitur, in principium epistolæ ad Romanos, ex compendio, quod in eandem epistolam collemus anno M D L VII. in gratiam amplissimi Cardinalis Ioann. Baptistæ Cicadæ, Genuensis, titulo S. Clementis.

B PRIMA Pars huius epistolæ, salutationi deseruiens, tria complectitur, quæ epistolam fide dignam & acceptabilem reddunt, uidelicet

- 1 Salutantem,
- 2 Salutatos,
- 3 Salutem.

PRIMO continet personam salutantem: quæ describitur ex quatuor, uidelicet

- 1 Ex nomine,
- 2 Ex conditione,
- 3 Ex dignitate,

C 4 Ex officio prædicandi euangelium: quod quidem euangelium laudatur ex quatuor, uidelicet

- 1 Ex origine,
- 2 Ex uetustate,
- 3 Ex ueritate testium,

4 Ex fructu, qui quidem est filius Dei pro nobis incarnatus: quem Dei filium commendat ex duobus, uidelicet

- 1 Ex potentia uirtutis,
- 2 Ex liberalitatis largitate.

D

SECUNDO continet personas salutatas: quas quidem duplici titulo exprimit & honorat, scilicet

- 1 Aeterno,
- 2 Temporalis.

TERTIO salutem, uel salutandi formam continet: in qua duo maxima bona Romanis precatur, uidelicet

- 1 Principium omnium bonorum,
- 2 Finem ultimum omnium bonorum.

I

- 1 Paulus,
- 2 Seruus Iesu Christi,
- 3 Vocatus Apostolus,
- 4 Segregatus in euangelium.

- 1 Dei
- 2 Quod ante promisit
- 3 Per prophetas in scripturis sanctis
- 4 De filio suo: qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.

- 1 Qui declaratus est filius Dei,
- 2 Per quem accepimus gratiam.

II

Omnibus, qui sunt Romæ,

- 1 Dilectis Dei,
- 2 Vocatis sanctis.

III

- 1 Gratia uobis, &
- 2 Pax à Deo patre, & domino nostro Iesu Christo.

O o 3 EXEMPLVM

EXEMPLVM COMPENDII SCHOLASTICI PARTICVLARIS,

quod Arboreum dicitur, ex expositione euangelio- rum Ioannis Abbatis Vincellensis, quæ inscribitur VADE MECVM.

Respicite, & leuate capita uestra. Luc. 21. In his uerbis tria tanguntur,

scilicet { Intentio cordis } ad { Deum } cum { affectione }
{ Eleuatio corporis } { bonum } { occupatione }
{ Inclinatio capitis } { profundum } { subiectione. }
ut scilicet { Cor aspiciat } { Intra } { credulitatem }
{ Corpus assurgat } { Extra } { sanctitatem }
{ Caput se prosterneat } { Infra } { humilitatem. }
quasi { Respicite } { Interius } { per fidei claritatem }
{ Leuate } { Exterius } { per uitæ honestatē }
{ Incline capita } { Inferius } { p̄sando uestrā fragili-

Pro primo, Luc. 18. Respice fides tua, te saluum fecit, scilicet fides etiam sacramenti. Pro secundo, 1. Tim. 2. Nolo uiros orare in omni loco leuantes puras manus .i. sine crimine. Pro tertio, Psal. 109. Conquassabit capita in terra multorum, scilicet humiliatorum.

Respicite { Carne } { humilitate } { confidamus }
{ Christū ue- } { Mente } { benignitate } { diligamus }
{ nientem in } { Fine } { maiestate } { reuereamur. }

Cum { Socius } { assumpta humanitate } { incarnationem }
{ fit no- } { Medicus } { uisitandi urbanitate } { consolationem }
{ ster } { Dominus } { iudicandi potestate } { remunerationem. }

Ne { Pauemus } { a culmine } { diuinitatis }
{ Langueamus } { ex crimine } { carnalitates }
{ Lateamus } { ab examine } { rigorositatis. }

Pro primo, Luc. 1. Respexit humilitatem ancilla sua, scilicet potenter. Pro secundo, Luc. 22. Conuersus dominus respexit Petrum. sequitur, Et fleuit amare, scilicet penitendo. Pro tertio, Psal. Qui respicit terram, & facit eam tremere, scilicet propter culpam.

Le { Linguam } { sobrietatem } { ieiunij acceptationem }
{ ua } { Manus } { utilitatem } { exercitij occupationem }
{ te } { Pedes } { aternitatem } { desiderij eleuationem. }

Vt { Lingua capiat } { cibum parcitatis } { ieiunando }
{ Manus faciat } { opus sanctitatis } { operando }
{ Pes effugiat } { ad locum securitatis } { anhelando. } & c.

MYIEMI

DE POSTREMO SCHOLASTICI Compendij Modo, quem Metricum uocant.

COMPENDIUM Metricum est strictissima sacrorum uoluminum summa, paucissimis uerbis comprehensa; in quorum singulis uerbis singulorum diuina scripturæ capitum argumenta, artificiosissima breuitate coarctantur. talis est breuis illa totius ueteris, ac noui testamenti summa, ab Alexandro Villadeo Dolenfi centum atque duodecim hexametris breuissimè conclusa: in quibus singulæ dictiones, singulorum capitum sacra scripturæ argumenta perstringunt. &, ne breuitatis angustia uersuum intelligentiam adimat, cuiuslibet dictioni numerus capitum, cuius summa in ipsa continetur, arithmetica notula subscribitur, adiectis etiam interlinearibus minucioris scripturæ glossulis, uniuscuiusque dictionis significationem indicantibus. Huius compendij exemplum, ex ipso Alexandro acceptum, hoc est.

COMPENDIUM METRICUM IN LIBRVM GENESEOS.

Sex. Prohibet. Peccant. Abel. Enoch. Et arca fit. Intran-
1. dies 2. lignum uitæ. 3. primi parentes. 4. occiditur. 5. transfertur. 6. a Nohe. 7. in arca.
Egreditur. Dormit. Variantur. Turris. Et Abram.
8. Nohe de arca. 9. nudatus coram filiis. 10. filij & filia Nohe. 11. Babel edificatur. 12. egreditur de terra.
Loth. Reges. Creditit. Fuga. Circuncisio. Ritus.
13. separatur ab Abrahā. 14. ab Abr. uincitur. 15. Deo Abrahā. 16. Agar. 17. Abrahā & suorū. 18. Saræ post
Sulphur. Rex Geraræ. Parit. Offert. Sara. Rebecca. (ostia.
19. pluit sup Sodom. 20. abstulit Saram. 21. Sara Isaac. 22. Abraham filium. 23. moritur. 24. Isaac iungitur.
Post geminos. Putei. & cætera, quæ sequuntur.
25. Esau & Iacob. 26. quos fodit Isaac.

DE METRICA SCHOLASTICORVM EXPLANATIONE.

NON me latet Scholasticorum Poeticen ab omnibus eruditis contemni, & profus explodi, tanquam ineptam, superstitiosam, & risu dignam: tamen, ne deesse uidear suscepti operis instituto, in quo omnes expositionum uarietates, qualescunque illæ sint, indicare proposui, non grauabor & hanc quoque partem breuiter explicare, cuius hæc fuit occasio. Cum per totam Europam mos iam inoleuisset, ut Rythmi, hoc est Inconditi uersus, in eandem finalis syllabæ consonantiam desinentes, uulgari uniuscuiusque prouinciæ idiomate compositi, cantarentur; cœpit uulgarium Rythmorum poesis tanto in precio haberi, ut nullum poema uel plausu, uel laude aliqua uideretur dignum, quod esset rythmica harmonia destitutum. quo circa Scholastici cum desiderarent homines sui sæculi, rythmis deditos, ad studia sacrarum literarum allicere, accepta hinc occasione, excogitarunt & ipsi nouam Metricæ artis rationem ex ueteri latina, & recenti uernacula poesi compositam. Ex ueteri acceperunt syllabarum quantitatem, numerum pedum, ac totius carminis leges, ac mensuras diligentissimè seruandas. ex noua autem, ac uulgari sumpserunt rythmorum consonantias, syllabarum assimiles desinentias, & partem nonnullam syllabarum, ac literarum in diuersis carminibus numerum. Distinxerunt autem hanc nouam Poësim, siue Metricam diuina scripturæ expositionem in binas species, nempe in Profocarmineam, quæ ex carminibus prosa intermixtis componitur; & in Carmineam, quæ solo carmine constat. hanc uerò iterum diuiserunt in partes

partes duas, hoc est Rythmicam, & Leoninam: quarum hinc & descriptiones, & A exempla ponemus.

DE RYTMICA EXPLANATIONE.

RYTHMICA Expositio constat ex inconditis & rudibus uersibus, qui sibi ipsis pari syllabarum numero, & finalium syllabarum similitudine respondent. cuius exemplum, desumptum ex expositione Dionysij Cartusiani, in principium euangelij secundum Ioannem sic se habet.

In principio
erat uerbum,
& uerbum erat
apud Deum,
& Deus erat
uerbum.

Omnia per
ipsum facta
sunt,

Et sine ipso
factum est
nihil.

Quod factum
est, in ipso ui-
ta erat.

Tu uerbum in principio
Eras nullo initio,
In patre aternaliter
Manens intemporaliter.

Confusi sunt heretici,
Te ex matre, aut tempore
Incepisse maledici
Astruentes, & corpore.
Sed quod prius non fuisti,
Hinc mentiti extant isti.
Per te cuncta sunt plasmata,
Christe, uirtus increata.

Per te facta sunt omnia,
Qui doces & per somnia,
Sempiternaque gloria,
Lux summè amatoria
Eras apud patrem Deum,
Deus uerus apud eum,
Non ut per instrumentalem
Causam patri diuersalem
Est creatus per te Mundus,
Sed ut per comprincipalem
Causam primam exemplarem
Per te bonis firmabundus.

Abs te nihil & peccatum
Factum est, non habens ratum
Esse quantum ad formale,
Quod non est quid postale.

Creatura in te uita
Erant, ò lux infinita.
Nam in te idealiter
Extiterunt uitaliter.

DE LEONINA EXPOSITIONE.

LEONINA sic dicta à Leone, primo eius inuentore, est ea, quæ, seruatis metri cis latinorum poetarum legibus, rythmicâ consonantiam uersibus addit. hæc autem bipartita est, uidelicet Heroica, hexametro carmine constans, & Elegiaca hexametris ac pentametris uersibus excurrens. rursum Heroica triplici partitione distinguitur, nempe in Monorythmicam, Dirythmicam, & Isogrammaticen: quarum definitiones, & exempla hinc sequuntur.

DE

DE MONORYTHMICA.

MONORYTHMICA est, cum singuli quique duo hexametri, in similiter desinentibus syllabis extremum carminis pedem terminantes, rythmicam symphoniam efficiunt. cuius exemplum in expositione Petri Rigenfis super principio libri Iob, his uersibus comprehensum, tale est:

Librum Iob Moysi quidam tribuere magistri
Eius ut actori: sed opinio falsa sinistra
Iudicij geritur. alij uoluerunt libelli
Actorem non esse natum: sed & ista refelli,
Tanquam falsa, solet, & c.

DE DIRYTHMICA.

DIRYTHMICA est, cum in duobus carminibus hexametris tam in medio carminis uersu, quam in fine rythmica seruetur consonantia. qualia multa sunt apud eundem Petrum Rigensem, præcipuè in expositione quarti decimi capituli Iob: ubi autor sententiam illam, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?* exponit his uersibus:

Pandit scriptura Christi mysteria pura,
De sacro flatu qui prodiit absque reatu
Non ex immundo, procedens semine mundo,
Mundans immunda, per quem mens, & caro munda.

Talis est etiam expositio postillaris Alexandri Dolensis in Acta Apost. sic incipiens:
*Si uis transacta Apostolica noscere facta,
Hæc tibi Postilla tractabit uersibus illa.*

DE ISOGRAMMATICIS.

ISOGRAMMATICIS, hoc est Aequalitera expositio, est, in qua duo quilibet hexametri, sibi inuicem succedentes, unâ cum rythmi consonantia parem quoque habent literarum numerum; & tot in uno, quot in altero uersu, literarum numerantur. Hanc autè partem solent in Simplex, & Picturatum, siue Figuratum. **SIMPLEX** est, cui præter rythmum, & æqualem literarum numerum nullum ultra additur artificium. Tales multi sunt uersus apud Rigensem in expositione libri Iob, præsertim super illis uerbis capituli tertii, *Pereat dies in qua natus sum*, quæ his carminibus exponuntur:

Illa dies pereat, quæ me produxit ad ortum, } 34
Nec uideat nox illa Auroræ nobilis ortum. }
Sit nox illa grauis, nec laudis digna fauore: } 36
Stet disuncta procul à ueræ lucis honore. }

Horum uersuum literas si numeres, inuenies in singulis carminibus prioris distichi literas 34. in singulis uerò posterioris distichi uersibus literas 36.

FIGURATA expositio est, quæ ultra rythmicas consonantias, & parem literarum numerum aliud addit nouum carmini artificium curiosissimæ subtilitatis, & laboris, ac temporis immensi. exprimit enim per dispositionem & situm literarum, in carminibus positarum, uarias figurarum imagines, ueluti angelos, homines, aues, quadrupes, arbores, cruces, annulos, aliasq; his similes figuras: quas literarum, carminum minio, uel quolibet alio colore distinctæ, effingunt, & eiusdem figuræ historiam, mysteriumq; explicant. Mutuati sunt Scholastici poetæ huiusmodi inuentum (quod ludentium magis, quam exponentium uanitas uideri queat) à Rabano Mauro, Moguntino episcopo; cuius adhuc extat poema consimili industriae artificio elaboratum, cui **DE SANCTAE CRUCIS LAUDIBUS** titulus est. ex quo tibi subiectum exemplum in figura crucis expressum ostendimus.

PP Arbor,

| | | |
|----------------------|-------|-----------------------|
| Arbor, odore potens, | f r o | ndoso uertice nata, |
| Qua summa uere sacr | o u f | luit ordine bertas, |
| Hortus ditatus, & pa | r c u | i nullus in orbe est, |
| Floribus & foliis | m i l | leno germine diues, |
| Omnes excedens alt | a s g | rauitudine syluas, |

| | | | | |
|----------------|---------|-------|--------|----------------|
| Cum totam pie | magnu | s u e | flit h | onosq; decusq; |
| Ambit uerus h | onor: l | a e t | us loq | uitur ea uoto |
| Stans homo: li | uor ho | c n a | tio ni | denegat atræ |

| | | |
|----------------------|-------|----------------------|
| Dæmonis horrendus | r e m | sciri laude moueri. |
| Arbor sola tenens u | a r i | os uirtute colores, |
| Purpureo regis sub | t a c | tu roscida fulgens |
| Aeterno es radio: st | a n t | in te nam pie uinctæ |
| Aedes turratæ, ex ho | c d u | dum es nomne beata. |

Si animaduertis, omnes hi uersus æquali constant literarum numero: & in medio ip-
forum descendendo legitur carmen hoc,

Forma sacrata crucis uenerando fulget amictu.

& rursum, dum à dextra in sinistram tendis, hoc aliud,

Magnus uestit honor, letus loquor hoc nationi.

EXEMPLVM SERMONIS, SIVE CONCIO- nis Scholasticæ ex Roberto, episcopo Aquilano.

Sermo de ira Dei in illud, *Venit ira Dei in filios
diffidentie*. Ephes. capite quinto.

VENIT ira Dei in filios diffidentie: doctoris gentium uerba sunt ista originali-
ter ad Ephesios quinto capite, & in epistola præsentis dominicæ.

EFFICACISSIMVM remedium arbitratus sum peccatoribus, ut ad pœnitentiam
redeant, ante illorum faciem proponere terribilitatem, & horrorem iracundiæ
Dei. nam, ut Augustinus ait quarto libro De doctrina Christiana, plerosque in-
credulos misericors Dei patientia longa peccare facit intrepidos: quia Deum non
arbitrantur peccatorum suorum ultorem. nos igitur, huic periculo prouidere uo-
lentes, in præsentis sermone de ira Dei erimus uerba facturi. & licet multis, infe-
ctum gustum habentibus, graui sint huiuscemodi uerba: tamen humilibus, & de-
uotis uidebuntur animarum languentium medicina. inquit enim Augustinus uige-
sima tertia, quæstione quarta, capite Ipsa quoque pietas: **MOLESTVS** est medicus
furenti frenetico, & pater indisciplinato filio: tamen non propterea neganda est
infirmo medicina, nec à filio disciplina est auferenda. Ad hoc uocati sumus, ut
clamemus, & arguamus, & detestemur delicta, annunciemusq; tremenda iudicia
Dei. per Esaiam enim quinquagesimo octauo capite dominus ait: **CLAMA**, ne-
cesses, quasi tuba exalta uocem tuam: & annuncia populo meo scelera eo-
rum. Pro salute itaque, & correctione peccatorum de ira Dei securè loqui-
mur: de qua tria mysteria principalia erunt contemplanda.

Primum dicitur contemptibilitas.

Secundum terribilitas.

Tertium propinquitas.

Sed salutetur prius uirgo Maria. Aue Maria, gratia, & c. Primum mysterium con-
templan-

A templandum de ira Dei dicitur Contemptibilitas. in quo uiderelibet, quare est,
quod multi, audientes loqui de tremenda ira Dei, illam non timent; sed potius,
ut experientia docet, ridendo contemnunt. Et colligi possunt huius erroris tres
principales rationes.

PRIMA dicitur stultæ cogitationis.

SECUNDA falsæ opinionis.

TERTIA diuturnæ expectationis.

PRIMA ratio, quare à multis non timetur ira Dei, dicitur stultæ cogitationis:
quoniam putant, quod in Deo ira non sit. Pro quibus quærimus, utrum in Deo
sit ira? Quidam arguunt, quod non. Quia nulla passio cadit in Deo: sed ira est
passio quædam: ergo non cadit in Deo. Et confirmant errorem suum. Quia om-
ne peccatum à Deo est remouendum: sed ira est unum ex septem uitiiis capitali-
bus: ergo est à Deo remouenda.

B VERUNTAMEN contra sic tenentes sunt autoritates & dicta siue scripturæ sacræ,
siue gentilium, & moralium philosophorum. unde Exodi decimo quinto, In
multitudine gloriæ tuæ deposuisti omnes aduersarios nostros: misisti iram tuam, quæ
deuorauit eos. & uigesimo tertio capite Moyses, ad Deum orans, ait: **QUIESCAT**
ira tua: & esto placabilis super malitia populi tui. & quarto Regum uigesimo se-
cundo, **MAGNA** ira Dei succensa est contra nos. & Deuteronomij undecimo
capite, **IRATVS** dominus clausit cælum, & pluuia non descendunt: & cætera, quæ
sequuntur, diuinæ scripturæ testimonia. & Valerius Maximus libro primo, **LENTO**
enim gradu ad uindictam sui diuina procedit ira; tarditatemq; supplicii grauita-
te compensat. & Ouidius de arte amandi,

Flectitur iratus uoce rogante Deus.

& Augustinus decimo octauo de ciuitate Dei capite duodecimo, **APOLLINI** Del-
phico instituti sunt ludi musici, ut placaretur ira eius; qua putabant afflictas esse
sterilitate græciæ regiones: quia non defenderunt templum eius, quod rex Danaus,
cùm easdem terras inuassisset, bello incendit. & in primo libro, ubi supra capitulo
secundo dicitur de Iunone, quæ apud Gentiles colebatur pro dea: **APVD** Virgi-
lium nempe Iuno inducitur infecta Troianis, Eolo, uentorum regi, aduersus eos ir-
ritando dicere,

*Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, uictosq; penates.*

hæc ille. & idem Virgilius commemorat in principio primi libri Aeneidos ob iram
Iunonis Aeneam profugum fuisse cum reliquis Troianis, dicens:

*Arma, uirumq; cano; Troia qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lauinaq; uenit
Littora, multum ille & terris iactatus, & alto,
Vi superum, seuæ memorem Iunonis ob iram, & c.*

D PRO solutione itaque obiectorum tria sunt notanda. primum, secundum Bona-
uenturam in tertio Sententiarum distinctione trigesima tertia, & Richardus in quar-
to distinctione uigesima sexta, & Thomas prima parte quæstione uigesima, quod
quandocunq; dicitur aliquid de Deo, quod in nobis denotat passionem, de Deo
dicitur secundum effectum, & non secundum passionis defectum. odium ergo,
amor, ira, & similia, quæ in nobis sunt passiones, in Deo dicuntur secundum effe-
ctum quo ad nos: ut tunc dicatur odire, cùm effectum odij nobis exhibet: tunc
irasci, cùm effectum iræ nobis ostendit. ipse autem Deus stabilis, manens, sine pas-
sione, & cætera, quæ sequuntur.

DICIMVS ergo, quod Deus, qui est clementissimus, sine sui mutatione, sine
passione, sine peccato sua exigente iustitia irascitur, saepe peccatores obstinatos in
ira conculcans, quando eis effectus iræ demonstrat. hinc sunt guerræ, pestilentia,
tempestates, grandines, sterilitates terræ, fames, terræmotus, terrores de cælo, &
signa magna. O præsumptuosi peccatores audistis iam, quod falsa est opinio ue-
stra. dicebatis enim, quod non irascitur Deus: & ecce tot præconia scripturarum
PP 2 clamant

clamant iram Dei ab omnibus esse timendam, & non solum timendam, sed quod etiam grauisima sit & propinquissima. O si possem in talem ascendere speculam, de qua omnem Italiam cernerem, omnesque meam uocem possent audire: profecto clamarem, O Italia plange, o Italia time, o Italia caue, ne propter obstinationem tuam in te desinat ira Dei. uocauit ipse te multis annis: dotauit amplius beneficiis: misit ad te prædicatores suos: terruit te signis, & prodigiis: sensisti terræmotus, pestilentias, & temporum sterilem conditionem: comminatus est tibi Deus. sic certe hoc fecit, ut te induceret ad pœnitentiam: & tu in dies durior efficeris in peccatis, & in malitia perseverando. sunt iam ubique usuræ publicæ: omnia fœdata sunt spurcissimis uitis carnis, & ignominiosæ sodomix: superbia pomparum iam occupauit omnes ciuitates, & terras: blasphemix Dei, periuria, mendacia, iniustitiæ, uolentia, oppresiones pauperum, & similia superabundant. O Italia decora, o regio, diuitis plena, noli contemnere Deum, noli exacerbare maiestatem eius. Hortor itaque omnes populos, ut cessent à uia sua mala; ne forte, si in illa perseverauerint, repente superueniat ira, & indignatio Dei: à qua ipse nos liberet, qui est benedictus, & laudabilis per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DE SCHOLASTICA MEDITATIONE.

MEDITATIONIS Scholasticæ duplex est genus, Demissum, & Sublime. **DEMISSVM**, quod simplicibus & humilibus lectoribus magis accommodatum est, circa historicam rei contemplationem potissimum uersatur, ponens præ oculis præterita dicta, factaque, ac si essent præsentia: & quod maiorem faciat in animo impressionem, repræsentat imaginationi lectoris non ea tantum, quæ in diuinis literis scripta sunt, & quæ certè contigerunt, sed ea etiam, quæ pro uarietate locorum, personarum, ac temporum circa res in scripturis sanctis narratas contingere potuerunt. Admonent tamen, qui hac utuntur meditandi forma, cogitationes suas non ita accipiendas, ut res indubitatè assertas, ac firmiter definitas, sed ut pias & deuotas meditantis animi contemplationes.

SUBLIME uerò Meditationis genus, quod & Mystica theologia dicitur, & his duntaxat, qui in Scholastica theologia detriti sunt, cognitum est, uersatur ferè semper in explanatione anagogica scripturarum. continet autem subriles, abstrusas, ac sublimes quasdam cogitationes, ex intimis Scholasticæ theologiæ penetrabilibus haustas, & scholastico sermone expressas: quibus illi potissimum permouentur, & in admirationem, atque amorem diuinæ bonitatis excitantur, qui in scholasticis studiis longa sunt exercitatione consumpti. Vtriusque generis exempla hæc sunt.

EXEMPLVM MEDITATIONIS DEMISSAE

ex Meditationibus in uitam **CHRISTI** Landulphi Cartusiani super uerbis Matthæi cap. 2. *Secessit in Aegyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis, &c.*

IVERVNT ergo Maria & Ioseph cum puero ad quandam ciuitatem Aegypti, quæ uocatur Heliopolis; & ibi aliquam domunculam conducentes, habitauerunt per septem annos tanquam aduenæ & peregrini, pauperes & egeni. Sed hinc occurrit pulchra, pia, & compassiua ualde meditatio. unde enim, & quomodo uiuebant isti tanto tempore. nunquid mendicabant? Legitur autem de domina, quod colo & acu quærebat sibi & filio necessaria. suebat ergo, & filabat mundi domina, paupertatis amatrix. multum per omnem modum isti paupertatem dilexerunt; & eidem

A eidem perfectè usque ad mortem seruauerunt fidem. Sed nunquid ibat ipsa per domos petendo pannum, & alia, in quibus operaretur? oportuit enim hoc per uiciniam innotescere: aliàs uacasset à talibus operibus: quia illæ mulieres non poterant diuinare. Sed, & cum **IESVS** cœpit esse quinquennis, uel sic; nunquid & ipse porrabat ambasciatis matris, petendo pro ipsa ea, in quibus operari ualeret? non enim habebat alium scutiferum. Sed & nunquid reportabat opera facta, petens ex parte matris solutionem & precium? nonne in talibus erubescerat puer Iesus, filius Dei altissimi, & etiam mater ipsum mittens? Sed quid, si aliquoties, dum opus reddidisset, & precium peteret, mulier aliqua superba, rixosa, & loquax iniuriosè respondit; opus factum accepit; eum sine precio expulit; & sic uacuum domum rediit? O quot, & quantæ fiunt iniuriæ aduenis; quas dominus uitare non uenit, sed suscipere. Quid etiam, si aliquando domum rediens, & famem patiens more puorum petiuit panem; nec, unde daret, habuit mater? nonne in his, & similibus totaliter concutiebantur uiscera sua? Consolabatur uerbis filium suum, & opere, ut poterat, procurabat; & sibi fortè aliquando subtrahebat de uictu, ut filio reseruaret. Et, si ex opere manuum oportebat querere uictum, quid dicemus de uestimentis? quid de utensilibus, scilicet lectis, & aliis infra domum oportunis? nunquid duplicia? nunquid superflua? nunquid curiosa habebat? Hæc contra paupertatem sunt: & hæc si habere posset; nollet ea paupertatis amatrix. Sed nunquid domina suendo, uel alia opera faciendo, faciebat more quarundam opera curiosa? absit. est enim hoc periculosum, & ualde magnum uitium. Conspice ergo nunc dominam in laboribus & operibus filando, incidendo, suendo, texendo sollicitam, quomodo facit ea fideliter atque humiliter cum diligentia; & nihilominus super filio suo, & domo sua gubernationem habendo, uigiliisque, & orationibus iuxta posse semper intendendo, & toto affectu compatere sibi: & considera, quod non habuit omnino gratis regnum Dei domina regni. Sed & Ioseph sanctus, faber lignarius, aliquid operatur & ipse in arte lignaminis. unde, quia compassionis occurrit materia, tandem, cum aliquam moram cum eis contraxeris, pete recedendi licentiam; & benedictione accepta, primùm à puero Iesu, deinde à matre, postea à Ioseph genibus flexis, & cum lacrymis compassione magna uale facias eis: quia tanquam exules à patria sine aliqua causa, & exbanniti remanent ad peregrinandum ibidem per annos septem, in sudore uultus sui uicturi, &c. Hæc Landulphus ex diuo Bonauentura; qui in libro Meditationum uitæ Christi capite decimo quarto admonens lectorem, ne huiusmodi meditationum humilitatem contemnat, sic scribit: **HÆC**: & his similia hoc in loco de exilio pueri Iesu meditari poteris, & fieri paruulus cum paruulo Iesu. nec paruipendas talia humilia, & quæ puerilia uidentur, meditari de ipso: uidentur enim dare deuotionem, augere amorem, accendere feruorem, inducere compassionem, puritatem & simplicitatem conferre, & humilitatis & paupertatis uigorem nutrire & conseruare, familiaritatem & conformitatem facere, ac spem eleuare. nam ad sublimia ascendere non ualemus: sed, quod stultum Dei est, sapientius est hominibus; & quod infirmum, potentius. uidetur etiam talium meditatio superbiam tollere, cupiditatem eneruare, ac curiositatem confundere. Vides, quot bona inde proueniunt? sis ergo, ut dixi, cum paruulo paruulus, ut cum grandescente grandescas, & sequaris eum, quocunque ierit, & intuearis faciem eius semper.

EXEMPLVM MEDITATIONIS SVBLIMIS

in dictum illud Exodi cap. 3. *Ego sum qui sum,*
ex meditationibus Dionysij Cartusiani.

O ENS, in omni genere entium primum ac supremum; ens increatum, incausatum, ens fontanum, summè simplex, sincerissimum, formaliter infinitum, totaliter

terque perfectum; tibi soli uerè, plenè, propriè uerum esse in perpetua & indeficienti æternitate inest. unde interroganti Moyfi, quòd esset nomen tuum, rectè respondisti, EGO SVM QVI SVM. Certè ò superbenedicte, ò infinitum & in-circumscriptionem Ens, tuum esse, tanquam pelagus immensum in se fluens, comprehendit in se eminentissimè omnem perfectionem, & eminentiam cuiuscunque entis; & omnibus entibus suum cuique esse, & existentiam tribuit. tu ò supergloriosissimum fontale Ens, ita sincerum in tua puritate & simplicitate immensa consistis, ut nihil tibi de imperfecto esse admisceatur. tu esse, idemque essentia es; nec ulla utriusque in te differentia est. qui es esse ideale, per se subsistens, primum, unum, & omnino simplex. tanta est excellentia tui superlaudabilis esse, ut creata essentia, illi comparata, tanquam nihil prorsus sit & inane; & subsistentia nostra sit tanquã umbra uanissima, quæ præterit. tu, qui semper idem ipse es, ò finale Ens, in quod finaliter resoluuntur omnia entia de non esse ad esse per te deducta, comple imperfectum entitatis nostræ, aufer à nobis non esse defectuum nostrorum, infunde in nobis uerum esse gratiæ tuæ: ut, postquam mortale hoc esse depositum fuerit à nobis, quiescamus in beatifico obiecto essentia tuæ: cui laus, & gloria. Amen.

DE PANDESIA METHODVS XXIII.



PANDESIA, siue Pandesiaca Methodus est latissima & copiosissima diuinæ scripturæ elucidatio, aut ex omnibus, aut ex præcipuis expositionum Methodis potiora & optima quæque in unum locupletissimæ explanationis corpus non sine acri iudicio colligens: in qua nihil prætermittitur, quod ad integram, perspicuam, ditissimamque explicandæ rei notitiam, examinationem, comprobationem, & exornationem conferre possit, ascitis undequaque ex omni linguarum disciplinarum, & artium uarietate opibus & ornamentis ad illustrandam, exornandam, & amplificandam explanandæ rei dignitatem. Voluimus autem expositionem huiusmodi Pandesiam appellare, quia similis sit communi conuiuio, ex publicè collatis cuiusque partibus parato, ac tanta ciborum omnis generis uarietate affluentiaque instructo, ut nihil in eo desiderari queat ad explendam sensuum omnium uoluptatem. tale enim conuiuium à græcis Πανδυσια nuncupatur. Accessisse quodam modo uidentur ad huius explanationis amplitudinem ea, quæ D. Augustinus, explicans tria prima Geneseos capita, congregauit in homiliis decem, & in libris uiginti, omnium diuinarum, atque humanarum rerum affluentissima copia exundantibus. Exemplum præsentis Methodi poterit sibi ingeniosus lector ex omnibus iam descriptis Methodis in unum contractis parare.

PERORA-

PERORATIO.



HÆC de Methodis explanandi sanctas literas, à nemine ante nos perscripta, hoc tertio Bibliothecæ sanctæ libro utcunque comprehendimus: in quibus si quas fortè explanationum formulas inueneris aut superfluè propositas, aut superuacaneis, aut prolixioribus, quàm optatas, demonstrationibus, & exemplis explicatas; scias amice lector nos huiusmodi laborem impendisse non doctis tantum & exercitatis, sed ineruditis quoque, ac præcipuè tyronibus, quibus permulta in hoc genere ignota & prorsus inaudita essent; quæ tibi forsan, cæterisq; tibi similibus iandudum fuerant meridiana luce clariora. proinde boni consule quicquid à nobis hac in parte desudatum est: & hunc saltem conatum nostrum, si non rem ipsam, libenti animo amplectere, excipens hilari fronte hoc sequens iudicium, quod tibi de catholicis diuinorum uoluminum expositoribus, pro ultima huius libri coronide, apponimus.

QVOS DIVINAE SCRIPTURAE
expositores præ cæteris eligere, ac parare sibi debeant
studiosi sacrarum literarum,

F. SIXTI SENENSIS IUDICIUM.



CUM aliquando legerem Parerga Iuris, ab Andrea Alciato iuriconsultorum nostri temporis principe conscripta; inter cætera Iudicium eius inueni de summis ciuiliū legum interpretibus, hoc est de ea utilitate, quam quisque ex primariis legum expositoribus consequi posset, id ille hisce carminibus, eruditorum omnium assensu comprobatis, pronunciauerat:

*In iure primas comparatus cæteris
Partes habebit Bartolus.
Decisiones ob frequentes actio
Baldum forensis sustinet.*

Non

Non negligenda maximè est tyronibus

Castrensis explanatio.

Opinionum tutius Symplegadas

Superabis Alexandro duce.

Ordinis Iason, atque lucis nomine

Videndus est properantibus.

His si quis alios addiderit interpretes,

Onerat, quàm honorat, uerius.

LICEAT & mihi, qualiscunque ipse sim, huius clarissimi uiri exemplo iudicium ferre de præcipuis diuinarum legum, & sanctarum scripturarum interpretibus, non de eorum doctrina, (hoc enim ego infimæ classis homunculus audere non debeo) sed de fructu, quem quisque maiorem ex eorum scriptis colligere queat. hoc, omnibus, qua ualuimus diligentia, perpensis, opinamur rectè fieri posse hunc in modum:

Historiam Hebræis, & Græcis fontibus haustam

Hieronymo discas duce.

Allegorias, Anagogenq; recludent

Origenes, Ambrosius.

Exponent sensus formandis moribus aptos

Chrysostomus, Gregorius.


In dubiis, altaq; locis caligine mersis

Aurelius lucem feret.


At breuis, & facilis non est spernenda tyroni

Lyrensis expositio.

Tituli totius artis exponendi sacra uolumina,



qui hoc tertio Bibliothecæ S. libro explicantur.



F. SIXTI SENENSIS
EX ORDINE PRAEDICATORVM
DE CATHOLICIS DIVINORVM
VOLVMINVM EXPOSITORIBVS
BIBLIOTHECAE SANCTAE

LIBER QVARTVS.



PRAEFATIO.



C

ERTIVS Bibliothecae nostrae liber artem exponendi sacras literas, modosque omnes explicandi sancta uolumina, diuinis expositoribus familiares, enarrauit: quartus, quem nunc iuxta alphabeticum literarum ordinem digerimus, liber comprehendet omnium catholicorum expositorum extantium, & non extantium, qui ab anno trecentesimo ante Christum usque in hanc diem diuina uolumina exposuerunt, nomina, cognomina, genus, dignitates, tempora, commentariorum numerum, ac uarietatem, linguam, stylum, expositionis genus, & exponendi methodum, ac uirorum illustrium de plerisque nobilium expositorum scriptis iudicia. his, ueluti appendicis loco, succedet in fine uoluminis catalogus Hebraeorum expositorum, qui hebraicas ueteris testamenti scripturas hebraice explanarunt; itemque de falsarum inscriptionum causis, & quibus coniecturis earum deprehendatur falsitas, breuis admonitio. Quae quidem omnia collegimus tum ex approbatissimis historiae ecclesiasticae autoribus Eusebio, Theodoro, Socrate, Sozomeno, Euagrio, Zonara, & Nicephoro, tum ex iis, qui Catalogos illustrium ecclesiae scriptorum ediderunt. in quibus maxime secuti sumus Hieronymum, Gennadium, Isidorum, Honorium, Sigibertum, Notgerum, ac Tritemium. cetera utcunque suppleuimus ex uariis Italiae, Galliae, Hispaniae, & Graeciae bibliothecis; quas partim per amicos, partim per nos

Q9 ipso,



ipſos, multis per Italiam & Galliam ſuſceptis peregrinationibus, A
non ſine magno labore perluſtrauimus. Ne quis uerò miretur,
aut mihi uitio uertat, quòd in hoc uolumine prætermiſerim quam-
plurima uarij generis opera, a catholicis expoſitoribus conſcri-
pta: ſciat id mihi ſolum fuiſſe curæ, ut Exegetica duntaxat col-
ligerem ſcripta, quæ orthodoxi explanatores ad ſanctorum po-
tiſſimum uoluminum explanationem ex profeſſo deſtinaffent; cæ-
tera uerò, quæ ab eis ob alias occaſiones, & in alios fines emanaf-
ſent, omitterem, non quidem, ut uiros illos præſtantiffimos ali-
qua ex parte laboribus ſuis fraudarem; (quibus utpote Solis lu- B
ce clarioribus neque ſilentium meum adimere poteſt quicquam,
neque addere quicquam mea poteſt oratio) ſed quia præſentis
operis ratio ea tantum admitteret, quæ ad interpretatiuum
ſcribendi genus pertinerent. Diſtulimus autem cen-
ſuras, & caſtigations nobiliū eccleſiæ patrum
in uaria illuſtriorum expoſitorum commenta-
ria in proximè ſequentem librum, ne
plus æquo præſentis magnitudo uo-
luminis excreeſceret, quod nunc
a prima Alphabeti lite-
ra auſpicamur.



ABBAS

A



BBAS Vercellensis, cuius adhuc nomen inuenire non po-
tuit, uir, ut eius in Dionysium Areopagitam Paraphraſis in-
dicat, eruditionis ac religionis ſummæ, composuit in Canti-
ca Canticorum Salomonis expoſitiones ſtyli non contemnen-
di; in quibus maximè inſtitit circa ſenſum anagogicum, ac-
cepta ſimilitudine ſupremi amoris creati, qui eſt in ſeraphicis
ſpiritibus; ad cuius ſublimitatem animam eleuare conatus eſt,
& quodammodo in Deum transformare. Meminit huius ope-
ris Ioannes Gerſon in præſatione commentariorum ſuorum

B in Cantica. Claruit anno domini 1400.

A CACIUS (quem, quia luſcus erat, Μονόφθαλμος, id eſt Unoculū nuncupa-
bant, Cæſarienſis eccleſiæ in Palæſtina epiſcopus, Eusebij Cæſarienſis epiſcopi
discipulus, & in epiſcopatu ſucceſſor, uir in diuinis ſcripturis exercitatus, ſed Arriana
impietate peruerſus, in tantum ſub Conſtantio imperatore claruit, ut in Liberij lo-
cum Romæ Felicè Arrianum epiſcopum conſtitueret. elaborauit autem in diuer-
ſos diuinæ ſcripturæ locos συλλεγτῶν επιτημάτων, hoc eſt Selectarum quaſtionum uo-
lumen, ex quibus fragmenta multa ſeruantur in Catena græca explanationum in
Genefim. meminitq; huius operis Hieronymus in epiſtola ad Minerium, & Ale-
xandrum. Composuit etiam in Eccleſiaſten decem et ſeptem commentariorum uo-
lumina. Hunc ego non reſenſiſſem, niſi id prior Hieronymus feciſſet. Claruit an-
no domini 350. Scribuntur eius aſta libro quinto hiftoriæ tripartitæ.

C ADAM Sasbuoth ordinis Minorum, qui multos annos in academia Louanien-
ſi publicè literas ſacras profeſſus eſt, edidit ſuccinctam expoſitionem in Eſaiã
& in omnes Paulinas epiſtolas; ex omnibus tam græcis, quàm latinis orthodoxis
patribus collectam; in qua multos hæreticorum errores conſutauit. Claruit anno
domini 1540.

ADAMANNVS Presbyter, & abbas monachorum, commorantium in in-
ſula Hua ultra Britanniam, ſcripſit ad Alphridum, Anglorum regem, librum
de locis ſanctis, ad intelligentiam totius ſcripturæ utiliſſimum; quem collegit ex col-
loquijs Arcuſi, Galliarum epiſcopi; qui omnem terram ſanctam propriis oculis per-
luſtrauerat. Claruit ſub Juſtiniano Iuniorè Aug. anno domini 690.

ADILREDVS, Abbas cuiuſdam cenobij Ciſtertiensis, ſcripturarum ſan-
ctarum ſtudioſus, & ſæcularis philoſophiæ non ignarus, multa opuscula ſcrip-
ſit ad utilitatem fratrum ſuorum, inter cætera uerò homiliam unam de puero Ie-
ſu duodenni in Lucæ caput ſecundum: quæ incipit, *Cum eſſet Ieſus annorum duode-
cim.* & habetur inter opera Bernardi. Claruit ſub Henrico VI. anno domini 1200.

D AEGIDIUS, Archiepiſcopus Bituricensis, patria Romanus, ex illuſtri fami-
lia Columna, Prior quondam generalis ordinis Eremitarum, D. Thomæ Aquina-
natiſ discipulus, uir in diuinis ſcripturis eruditiffimus, & in philoſophia Ariſtorelica
nulli ſuo tempore ſecundus; ingenio ſubtilis, ſermone ſcholæſticus, & ob doctrinæ
constantiam FVNDATIſſIMI cognomen adeptus, ſcripſit in ſacras literas multas
egregias explanationes. de quibus feruntur

IN Hexaemeron libri duo, quaſtionum ſcholæſticarum multitudine repleti; quos
proximis annis Venetijs tum primùm impreſſos legimus. horum initium eſt,
Quoniam de operibus ſex dierum.

ITEM in Canticum Canticorum Lecturam ſcholæſticam, decem & nouem lectio-
nibus diſtinctam; quæ incipit, *Sonet uox tua, & c. in principio cuiuſlibet libri.*

IN Epiſtolam ad Romanos Lecturam 53. lectionum. *Enoch placuit Deo.*

IN Aue Maria opusculum:

CLARUIT ſub Rodulpho Imperatore anno domini 1280.

Q9 2 AGATHIUS

A GATHIVS Guidiacensis, sacrae theologiae in originalibus linguis regius professor, scripsit in quatuor & uiginti primos Dauidicos psalmos commentaria; in quibus maxime hebraicum psalmorum contextum examinat. idem Canticum Canticorum succincta explicatione complexus est. Claruit anno domini 1540.

A GRIPPA cognomento Castor, uir ualde doctus, scripsit sub Antonino Pio aduersus xxiiii. Basilidis haeretici uolumina, quae in Euangelium confecerat, libros ualde difertos; in quibus insanas Basilidis blasphemias fortissimè confutauit. Claruit anno domini 160.

A LALPHVS, siue Alulphus Tornacensis, monachus Benedictinus, ex operibus D. Gregorij collegit opus Excerptionum in nouum testamentum, quod inscribitur GREGORIANVM.

A LANVS Insulensis, Germanus, orator, poeta, philosophus, & theologus inter omnes sui temporis excellentissimus, sacrae Parisiensis academiae moderator, qui ob omnigenam rerum omnium meruditionem DOCTORIS VNIVERSALIS cognomen promeruit, inter multa laborum suorum illustria monumenta reliquit

COMMENTARIORVM in totum Pentateuchum libros quinque,

ITEM in Canticum Canticorum librum unum, cuius initium est, *Muli ad ornandum.*

SED & utrunque testamentum paruo compendio, quod OCVLVS SACRAE SCRIPTURAE inscribitur, perstrinxit. eius exordium est, *Reuerendissimo patri & domino.* Floruit sub Alberto Imperatore anno domini 1300.

A LANVS Rupensis, Germanus, ordinis Praedicatorum, uir in diuinis scripturis eruditus, in declamationibus sacris egregius, uita & conuersatione uenerandus, & B. Mariae semper uirginis amator praecipuus, sodalitijs quoque illius, quod sub nomine ROSARII diuinae uirgini dedicatum est, instaurator ac promotor, scripsit in Canticum Canticorum librum unum; quo singula Salomonis uerba ad Mariam uirginem, & Christum eius filium, inuicem colloquentes, decentissimè accommodauit. Claruit sub Friderico III. Imperatore, moriturque anno domini 1474.

A LARDVS Anstelredamus, natione Hollandus, cuius extat celebris liber Sacrorum similium, ex orthodoxis patribus collectus, & alter De miraculis per uenerabilem eucharistiam factis, collegit ex omnibus operibus catholicorum doctorum omnes tropos, phrasas, idiotismos, & locutionum uarias figuras, in diuinis scripturis usitatas; easque in unicum uolumen iuxta alphabeticum ordinem conuenientissimè disposuit. Claruit sub Carolo V. Augusto 1538.

A LBERTVS cognomento Magnus, archiepiscopus Ratisponensis, ordinis Praedicatorum, natione Sueuus, ex oppido Langigenfi, uir eruditionis admirandae, quem diuinarum rerum pauca, humanarum fortasse nulla latuerunt, sublimibus ingenij ac memoriae uiribus usque ad miraculum praestans, in diuinis studiis longè eruditissimus, & philosophorum omnium, quos uel ante, uel post eum uerfa Germania protulit, princeps; ob eximiam scientiarum eius multitudinem, magnitudinemque MAGNI cognomen, quod nulli unquam eruditorum contigit, ante mortem adeptus, docuit multis annis Peripateticam philosophiam, & Scholasticam theologiã in florentissimis Parisiorum & Agrippinensium academijs: in quibus inter alios egregios auditores Thomam Aquinatem diuinæ indolis, & praestantissimi ingenij discipulum habuit. uocatus deinde, immo penè inuitus ad archiepiscopatum Ratisponensis ecclesiae à Rodulpho imperatore, & à summo pontifice Urbano IIII. pertractus, cum ei aliquot annis magnificè praefuisset, rursus ueterum studiorum gratissima recordatione ad pristinae literarum exercitia reuocatus, curam ecclesiae sponte abdicauit: abiectaque dignitate episcopali, ad cenobium suum Colonienfè priuatus rediit. ubi, quod reliquum uitae superfuit, legens, scribens, docens, & diu noctuque Deo deseruiens, felicissimè traduxit, decedens ex humanis anno aetatis suae LXXXI. sepultusque est in medio choro templi sui Dominicanum, regnante

A gnante Rodulpho Imp. anno ab orbe redempto 1280. Ex cuius infinitis operibus in rotam diuinam scripturam, Scholastico explanationis genere congestis, haec duntaxat uidi, uidelicet

IN DVODECIM prophetas libros 12. *Ossa duodecim prophetarum.*

IN Matthæum librum unum, *Sume tibi librum grandem.*

IN Marcum librum unum, *Ecce uincit leo de tribu Iuda.*

IN Lucam librum unum, *Vbi apparent plurimae segetes.*

IN Ioannem librum unum, *Aquila grandis magnarum alarum.*

SVPER Missus est librum unum.

SVPER Magnificat librum unum.

A LBERTVS Patavinus, Eremitanus, Aegidij Romani doctoris praestantissimi discipulus, tam sacris, quam prophanis literis exquisitè doctus, & in praedicationis munere celebratissimus, haec scripsit, uidelicet

B COMMENTARIORVM in Pentateuchum Scholastico more libros quinque; in condita sacrarum autoritatum farragine refertos.

IN quatuor Euangelia libros quatuor.

IN omnes Pauli epistolas libros quatuordecim.

QVADRAGESIMALIUM sermonum super 42. mansiones ex Exodo & quotidiana euangelia uolumen ingens. Vixit temporibus Alberti Imperatoris anno domini 1300.

A LBERTVS, Patriarcha Hierosolymitanus, uir sanctitatis & doctrinae admirandae, qui fratribus Carmelitibus, adhuc in terra sancta comorantibus, uinedi formam, regulamque dedit, iussu Innocentij Papae eius nominis tertij scripsit de situ & statu terrae sanctae non contemnendos commentarios. Claruit sub Henrico Imp. VI. anno domini 1190.

C ALBINVS Flaccus, cognomento Alcuinus, monachus, diaconus, & abbas monasterii S. Martini Turonensis, natione Anglicus, Bedae Presbyteri auditor, uir in omni scientiarum genere suo tempore celebratissimus, & Caroli Magni Augusti praceptor, scripsit in sacras literas infra scripta uolumina,

AD Sigulphum Presbyterum interpolatae expositionis ex patrum sententijs in Genesim breuem commentariolum, per interrogationem & responsum simplici & historica narratione dispositum: cuius initium est, *Dilectissimo in Christo fratri Sigulpho.*

IN quindecim Cantica graduum, hoc est a psalmo 119. usque ad 133. moralium annotationum breuem commentarium: qui incipit, *Gradius sunt*

IN septem psalmos poenitentiae iuxta sensum moralem succinctas argutas ac mire significantes annotationes: quarum initium, *Titulus psalmi.*

IN Ecclesiasten ad Oriam, & Candidum librum unum.

IN Canticum Canticorum librum unum.

IN Ioannis euangelium succinctae lucidaeque breuitatis commentariorum libros septem.

IN omnes Pauli epistolas libros quatuordecim.

IN Apocalypsin librum unum.

COLLEGIT etiam, & in ordinem redegit iussu Caroli Magni praestantissimorum ecclesiae doctorum homilias in euangelia, quae per anni ambitum publice in templis leguntur. sunt autem haec

Augustini 48.

Hieronymi 6.

Ambrosij 10.

Hilarij 1.

Fulgentij 2.

Origenis 4.

Maximi 17.

Chrysofomi 11.

Seueriani 1.

Q9 3 Leonis 21.

Leonis 21.

Gregorij 39.

Bedæ 48.

Isidori 1.

SUMMA omnium homiliarum 209.

CLARUIT sub Carolo Magno Aug. anno domini 770.

ALEXANDER, Episcopus Cappadociæ & martyr, uir sanctitate & sacrarum literarum eruditione eximius, inter alia ingenii sui monumenta reliquit commentarium in epistolam ad Galatas; ex quo Hieronymus nonnulla in suos commentarios super eandem epistolam deriuasse fatetur. septima autem persecutione sub Decio, quo tempore Babylas Antiochiæ passus est, ductus Cæsaream, & clausus in carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatur anno domini 255.

ALEXANDER, Cestriensis episcopus, scripsit Scholasticâ Postillam in omnes psalmos anno domini 1238.

ALEXANDER Villadeus, patria Dolensis, Franciscanus, poeta Leonini carminis, quod olim in precio fuit, facile princeps, cuius adhuc superest opus, DOCTRINALE inscriptum, pueris olim ad grammatica rudimenta capeffenda in ludis literariis usitatum, composuit in Acta Apost. Scholasticâ Postillam, Leoninis hexametris concinnatam, quæ incipit,

Si uis transacta Apostolica noscere facta,

Hæc tibi Postilla tractabit uersibus illa.

SCRIPSIT item ad commoditatem eorum, qui diuinorum uoluminum summam memoriæ mandare, ac retinere desiderant, breuissimum & arctissimum totius diuinæ scripturæ compendiolum, duodecim ac ducentis hexametris carminibus arctissime inclusum: in quibus dictiones singulæ singula sanctorum librorum capitula comprehendunt. quorum uersuum dictiones, ut planius intelligerentur, cuilibet earum numerum capituli in ipsa contenti inscripsit, subterpositis quoque nonnullis interlineariis minutioris characteris glossematibus, quæ cuiusque dictionis significatum in hunc modum indicarent:

Sex. Prohibet. Peccant. Abel. Enoch. Et arca fit. Intran.

1. dies. 2. lignum uitæ. 3. primi parentes. 4. occiditur. 5. transfertur. 6. a Nohe. 7. in arca.

CLARUIT sub Federico II. Imperatore anno domini 1240.

ALEXANDER, ex oppido Halensi, quod in insula Britannia est, Franciscanæ religionis professor, D. Bonauenturæ cardinalis præceptor, in gymnasio Parisiorum publicus theologiæ doctor, in Scholasticis artibus & in cognitione diuinarum scientiarum tantum nominis & gloriæ consecutus, ut ab eruditissimis sui temporis Fons uitæ appellari meruerit, præter illam nobilem theologiæ summam, quam, iubente Innocentio pontifice eius nominis quarto, conscripsit, utrumque sacrum testamentum uariis hinc inde annotationibus, ueluti stellulis, illustrauit. quod opus ipse POSTILLAM SUPER TOTAM BIBLIAM inscripsit. Claruit sub Friderico II. anno domini 1240.

ALEXANDER Néchân, Anglus, scripsit Postillam in Cantica Salomonis anno domini 1210.

ALFONSVS à Castro, Zamorensis, Hispanus, ordinis Minorum, acri ingenio uir, & hæreticorum hostis acerrimus, aduersus quos etiam plura uolumina conscripsit, nonnullos psalmos exposuit, particulariter autem edidit in psalmum 31. librum unum, itemque in psalmum 50. librum unum, anno domini 1546.

ALFONSVS Martinez, Bethicus, ordinis Prædicatorum, censuram edidit Bibliorum sub nomine sanctæ in hæreticos Inquisitionis anno domini 1558.

ALFON-

ALFONSVS Toftatus, episcopus Abulensis, natione Hispanus, ex oppido Madrigal, uir inter omnes Scholasticæ theologiæ professores in gymnasio Salamanticæ urbis suo tempore eruditissimus, in diuinis scripturis longa & continua exercitatione peritissimus, & in assiduis uigiliis, & grauissimis legendi, docendi, scribendiq; laboribus indefessus, ac propè adamantinus, elaborauit in utroque testamentum immensæ magnitudinis uolumina: in quibus post simplicem & historicam literæ expositionem, quam solam profecutus est, tot tantosque Scholasticarum disputationum cumulos coaceruauit, ut crebrò in unius tantum uel breuis capituli explanatione supra centum & septuaginta Scholasticas quaestiones, uariis eiusdem capituli sententiis respondentibus, artulerit, nouam semper ac diuersam super unaquaque uel minima diuinæ scripturæ particula difficultatem inquirens. Quantæ uerò molis fuerint olim horum uoluminum sarcinæ, indicio sunt ipsius in Matthæum commentarij: quos cum Petrus Ximenes, Hispanus, episcopus Cauriensis, auditor ac discipulus eius, conatus fuerit redigere in paruum compendium, quod quintam tantum partem horum commentariorum contineret; non potuit tamen ita eos coarctare, quin à se abbreviatum opus adhuc ingens & uastum remanserit. complectitur enim mille ac uiginti paginas amplissimi folij, quod Regium appellant, minutis strictisque characteribus excusas. Cætera quoque eius commentaria, consimili studio à diuersis scriptoribus abbreviata, pluribus magnisque tomis extenduntur. de quibus hæc sola ad notitiam meam peruenerunt,

IN quinque Mosis uolumina libri quinque, *Aliissimum enim negotium est.*

IN Iosueliber unus, *Sacrarum scripturarum.*

IN Iudicum liber unus, *Hunc librum quem nos.*

IN Ruth liber unus, *Hic incipit liber Ruth.*

IN Regum libri quatuor, *Temporalium euentuum.*

IN Paralipomenon libri duo, *Magno iam decurso.*

IN Matthæum libri uiginti quinque, *Veteribus magna ex parte explicitis.*

CLARUIT temporibus concilij Basileensis & Eugenij Papæ IIII. anno domini 1440.

FRANCISCVS Fontanus, oppido Erena in Hispania natus, canonicus Complutensis, Indicem edidit in omnia prædicta opera, duobus grandibus uoluminibus contentum: quo singula, quæ siue ad scripturam sacram, siue ad uariam hominis eruditionem pertinerent, laboriosissime complexus est.

ALOYSIUS Lippomanus, Venerus, Methonæ primum ac postea Veronæ episcopus, à pueritia omnibus optimis artibus instructus, & per omnem uitam in assiduam tam Græcorum, quam Latinorum ecclesiæ doctorum lectione uersatus, inter multos infatigabilis ingenij sui labores collegit in totum librum Geneleos ingens locupletissimumque explanationum uolumen: in quo æmulatus D. Thomæ Aquinatis studium, contexit ad commoditatem eorum, quibus nec ocium, nec facultas est innumera & immensa patrum uolumina reuoluere, Catenam expositionum libri Geneleos ex autoribus tam latinis quam græcis, tam antiquis quam recentioribus, sibi inuicem secundum temporum seriem succedentibus, interiectis etiã de suo non spernendis annotationibus: digessit autem totius operis farraginem ordine decentissimo in hunc modum. Primo præposuit explanationes patrum, quæ ad intelligendos obscuros literæ sensus conducunt, allatis in medium hebraicis græcisque exemplaribus, unã cum chaldaica editione. deinde sub unius mysticæ explanationis nomine collegit quæcunque pertinent ad reliquos tres diuinæ scripturæ sensus, Allegoricum uidelicet, Tropologicum, & Anagogicum; omisis tamen longis illis digressionibus, quibus patres uel ad rerum difficultum disputationem, uel ad morum instructionem euagari solent; ne uolumen, in immensum excrescens, lectoribus fastidium parerët. citauit etiã ubique non solum nomina autorum, ex quibus sententias & uerba expositionis collegit, sed & libros quoque, & librorum capitula singula fidelissimè recensuit, quibusdam exceptis: quorum sententias desumpsit ex Cætena græca bibliotheca Vaticanæ, in qua, prætermisis librorum titulis, tantum uerborum

rum autorum dicta, præpositis eorum nominibus, leguntur. Eundem quoque laborem in librum Exodi feliciter absoluit, pollicitus itidem se in uniuersam diuinam scripturam consimili studio elaboraturum. Claruit sub Carlo V. Augusto in concilio Tridentino illustris: moriturq; sub Ferdinando Imp. I. anno domini 1559. operis initium est, *Glossa: Autor huius libri Moyses.* nomina uerò autorum, quorum expositiones in ipso habentur, hæc sunt.

G R A E C I.

Philo Iudæus,
Melito episc. Sardenfis,
Apollinaris episc. Hieropoleos,
Irenæus,
Origenes,
Hippolytus Romæ,
Theodorus,
Eusebius Cæsariensis episc.
Eusebius Emesenus episc.
Eustathius Antiochenus episc.
Acacius,
Serapion,
Didymus,
Philo episcopus,
Apollinaris Laodicensis,
Efreem,
Basilus,
Gregorius Nazianzenus,
Gregorius Nyssenus,
Isidorus Pelusiota,
Epiphanius,
Diodorus,
Theophilus episc. Alexandrinus,
Theodorus Mopsuestia,
Ioan. Chrysofomus,
Ioan. Casianus,
Ioan. Damascenus,
Seuerianus Gabalorum,
Cyrillus,
Theodoretus,
Gennadius,
Isidorus Abbas,
Græcus incertus autor,
Glossa Græca.

Quæ uerò in Catena Exodi habentur doctorum expositiones & nomina, hæc sunt:

G R A E C I.

Dionysius Areopagita,
Irenæus episc. Lugdunensis,
Antonius Abbas,
Athanafius,
Irenæus Antiochenus,
Euthymius Zigabenus,
Dionysius alter,
Seuerus Antiochenus episc.
Seuerus alter,
Oecumenius,
Sexta synodus.

L A T I N I.

Cyprianus,
Maximus episc. Taurinensis,
Ezechius,
Gilbertus,
Xystus Papa,
Gillebertus Hollandus,
Guerricus abbas
Igniacensis.
ALREDVS

L A T I N I.

Zeno episcopus Veronensis,
Hilarius,
Ambrosius,
Hieronymus,
Augustinus,
Eucherius,
Leo Papa,
Prosper Aquitanus,
Gregorius Papa I.
Isidorus Ispalensis episc.
Iunilius,
Beda,
Strabus,
Albinus, qui & Alcuinus,
Rabanus,
Nicolaus Papa,
Bernardus,
Hugo Victorinus,
Rupertus Tuitiensis,
Gratianus,
Magister Sententiarum,
Bonauentura,
Thomas Aquinas,
Glossa ordinaria,
Glossa Interlinearis,
Caietanus,
Autor Catena.

A LREDVS Rieuallis, Anglus, monachus Cisterciensis, scripsit in 13. caput Esaia super *Onus Babylonis*, homilias latinas tres ac triginta anno domini 1164.

A LVARVS Gomes, Hispanus, uir non indoctus, Prouerbia Salomonis carminibus descripsit.

A MBROSIVS Alexandrinus, Didymi Alexandrini auditor & discipulus, cuius sunt libri aduersus Apollinarium, sub Theodosio Augusto anno 400. commentarios ualde probandos edidit in librum Iob.

A MBROSIVS Amsbertus, monachus & presbyter ordinis Benedictini, uir in diuinis literis exquisitè doctus, & oratione elegans & suauis, scripsit sub Arnaldo Augusto explanationis in Psalterium librum unum, in Canticum Cantorum librum unum, in Apocalipsin libros decem, Colonia excusos anno 1536. Claruit sub Arnaldo Imp. anno domini.

B **A** MBROSIVS Catharinus Politus, Minorensis primùm episcopus, & postea Compæ archiepiscopus, natione Hetruscus, patria Senensis, conciuus meus, & mihi primus in diuinis scripturis præceptor, uir ingenij uiribus ualens, disciplinarum opibus excellens, & eloquij tam Hetrusci, quàm Latini facundia præpotens, relicto publico iuris Cæsarei gymnasio, in quo inter multos illustres doctrinæ suæ auditores Iulium quoque tertium pontificem maximum discipulum habuit, Christo se dedicauit, sacrum diui Dominici ordinem ingressus: in quo dies noctesque in diuinis sacrarum literarum studiis summa cum uitæ sanctitate perseuerans, & aduersus omnes hæreses nostri temporis tanquam in stadio fortissimè dimicans, à Iulio pontifice ad episcopatus curam euectus est, & ad onus cardinalatus, quod ei mors præripuit, destinatus. hic itaque inter multa nobilissima opera, quæ in scripturas sanctas iam senex maxima elaborauit industria, reliquit nobis eruditissima in omnes diui Pauli epistolas commentaria: in quibus illud ei potissimùm curæ fuit, ut uerum Apostoli sensum pro uiribus explanaret, ac simul ostenderet nullū magis cū nostræ ætatis hereticis pugnare, quàm Paulum, quem illi suarum hæresum propugnatorem impudentissimè faciunt. qua occasione permotus multas, difficiles, & arduas nostræ religionis difficultates, ex sententia Pauli nascentes, disseruit. inter alias uerò opinionem illam de massa perditionis absque ulla operū consideratione, ex solo Dei beneplacito in suis sempiternis miseris derelicta, magna multorum argumentorum mole opprimere conatur; sicut sexto uolumine in censuris super epistolis Pauli fusius explicabimus. Opus incipit, *Ad sanctissimum dom. nostrum Iulium III. Pont. Max. Quod tam multa cum ueterum & c.*

SCRIPSIIT item in omnes catholicas epistolas breuiore commentarios, quorum initium est, *Temporis corruptissimi.*

IN prima quinque Geneleos capita explanationis ad literam dilucidos & eruditos commentarios.

D IN Apocalipsin ad literam librum unum.

DE autoribus & autoritate librorum sacræ scripturæ librum unum.

MORITVR anno domini 1552.

A MBROSIVS, Episcopus Mediolanensis, patria Romanus, Liguriæ & Insubriæ primùm præses, deinde uerò Mediolanensis ecclesiæ pontificatum diuinitus adeptus, ea inter sui temporis episcopos fidei stabilitate, morum integritate, & eruditionis admiratione excelluit, ut imperator Theodosius, uirtutum illius celsitudine commotus, publicè in summo templo Constantinopolitanæ urbis exclamauerit, *Αμβρόσιον οὐδὲ μόνον ἐπίσκοπον ἀλλὰ καὶ θεμέριον.* hoc est, *Ambrosium noui unum, qui solus dignè uocetur episcopus.* Huius tantam fuisse Christianæ doctrinæ auctoritatem scribit Augustinus, ut nec ab inimicis quidem in eius scriptis, quod reprehenderetur, potuerit inueniri. Explicauit autem omnes ferè diuinas scripturas summa cum laude, sequens in eo labore Philonem Iudæum, Hippolytum, Apollinarium utrunque, Eusebium, & Basilium, sed maximè Origenem; cuius sermonibus, ut Hieronymus in epistola ad Pammachium & Marcellam testatur, omnes penè eius

libri pleni sunt. unde & longè melior, sicut ipse Ambrosius de Origene dixit, in ueteri, quàm in nouo testamento, apparet. Est autem genus expositionis eius uarium, sed mysticis præcipuè sensibus insistens; sic tamen, ut interdum literæ sensus non negligatur omnino. Dicendi genus, prout rerum uarietas exposulare uideatur, uarium est, sed ubiq; lucidum ac perspicuum eloquentiæ flumen effundens, ut ait Augustinus: qui etiam in quarto De doctrina Christiana uolumine profert ex operibus Ambrosii pulcherrima quædam exempla triplicis Ambrosianæ elocutionis, hoc est summissæ, temperatæ, & grandis; ex quibus ostendit eum de humilibus summissè, de mediocribus temperatè, de magnis sublimiter pro rerum diuersitate ac dignitate dixisse. Adamauit tamen peculiari ac naturali quodam affectu grauem & argutam breuium sententiarum copiam, delectatus mirum in modum oratione, commatis & colis interdum numerosis distincta, & flosculis picturata. Cæterum ipsius scripta, ad diuinæ scripturæ expositionem pertinentia, in quatuor discernuntur ordines, nimirum in Libros, Commentarios, Tractatus, & Epistolas. In libris, in quibus crebrò Thematicæ expositionis methodum ad imitationem Philonis amplectitur, prætermissa continuitate historici contextus, interruptum explanationis ordinem sequitur, & historiarum capita summatim perfringens, uariis separatisq; diuersorum argumentorum, & titulorum uoluminibus eadem explicat. quorum numerus, argumenta, & inscriptiones hæc sunt:

IN Geneseos primum caput, Hexaemeron, uel De sex dierum opificio libri, siue sermones ad populum sex. de quibus Hieronymus, ad Pammachium & Oceanum scribens, ait: NOSTER sanctus Ambrosius sic Origenis Hexaemeron compilauit, ut magis Hippolyti sententias, Basiliiq; sequeretur. Quam Hieronymi sententiam apertè comprobatur eadem Ambrosii expositio: quæ sanè nihil aliud est, quàm id ipsum Basilij Hexaemeron latinè uersum ubique sententiis ac uerbis, transposito tamen linearum ac sententiarum quarundam ordine, atque additis uel ex Hippolyto, & Origene, uel ex alio quopiam, uel de suo fortasse nonnullis digressiunculis. In quo opere uertendo & imitando tam diligens fuit Ambrosius, ut ne artificiosum quendam memoriæ lapsum prætermiserit, quem Basilijus homilia octaua Hexaemeron satis rhetoricè simulauerat, fingens se in media concione memoriæ destitutum. Hos sermones nescio quis primus in libros transformauerit, & in multa capitula dissectuerit, (nam & Beda in opusculo de temporibus, & Iunilius in præfatione Hexaemeron eos sub librorum nomine citant) cum tamen libri non sint, sed sermones ad populum habiti, & ab auditoribus excepti. quod & eorum inscriptiones in uetustissimis codicibus indicant, & præfatiunculæ ipsæ demonstrant, ad præparandos auditorum animos instructæ, item perorationes in doxologiis desinentes, contra Ambrosii consuetudinem, qui nullum ex libris suis sic finire consueuit. sed & ea uerba, quæ habentur circa medium quinti sermonis, siue libri quinti, capite duodecimo, euidentius arguunt Ambrosium hæc pro concione dixisse, & inter dicendum, simulato memoriæ lapsu, parumper de industria conticuisse, ad imitationem scilicet Basilij Magni, qui in enarratione eiusdem loci se memoria destitutum artificiosè fluxerat. nam id annotans Notarius, qui tum dicta loquentis excipiebat, interrupto cursu scripturæ hanc clausulam de suo inserit, inquiens: *Et cum hic paululum conticuisset, iterum sermonem adorsus, ait: FUGERAT NOS FRATRES DILECTISSIMI NECESSARIA DE NATURA RERVM DISPUTATIO, ET SERMO HUIUSMODI NOBIS CVM IPSIS AVIBVS EVOLAUERAT ET C.* quæ uerba primus ille horum sermonum transformator, reclamantibus passim uetustis exemplaribus, ipsaq; rei sententia reluctantè, ad ipsam Ambrosii personam satis ineptè accommodauit in hunc modum: *Et cum hic paululum conticuissem; iterum sermonem adorsus, aio, FUGERAT NOS ET C.*

HABETVR etiam in idem primum Geneseos caput De dignitate humana liber unus, enarrans locum illum, *Faciamus hominem*, simulq; explicans dignitatem humanæ conditionis tum ratione imaginis, tum ratione similitudinis.

IN GENESEOS caput secundum & tertium De Paradiso liber unus: in quo uestigatur,

A uestigatur, quid sit Paradisus, ubi sit, qualisue sit; atque de his, quæ in eo primis parentibus contigerunt, eleganter, sed allegoricè potissimum diseritur, desumptis ex libro Allegoriarum Philonis Iudæi pulcherrimis quibusdam allegoriis.

IN Gen. caput quartum De Caino & Abele libri duo: in quibus iuxta mysticam intelligentiam exponit ortum, uitam, mores, & cultum duorum fratrum, quos Moses præfati capite descripsit. mutuatus est & hic nonnulla ex libro Philonis Iudæi, qui De sacrificiis Cain & Abel inscribitur.

IN Gen. caput quintum usque ad undecimum De Nohe & Arca liber unus: in quo sancti uiri Nohe uitam, mores, gesta, altitudinem quoque mentis, ac temporum eius euentus enarrat, exponens allegorico sensu historiam fermè sex capitum, uidelicet à fine quinti capituli usque ad finem decimi.

IN Gen. caput 12. usque ad 18. De Abraham Patriarcha libri duo, quos ad imitationem Xenophontis, atque Philonis composuit. nam Xenophon, Platonis condiscipulus, & Socratis auditor, in eo libro, quem *Κυβιστραδία* inscripsit, sub conficta Cyri Persarum regis persona, iusti ac sapientis regis disciplinam ex intimo philosophiæ sinu descripsit. hunc æmulatus Philo Iudæus, scripsit librum de Abraham Patriarcha, ostendens eum fuisse imaginem & exemplar uiri sapientis per contemplationem perfecti, unde omnis sapientis uitæ institutio petenda esset. utrunque secutus est Ambrosius duobus his libris; in quibus sub narratione totius uitæ, ac gestorum Abrahæ exprimit nobis uiri moralis, uereq; actiui simulacrum. Continent autem hæc duo uolumina historiam Geneseos ab initio duodecimi capituli usque ad dimidium capituli 18.

IN Gen. caput 21. De Isaac, & anima libri duo: in quorum priore, accepta occasione ex his, quæ de natiuitate Isaac & desponsatione eius cum Rebecca capite 21. & 24. referuntur, diseritur iuxta allegoricam & anagogicam intelligentiam de amore inter Christum sponsum præfiguratum in Isaac; & animam sponsam in Rebecca designatam. in secundo libro occasione eorum, quæ de anima in superiore libro prædixerat, tractat de bono mortis, quæ animam sponso suo Christo in sempiternum uicturam coniungit.

IN Gen. caput 27. usque ad 35. De Iacob, & uita beata libri duo: in quibus breuiter percurrrens narrationem Moyse, nouem capitibus diffusam, ostendit sapientis beatitudinem in summis uitæ periculis non solum non amitti, sed etiam acquiri posse, exemplo beati Iacob, cui, in exilio, persecutione, & seruitute uiuenti, nihil eorum defuit, quæ ad rationem beatitudinis spectant.

IN Gen. caput 37. usque ad 49. De Ioseph Patriarcha liber unus: quo uniuersam historiam Ioseph, duodecim capitibus à Moyse comprehensam, allegorica & anagogica explanatione diserens, proponit nobis in Ioseph multarum uirtutum, sed præcipuè castitatis exemplum.

IN Gen. caput 49. De benedictionibus patriarcharum liber unus, continens mysticam explanationem benedictionis Iacob erga filios suos.

D SCRIPSIT etiam, præter hos libros, in uarios Geneseos locos epistolas tres, PRIMAM ad Horontianum De diuisione operum sex dierum, quæ incipit, *Diuisionem.*

SECUNDAM ad eundem De homine post bestias producto, quæ incipit, *Móueri te.*

TERTIAM De Paradiso ad Sabinum, quæ incipit, *Leſto Hexaemero.*

ITEM in Exodi octauum caput, De his, quæ Aegyptij abominantur, ad Ireneum epistolam unam.

IN Exodi 24. De sanguine uictimæ bifariam diuiso, ad Simplicianum epistolam unam.

IN Exod. 30. De significatione Didragmatis, ad Iustum epist. 1.

IN Exod. 32. De Vitulo aureo; ad Romulum epist. 1.

IN Leuit. 10. De Mose, consilium Aaronis approbante, ad Simplicianum epist. 1.

- IN Num. 23. De uerbis Dei ad Balaam, ad Chromatium epist. 1. **A**
 IN Deut. 28. De cælo aëneo, & terra ferrea, ad Romulum epist. 1.
 IN Deut. 32. De Muliere, uirili ueste non induenda, ad Irenæum epist. 1.
 IN 2. Regum cap. 21. De Apologia Dauidis librum unum, adulterium Dauidis piè excusantem, & psalmum quinquagesimum pulcherrimè exponentem.
 IN 3. Reg. 21. De Nabuthe librū unum aduersus iniustam Nabuthis cædem, & inexplebilem auaritiā eiusdem cædis causam.
 IN Tobix historiam aduersus sceneratores librum unum.
 IN Iob De interpellatione libri tres, continentes expositionem interpellationum, & querelarum, quibus Iob toto passim uolumine Deum interpellat.
 IN Psalterium libros undecim citat Tritemius, nec ipsi, nec mihi conspectos. supersunt nunc in sexdecim psalmos Tractatus sexdecim, singuli in singulos psalmos, uidelicet in primum, 21. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. 49. 61. 109. **B**
 ITEM in psalmum 118. Tractatus 22.
 IN Proverbiorum 30. caput De tribus problematibus, scitu difficillimis, librum unum, DE SALOMONE prænotatum.
 IN Esaiam commentariorum librum unum, à B. Augustino in secundo libro aduersus Iulianum, & in quarto libro contra duas epistolas Pelagianorum citatum.
 IN Ieremiæ 17. De Perdice clamante, ad Irenæum epist. 1.
 IN illud Mich. 5. *Et tu Bethlehem terra Iuda,* ad Horontianum epist. 1.
 ATQVE hæ sunt, quæ in uetus testamentum habemus Ambrosij lucubrationes: quæ uerò in nouum extant, hæ sunt:
 Ex uariis Matthæi locis sermones octo, hoc est,
 IN Matthæi caput 4. De Christi ieiunio, sermo unus. **C**
 IN Matth. 7. De Margarita, sermo 1.
 IN Matth. 8. De Vulpibus, foueas habentibus, sermo 1.
 IN Matth. 14. De Petro, ambulante super aquas, sermo 1.
 IN Matth. 18. De eo, qui maior sit in regno cælorum, sermo 1.
 IN Matth. 19. De Camelo, per foramen acus transeunte, sermo 1.
 IN Matth. 22. De reddendis, quæ sunt Cæsaris Cæsari, sermo 1.
 IN Matth. 27. De Iuda proditore sermo 1.
 IN Marcum commentariorum uolumen, temporum culpa deperditum; ex quo Beda multa se decerpisse testatur.
 IN Lucæ euangelium commentariorum interruptæ expositionis libri XI. iuxta mysticam intelligentiam succinctè digesti: de quibus Rufinus innectiuarum libro 2. refert Hieronymum in præfatione homiliarum Origenis in Lucam; & in epistola quadam, cuius ipse apud se haberet exemplar, scripsisse autorem horum commentariorum ludere in uerbis, & dormire in sensibus. quod ego crediderim magis à Rufino in odium Hieronymi confictum, quàm ab Hieronymo tale prolatum esse iudicium de eruditis, & eruditissimi uiri commentariis: de quibus Acca, episcopus Cantabrigiensis, in epistola ad Bedam Venerabilem presbyterum scribit in hunc modum: SUNT quædam in expositione beati Ambrosij in Lucam tam diferta simul & excelsa, (quod tuam quoque sanctitatem uidisse non ambigo) ut à doctioribus solum intelligi queant; à rudibus uerò, fastidiosius ue lectoribus (quales in præfati auro plures inuenies) præ difficultate assequendi ea, quæ diferta sunt, uel capiendi, quæ alta, ne querenda quidem quasi celsiora, nec quasi se fortiora putentur esse scrutanda. nec parum dedit iudicij doctissimus pater Augustinus, qui ad Paulinam, Dei famulam, de uidendo Deo scribens, non aliis magis, quàm ex hoc opere sumptis beati Ambrosij testimoniis utendum putauit, & ea pariter non solum ponenda simpliciter, sed etiam exponenda iudicauit; adeò ut ex paucissimis memorati tractatoris sententiis non paruum uolumen

- A** uolumen retractando confecerit. quædam tamen S. Ambrosius in hoc opere indiffusa præterit, quæ illi, quasi summæ eruditionis uiro, plana, nec quæsitū digna uidebantur. Hactenus Acca. Apparet hoc opus ab ipso autore non fuisse diuisum in libros, sed perpetua continuationis serie exaratum. nam Augustinus, qui plurimis ubique ex hoc uolumine testimoniis utitur, & præsertim in libris aduersus Pelagianos, nusquam libri alicuius numerum citat. constat tamen antiquam esse hanc, quam nunc habemus, operis in libros diuisionem ex sexta synodo Constantinopolitana; in cuius decima actione producitur Ambrosij autoritas, nominatim ex sexto libro commentariorum in Lucam citata.
 SUPERSUNT etiam post hos commentarios in idem euangelium sermones septem, uidelicet
 IN Lucæ caput sextum De curatione manus aridæ sermo unus.
 IN Luc. 12. De homine, cuius ager fructus uberes tulit, sermo unus, ex D.
B Basilij in eundem locum orationem penè ad uerbum translatus.
 IN Luc. 13. De grano sinapis sermo 1.
 IN idem caput De fermento sermo 1.
 IN Luc. 17. De fulgure, ab oriente in occidentem emicante, sermo 1.
 IN Luc. 23. De latrone sermo 1.
 DE negatione Petri sermo 1.
 DE sepultura domini sermo 1.
 IN Ioannis 4. De Samaritana sermo unus.
 IN Ioannis 9. De cæco nato ad Bellicium epistola una.
 IN Ioannis 19. De Christo accusato ad Pilatum, sermo unus.
 IN illud Ioannis 20. *Noli me tangere,* sermo unus.
 IN omnes Pauli epistolas libri 14. breues quidem in uerbis, sed sententiarum pondere graues.
C FERUNTUR quoque sub Ambrosij nomine in Apocalypsin commentaria, nuper Lutetiæ impressa: sed præterquam quòd styli diuersitas manifestè reclarat, multæ sunt etiam toto opere inperfa Grægorij sententiæ, quæ opus ostendunt non esse Ambrosij; & autor ipse in explanatione capituli 17. aperte fatetur, se scripsisse post Romanum imperium, à Longobardis occupatum. quod plusquam ducentis annis post Ambrosium contigit. Opus incipit, *Beatum Ioannem Apostolum.*
 CLARUIT Ambrosius sub Theodosio Magno circa annum domini 380. cuius uitam Paulinus, Nolæ episcopus, descripsit.
AMMONIVS Alexandrinus, Origenis Adamantij in philosophia præceptor, uir disertus, & in sæcularibus disciplinis eruditissimus, temporibus Alexandri Seueri Imp. clarus, inter multa ingenij sui monumenta etiam de consonantia Mosis, & IESV elegans opus composuit: in quo omnia loca ueteris & nouæ legis inter se conformia collegit. uolumen quoque confecit, quod HARMONIAM EVANGELICAM, seu MONOTESSARON, hoc est Vnum ex quatuor, attitulauit: in quo ueluti quadam catena ex quatuor incompletis euangeliorum historiis unam integram perfectamque contexit historiam; cuius initium est, *In principio erat uerbum.* Hunc falso accusat Porphyrius in tertio libro aduersus Christianos, quòd ex Christiano Ethnicus fuerit; cum constet eum usque ad extremam uitam Christianum perseuerasse. Eundem Volateranus libro 13. Antropologia refert ex Suida, asinum, animalium omnium stupidissimum, habuisse doctrinæ auditorem. Claruit sub Alexandro Mameæ anno domini 220.
AMPHILOCHIVS, Iconij episcopus, qui Hieronymo librum à se editum de spiritu sancto legit, temporibus Theodosij Imp. hoc est anno domini 390. scripsit plures eruditas ac difertas homilias; ex quibus apud Theodoretum in Dialogis Polymorphi hæc citatas inueni:
 IN illud Matth. 26. *Transat à me calix iste,* homiliam unam.
 IN peccatricem, quæ domini pedes unxit, & Phariseum, ex Luc. 7. hom. 1.
 IN illud Ioan. 5. *Non potest filius à se ipso facere quicquam,* hom. 1.
 Rr 3 In

IN illud Ioan. 14. *Pater maior me est*, hom. 1.

IN illud, *Qui sermonem meum audit, & credit ei*, hom. 1.

ANASTASIVS, Antiochiæ episcopus, propterea quod in Sinai monte philosophatus sit, & sensum ibi carnis domuerit, SINAITAE cognomen adeptus, lucubrationes multas reliquit; è quibus Nicephorus refert se legisse librum eruditum in psalmum sextum, quem in ingressu ieiuniorum edidit. Claruit sub Mauritio Augusto, mox sub Phoca Imperatore in Antiochena urbe obtruncatus à Iudæis: qui, excitata seditione aduersus Christianos, beatissimum hunc episcopum, e throno suo deturbatum, funeque pedibus alligato, per urbem trahentem, fœda mortè affecerunt. pudendas nanque naturæ partes, inter trahendum ense excisas, in os eius iniecerunt: postea uerò illum perinde, atque holocaustum quoddam, igni tradidere, uirum sapientia & uirtute præclarum, anno domini 600. Eius opera græca Romæ in bibliotheca Palatina seruantur.

ANASTASIVS, Antiochiæ episcopus, Anastasii Sinaitæ in episcopatu successor, uita & doctrina uenerandus, edidit in Hexaemeron duodecim græcos sermones, uenustissimis allegoriis ornatos, qui in florentissima Venetiarum academia seruantur. Claruit anno domini 610.

ANDREAS Bilius, Mediolanensis, ordinis Eremitarum, philosophus & theologus, græcè ac latine doctus, reliquit in Hexaemeron insignem commentarium; qui unâ cum aliis eruditissimis eius operibus nondum impressis in bibliotheca Marciana Mediolani habetur. Claruit sub Sigismundo Imperatore anno domini 1434.

ANDREAS, Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ, natione Græcus, elaborauit græco eloquio in Apocalypsin opus insigne: quod in 24. partes, seu conciones, & has in 72. capita aptissime diuisit. numerus enim 24. ter repetitus, producit 72. Cæterum numerum 24. assumpsit propter 24. seniores, qui in Apocalypsi nominantur: qui signum sunt eorum, qui Deo bene placuerunt ab initio sæculi usque ad consummationem. Triplicauit uerò hunc numerum in capitalibus non inconsideratè, sed propterea, quia hi, qui Deo placuerunt, tripartitam habuerunt hypostasim, nempe animam, corpus, & spiritum ad delineandam appropriationem omnipotentis trinitatis. Claruit, ut arbitror, ante annos mille.

ANDREAS, Cretæ episcopus, complures scripsit græcos sermones: de quibus celebris est in Lazarum quadriduani sermo.

ANDREAS, Hierosolymitanus episcopus, scripsit græco sermone in annunciationem Deiparæ uirginis, ac salutationem ex Lucæ capite primo luculentissimam orationem; quæ incipit, *Adest hodie gaudium omnium*.

ANDREAS Gallus, ordinis Prædicatorum, scripsit in quatuor libros Regum scholasticam Postillam: cuius auctoritatem Lyranus in decimo capite primi Regum in medium allatam refellit.

ANDREAS Placus scripsit difficiliorum tam græcorum, quam hebræorum, cæterarumque peregrinarum dictionum, quæ in sacris literis habentur, interpretationem, siue dictionarium.

ANGELOMVS, Monachus Luxouiensis, ordinis sancti Benedicti, uir in diuinis scripturis nobile sortitus ingenium, iussu Drogonis, episcopi Mentensis, & Caroli Magni Imper. filij, collegit ex commentariis ueterum patrum pium & eruditum opus, uidelicet in quatuor libros Regum Stromaton libros 4. cuius initium est, *Viginti duos*. item ad Lotharium Imper. Ludouici Imper. filium Stromaticam explanationem in Cantica eiusdem generis, cuius initium est, *Prius, quam Augustale decus*. Claruit anno domini 830.

ANSELMVS Laudunensis, Gallus, cognomento Scholasticus, in diuinis scripturis & sacrorum doctorum uoluminibus ingi studio eruditus, & in omnibus disciplinis non mediocriter instructus, ingenio acutus, eloquio pressus, & Laconica cuiusdam breuitatis imitator, nouo & inusitato explanationis modo utriusque testamenti libros ex breuissimis quibusdam patrum annotationibus exposuit: quas

quas, minutissimis characteribus descriptas, inter ipsas scripturarum lineas, maioribus literis exaratas, non minus curiosa, quam utili industria, artificiosissime cooperatauit; eumque laborem ad differentiam Glossæ Strabensis, quæ in marginibus sacrorum codicum describi solet, Glossam interlinearem appellauit. Claruit sub Henrico III. Imp. anno domini 1110.

ANSELMVS Cantuariensis, in Anglia episcopus, abbas quondam monasterij Becensis, ord. Benedictini, Lanfranci archiepisc. Cantuariensis discipulus, uir tam diuinis, quam humanis disciplinis nobiliter excultus, stylo mirè simplici & puro, sed non iniocundo, inter alia monumenta sua reliquit infra scripta uolumina,

IN Heptateuchum, hoc est, in priora septem diuinæ scripturæ uolumina libros septem.

IN Hexaemeron librum unum, à Tritemio citatum.

IN Canticum Canticorum librum unum, qui incipit, *In initijs librorum causæ dicendæ sunt*.

IN uarios euangeliorum locos homilias plurimas.

IN Paulum Apostolum commentarios, quorum initium est, *De epistolis Pauli Apostoli adiuuante domino locuturi*. hos in uetustis exemplaribus Herueo Monacho inscriptos inuenimus.

CLARUIT sub Henrico Imper. III. anno domini 1080. Eius uitam Eadmerus Anglus monachus conscripsit.

ANSELMVS, Episcopus Lucensis, uir morum sanctitate, & diuinarum atque humanarum rerum eruditione præcipuus, Gregorij Soanenensis Papæ VII. cooperator indefessus, & contra Gilbertum Antipapam ei ab Henrico III. Imper. per uim subordinatum propugnator acerrimus, edidit in omnes Dauidicos psalmos librum unum, & in Ieremiam prophetam explanationis librum alterum. Claruit sub Henrico III. anno domini 1080.

ANSELMVS, Mantuæ episcopus, sanctitate & eruditione clarus, hortante illustrissima fœmina Mathilde, Psalterium à principio libri usque ad uersiculum psalmi 117. *Benediximus uobis de domo domini*, breuiter ac dilucidè exposuit, Lamentationes etiam Ieremiæ consimili studio profecutus. Moritur anno domini millesimo octogesimo sexto, episcopatus sui anno tertio decimo, sepultus Mantuæ in templo D. Petri.

ANTIOCHVS, Episcopus urbis Ptolemaidis, uir ingenij rari, eruditionis, & eloquentiæ summæ, cui Anianus, uetustissimus Ioannis Chrysostomi interpres, plausibilem dicendi pompam ascribit, inter alia nobilis ingenij sui monumenta reliquit in caput Ioannis nonum De illuminatione cæci nati luculentissimam orationem, compunctione timoris Dei, & humilitate plenam. Claruit sub Theodosio, & Arcadio Augustis anno domini 390.

ANTIOCHVS Monachus, Græcus, in diuinis scripturis ualde eruditus, collegit insigne opus, in tres & sexaginta sermones distinctum, quod PANDECTAS prænotauit, comprehendens expositiones diuersorum præstantissimorum patrum in Decalogum, unâ cum reprobationibus omnium hæreseon, quæ aduersus Decalogum emerferunt. Hic quo tempore claruerit, nondum reperi.

ANTIPATER, Bostrensis episcopus, qui refutationem composuit apologeticæ, pro Origene ab Eusebio conscriptæ, edidit homilias plures; inter alias uerò super Matthæi capitulo nono de muliere, sanguinis fluore laborante, homiliam unam: cuius initium est, *Quod Iudaorum uocationem*. citatur in secunda synodo Nicæna, actione quarta.

ANTONINVS, Archiepisc. Florentinus, ex ordine Prædicatorum, multorum operum scriptor, confarcinauit in primum Lucæ caput de annunciatione, salutatione Angelica, & cantico Mariæ uastæ prolixitatis uolumen, scholastica methodo & stylo dispositum; ipsumque postea in fine postremæ partis summæ suæ collocauit. edidit item in historiam duorum discipulorum, euntium in Emmaus, Trialo-

Triologum: in quo, colloquentibus ad inuicem Christo in habitu uiatoris & Cleopa A
& Amaone, omnia uaticinia, oracula, atque præfagia declarantur, quæ de uita, & morte, ac resurrectione Christi in ueteri testamento scripta sunt. Opus incipit, *Incipiens à Moysè*. Claruit anno domini 1450.

ANTONIVS Betontinus, Minorita, collegit ex Nicolao Lyrensi postillam in omnes lectiones ueteris ac noui testamenti, quæ per totum annum recitantur, additis de suo non profus abiiciendis quæstiunculis.

ANTONIVS Bruichius à Konigstein, obseruantia regularis S. Francisci apud Nouiomagum guardianus, collegit breue euangeliorum Monotestaron, ex quatuor Euangelistis decentissimo ordine desumptum. idemque scripsit in quatuor euangelia libros quatuor enarrationum stylo ferè scholastico, sed aliquantulum cultiore. sed & in aliquot D. Pauli epistolas commentaria edidit, quorum initium est, *Euangelicum munus &c.* facturus id ipsum in reliquas omnes, si diutius uixisset. moritur enim ex laterum dolore anno domini 1541.

ANTONIVS de Ghislandis de Iaueno, Thaurinensis, Inquisitor hæreticæ prauitatis, ordinis Prædicatorum, scripsit opus quæstiuncularum decem milium super euangelia totius anni. eius initium est, *Reu. domino Ioanni Ludouico*. Claruit anno domini 1490.

ANTONIVS Gueuara, ex monacho Franciscano episcopus Mendonensis, Alauæ Hispaniæ urbe natus, Caroli V. Augusti concionator, & chronista, scripsit cultiore hispanica lingua in historiam dominicæ passionis, ex quatuor euangelis collectam, opus eruditissimum, cui MONTIS CALVARIÏ titulum fecit, tomis duobus diuisum. exarauit etiam in uarios diuinæ scripturæ locos uenustissima colloquia: quæ ob sermonis elegantiam, & argutam sententiarum grauitatem unâ cum cæteris eius opusculis Galli, Germani, Italiq; in suas quique linguas transtulerunt. Claruit anno domini 1540.

ANTONIVS Honcala, Hispanus, patria Languenfis, canonicus ecclesiæ C
Abulensis, piè doctus, elegantissima commentaria in Genesim emisit anno domini 1558.

ANTONIVS Marinarius, Carmelita, scripsit De consonantia Iesu Christi, & prophetarum libros tres, ad intelligenda uaticinia prophetarum non incommodos. Claruit anno domini 1541.

ANTONIVS Nebriffensis, ex Nebriffa, oppido nobili in Bethica, annotationes edidit in locos quosdam suboscuros tam ueteris, quam noui testamenti.

ANTONIVS Puccius, Florentinus, cardinalis titulo sanctorum quatuor coronatorum, maior pœnitentiarius, scripsit in uerba consecrationis, ex quatuor euangelistis desumpta, homilias 14. non minus eruditas, quam pias; quarum initium est, *Cum sit cuique natura tributum*. Claruit anno domini 1548.

ANTONIVS Rampegolus, Ianuensis, Eremitanus, professione scholasticus, scripsit ad iuuenes ordinis sui studentes in cœnobio Neapolitano super uariis ueteris testamenti locis rude opusculum; in quo omnes penè sacras historias trito eloquio moraliter exponens, singulas ad singulas morales uirtutes accommodauit. Inscriptio operis est FIGURÆ BIBLIÆ, initium autem, *Religiosis uiris in Christo*. Claruit in concilio Constantiensi aduersus Husitas hæreticos disputans, sub Sigismundo Imper. anno domini 1418.

APION, Græcæ facundia professor, & sacrarum literarum amator, sub Seuerio Imp. anno domini 200. conscripsit in Hexaemeron tractatus sex, eruditos quidem, sed in nonnullis à recta fidei regula aliquantulum recedentes.

APOLLINARIUS Antiquior, in Laodicensi Syria ecclesiæ presbyterij dignitatem adeptus, græcarum literarum doctus, & grammaticæ artis professor, genere fuit Alexandrinus. hic primùm Berythi docuit, deinde Laodiceam migravit; ibique, uxore ducta, filium Apollinarium habuit, eiusdem postea ecclesiæ episcopum: cum quo multis annis uixit, sacra communione interdictus à Theodoro Laodi-

A Laodicensi episcopo, & à Georgio eius successore, uel quòd cum his nollet conuenire, qui filium Dei Homiusion, & non Homouision docerent; uel quòd Epiphanio Sophista, cuius erat nomen Christianis suspectum, & episcopis odiosum, nimia familiaritate iunctus esset. Cum igitur Iulianus Apostata legem tulisset, qua Christianis omnes græcas disciplinas & institutiones uetabat, affirmans non decere eos ab his doctrinis utilitatem capere, quas ipsi pro fabulis traducerent, & quas inde petitis armis oppugnant: Apollinarius uniuersum ferè uetus ac nouum testamentum uariis carminum generibus elegantissimè reddidit; ut pueri, pro græcis disciplinis illa discerent, & græcæ linguæ, & carminum peritiam consequerentur. Feruntur autem sacra ipsius poemata nominatim fuisse talia:

AB exordio mundi usque ad regnum Saulis heroici carminis libri uiginti quatuor, singuli singulis uiginti quatuor alphabeti literis inscripti secundum Homericam consuetudinem.

B **A** MORTÈ Saulis usque ad finem ueteris testamenti uariarum historiarum libri uiginti, partim Lyrico metro ad formam Pindari, partim in morem comædiarum Menandri, & tragædiarum Euripidis elaborati.

ENCYCLICARVM lectionum, hoc est Earum, quæ per anni circulum ex utroque testamento in ecclesia leguntur, libri duo, omni carminum uarietate dispositi.

PARAPHRASEOS in Psalterium liber unus, quæ nuper hexametro uersu impressa sic incipit,

Ὁλβίος ἢ πεπορώται δυσσεβέων ἐνὶ βελῆ, hoc est.

Felix qui non adiit impiorum concilium

HIS poematibus usi sunt Christiani in locum Homeri, & aliorum poetarum, donec Iouinianus Augustus legem statueret, ut Christiani literis gentium imbuerentur, quòd facilius gentilium errores expugnant, aduersus ipsos ipsorum armis utentes. Sozomenus libro quinto historiæ de Apollinaris laboribus iudicium protulit in his uerbis: **A**POLLINARIUS paruo tempore lucubrationes composuit numero, uirtute, conscriptione, caractere, & dispositione antiquis græcis ualde pares; & nisi uetustatem homines honorarent, & quæ sunt in usu, grata crederent, (ut ego reor) æqua ueteribus Apollinaris opuscula decreuissent. Claruit anno domini 360.

APOLLINARIUS Junior, Laodicensis ecclesiæ in Syria diuinarum scripturarum lector, & postea episcopus, Apollinarij Senioris eiusdem ecclesiæ presbyteri filius, ab ineunte ætate oratoriis artibus, quarum postea professor fuit, nobilissimè imbutus est ab Epiphanio, clarissimo eius sæculi Sophista: ob cuius etiam intimam consuetudinem consortio fidelium dñi interdictus fuit à duobus ecclesiæ suæ prædecessoribus episcopis, Theodoro uidelicet, & Gregorio, sed cum Iulianus Imper. græcarum literarum studia Christianis inhiuisset; ille, relicto Epiphanio, se totum sacris literis addixit. in quibus cum & acumine ingenij, & assidua exercitatione breui tempore plurimum profecisset; euangelica primùm, & apostolica dogmata ad formam dialogorum iuxta Platonis exemplum apud græcos rededit, hac arte imperatoris astum eludens. deinde maiora aggressus, tantam edidit pro Christiana fide uoluminum multitudinem, ut rectè de eo D. Basilius dixerit, Apollinarium repleuisse libris suis uniuersum orbem terrarum. Hieronymus, eius in diuinis literis discipulus, testatur eum scripsisse in omnes ferè sanctos libros non aspernanda quidem commentaria, sed tanta breuitate perstricta, ut magis quasdam expositionum notulas, quam expositiones ipsas annotauerit. Sic enim, ait, exposuit omnia, ut uniuersa transcurrat, & punctis quibusdam, atque interuallis, immo compendiis, grandis uix spacia præteruollet; ut non tam commentarios, quam indices capitulorum collegisse uideatur. unde ob nimiam breuitatem, sensus magis tangentem, quam explicantem, lectorem ad perfectam intelligentiam ducere non potuit. quod & ipse agnoscentes, cum iam senior esset, rogantibus amicis commentarios dedit in aliquot prophetas aliquanto fusiores ab his, quos iuuenis in eisdem prophetas perstrinxerat.

Si Scripsit

SCRIPSIT quoque aduersus insanum Porphyrium libros triginta, cæteris eius operibus omnium iudicio superiores. inter quos grande uolumen, hoc est uiginti-
 seximum sextum librum composuit pro defensione libri Danielis: aduersus quem Porphyrius duodecimum librum de quindecim libris, contra sanctas Christianas scripturas à se editis, conscripsit. Secutus est autem in expositionibus suis aliquando Symmachi uersionem, aliquando uerò editionem quandam ex omnibus editionibus à se ipso conflatam: de qua Hieronymus in secundo contra Rufinum libro, APOLLINARIUS, inquit, bono quidem animo, sed non secundum scientiam de omnium translationibus in unum uestimentum pannos assuere conatus est, & consequentiam scripturæ non ex regula ueritatis, sed ex suo iudicio texere. & iterum in commentariis duodecimi capituli Ecclesiasticis, LAODICEVS, ait, Symmachi interpretationem secutus, nec Indæis placere potest, nec Christianis, dum & ab Hebræis procul est, & Septuaginta interpretationem sequi dedignatur. Accusatus est etiam Apollinarius à multis non contēnendi nominis scriptoribus, quòd in errore fuerit Millenariorum, quòd in trinitate introduxerit magnum, maius, maximum, spiritum scilicet appellans magnum, filium maiorem, patrem uerò maximum. item quòd de Christi incarnatione non rectè senserit, existimans eum carnem attulisse de cælo, & rationali anima caruisse, sup-
 plente diuinitate rationalis partis officium. sed, cum plerique grauissimi autores, inter quos Theophilus Alexandrinus episcopus, eius nomini maximè infensus, referant illum Arrianos, Eunomianos, Origenistas, multasque alias hæreticorum sectas multis uoluminibus euertisse: credibile est has hæreses à discipulis suis excogitatas; qui, ut eis fidem conciliarent, magistro imposuerunt, quod ipsi, ut Epiphanius in tertio Panarij libro testis est, neque ab ipso didicerant, neque audiuerant. Claruit sub Gratiano Augusto anno domini 380.

APONIVS, uir in sacris literis disertissimus, scripsit in Canticum Cantorum iuxta Septuaginta editionem ad Armenium Presbyterum libros sex; in quibus allegorico sensu Christi & ecclesiæ nuptias exactissimè descripsit. hos Lucas, abbas Montis S. Cornelij, in epitomen contraxit. sed & Angelomus Monachus in Stromatis Cantorum, à se editis, locos plurimos ex his decerpit, non dissimulato autoris nomine. Operis initium est, *Magno quidem illo beatitudinis exemplo.* Claruit sub Ludouico Imper. anno salutis nostræ 810.

PRIGIUS Hispanus, Pacensis urbis in Hispania episcopus, in sæcularibus disciplinis exactè doctus, eloquentia eximius, & sanctarum scripturarum omnium sui sæculi peritissimus, & in explanatione diuinorum uoluminum nulli ueterum patrum secundus, edidit sub Iustiniano Augusto circiter annum domini 530. doctissimos ac uenustissimos in Cantica Cantorum, & in Apocalypsin commentarios.

QVILA, Rabbi Akibæ discipulus, secundus diuinorum uoluminum græcus interpres, curiosus & diligens, natione Ponticus, patria Synopæus, uir utriusque matheos peritissimus, & ob id Hadriano Augusto charus; à quo etiam constitutus est præfectus operum ad extruendam urbem Hierosolymam, à Tito dirutâ; hic, inquam, cum, urbe instaurata, discipuli Apostolorum in ea euangelium prædicarent, in Christum credidit, & baptizatus est. sed, cum nimium Genethliacis intentus, quotidie geniturarum positiones, inspecto nascentium horoscopo, designaret, atque ob id à patribus increpatus non desisteret, sed potius sese eis contumeliosè opponeret, ab ipsis de ecclesia pulsus est. quam ille ignominiam ultrà, quàm dici potest, grauiter molesteque ferens, abnegato Christianismo, profelytus efficitur, & apud Iudæos circumciditur; breuique edoctus hebræorum linguam, interpretatus est græcè diuinas scripturas de uerbo ad uerbum, irruens in LXXII. interpretum translationem, ut nonnulla testimonia de Christo in scripturis prolata, & ab eis translata aliter ederet, sicque acceptam confusionem ulcisceretur. eius editio, ut Hieronymus in principio Hebraicarum quæstionum, & Seuerianus Gabalensis episcopus in exordio Hexaemeron annotarunt, hoc habebat initium:
 Ε,

Εμ κειραλιδι ἐποίησαμ ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν. ἢ δὲ γῆ ἡ νεότης, καὶ οὐδὲν hoc est, *IN capitulo, uel in summa, fecit Deus cælum, & terram. terra uerò erat inanitas, & nihil.*

CLARUIT, ut Epiphanius scribit, sub Hadriano Augusto anno domini 120. ut autem Hieronymus in tertio commentario Esaiaë autumat, floruit multis annis ante ultimam captiuitatem Iudaicam, fuitque Rabbi Akibæ, qui ante Christum uixit, discipulus.

ARATOR, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis subdiaconus, poeta insignis, sub Iustiniano Imper. anno domini 540. scripsit elegantissimis carminibus Apostolicæ historiæ libros duos: in quibus hexametro uersu cecinit quæcunque Lucas Euangelista in actibus Apostolorum soluta oratione conscripsit, intermissis operi suo innumeris ac uenustis allego-
 riarum floribus; quos Beda Venerabilis presbyter in unum colligens, commentarios suos in actus Apostolorum eorum elegantia exornauit. Horum librorum uolumen cum Arator ipse Vigilio Papæ ante confessionem S. Petri VII. Idus Aprilis in corona multorum episcoporum obtulisset, id ipsum clara uoce coram omnibus recitare à Pontifice iustus est. sed, cum iam horæ tempus præterisset, Vigilius Papa codicem Surgentio uenerabili primicerio in serinio locandum tradidit, ut eius lectionem uacante tempore perficeret, obnixè effagitantibus omnibus, ut liber publicè coram omnibus ex integro legeretur. annuente Pontifice, intra ecclesiam sancti Petri ad uincula in magna doctissimorum omnium frequentia, ipso Arato distinctis uerbis recitante, ambo libri quatuor uicibus sunt auditi; cum uno die unius tantum libri dimidium uix legi posset ob assiduas repetitiones, quas auditores faustis crebrisque acclamationibus expetebant. Operis initium est,

Ut sceleris Iudæa sui polluta cruce.

ARETHAS, Cæsareæ Cappadociæ episcopus, collegit breuem quandam explicationem in Apocalypsin; quam ex commentariis diuinitus institutis beatissimi Andræ, archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ, in ordinem rededit. eius initium est, *Sciendum, quòd uniuersum & c.* Ioannes Hentennius Hieronymianus hoc opus latinum fecit.

RIBO, Moguntinus archiepiscopus decimus nonus post S. Bonifacium martyrem, uir diuinæ legis studio clarissimus, cuius iussu synodus Prouincialis apud Salgenstadium in Germania sub Conrado Iuniore Augusto collecta est, scripsit librum unum in 15. psalmos graduum. Claruit sub Conrado Imp. Iuniore anno domini 1031.

RISTOBVLVS Antiquior, natione Iudæus, ex Paneade Phœnicia urbe, quæ Cæsarea Palæstina, uel Philippi dicitur, Agathobuli Iudæi uiri sapientissimi, qui & ipse in Pentateuchum scripsit, discipulus, uir singulari doctrina & sanctitate celebris, unus ex illis septuaginta senioribus fuit, qui ab Elezaro Hierosolymitano pontifice missi sunt ad Ptolemæum Philadelphum, secundum regem Aegypti, ut hebraicos diuinæ legis libros in græcam linguam transferrent; multaque ex traditionibus Mosis proponenti regi percontanti; responderunt. is ergo edidit in Pentateuchum græco sermone ad Ptolemæum Philadelphum Quæstionum libros quinque; quorum Anatolius, Laodiceus episcopus, mentionem fecit in libro de Paschate, ex quo Eusebius in septimo eccles. historiæ longum testimonium profert, Aristobuli uerba complectens. Claruit olympiade 124. hoc est anno ante Christi aduentum 350.

RISTOBVLVS Iunior, gente Hebræus, de genere sacerdotum Ptolemæi Philometoris sexti regis Aegypti præceptor, professione philosophus, secta Peripateticus, sed ante omnia sanctarum scripturarum eruditione à teneris annis imbutus, scripsit græco disertoque eloquio ad Ptolemæum Philometorem regem, discipulum suum, in Pentateuchum Mosis commentarios, doctrina & eloquentia præstantissimos: in quibus ostendit uniuersam Peripateticam philosophiam fuisse ex lege Mosaica haustam. Meminit horum Clemens in quinto libro Stromatum, & Eusebius

sebius in octavo De præparatione euangelica, & in Chronicis. Extat ad hunc Aristobulum epistola, in principio secundi libri Maccabæorum præfixa, quam senatus, populusq; Hierosolymitanus unâ cum ipso secundo uolumine Maccabæorum ad ipsum transmisit in hæc uerba: POPVLVS, qui est in Hierosolymis & in Iudæa, senatusq; & Indas Aristobulo, magistro Ptolemæi regis, qui est de genere Chriſtorum sacerdotum, & his, qui in Aegypto sunt, Iudæis salutem & sanitatem. DE magnis & c. Claruit sub eodem Ptolemæo Philometore olympiade 151. hoc est anno ante Christum natum 215.

ARLOTTVS, Minister generalis, ordinis Minorum, natione Thuscus, uir egregiè doctus, & disputator acutus, collegit librum inscriptum CONCORDANTIAS VETERIS, AC NOVI TESTAMENTI: in quo testimonia utriusque testamenti sibi inuicem consona decenti ordine coaptauit. Claruit sub Adolpho Imper. anno domini 1290.

ARMANDVS Bellouifus, Dominicanus, cuius extat opus difficilem terminorum tam philosophiæ, quàm theologiæ, scripsit in psalmos Scholasticam postillam.

ARNOBIVS Afer, qui sub Diocletiano Augusto in urbe Africæ Sicca florentissimè rhetoricam docuit, & inter cæteros iuuenes, quos ad declamandum exercebat, Lactantium Firmianum magno excellentiq; ingenio & eloquio discipulum habuit, cum adhuc ethnicus ad fidem Christi occultis inspirationibus uocaretur, & ad credulitatem quodammodo compelleretur, ab episcopis Africæ sacramentum regenerationis effugit: quem cum illi reiicerent, ueriti, ne uir, sæculari eloquentia tumens, religioni Christianæ, quam semper oppugnauerat, illudere uellet, obtulit eis in argumentum sinceritatis suæ præstantissima aduersus pristinam religionem disputationum uolumina, tanquam fidei suæ obsides. quò tam fausto pignore in ecclesiam receptus, nonnullas postea in diuina scripta dicitur reliquisse lucubrationes; è quibus Tritemius commentaria in Psalterium recensuit: quorum tamen Hieronymus, Arnobij opera indicans, non meminit. Extant parui quidam ac breuissimi in omnes psalmos commentarij iuxta tropicum & allegoricum sensum; quos Erasmus Rot. typis Frobenianis impressos emisit cum præfatione Arnobij cuiusdam, ad Laurentium & Rusticum episcopos conscriptos, adiecta nuncupatoria epistola, qua multis argumentis contendit, opus extra ullam controuersiam esse Arnobij illius celebratissimi rhetoris. Ceterum stylus inconditus, ac sermo, innumeris solæcismis & barbarismis scatens, palam arguit aures magis, quàm cælum à terra distare ab Arnobio illo, cuius nunc habemus septem facundissimos contra gentes libros. quos licet Hieronymus, ad Paulinum scribens, reprehendat, ueluti sermone inæquales, & nimios, ac sine ulla totius operis partitione confusos; aliàs tamen luculentissimos & à florentissimo rhetore feliciter elaboratos fatetur. Nequè admodum mihi fatiscit, quod Erasmus ad excusandam styli diuersitatem affert, nimirum de industria uoluisse Arnobium sese in

his commentariis ad infimæ plebis orationem deicere, ut, deposito omni eloquentiæ fastu, se toto pectore Christianum declararet apud eos, qui persuaderi non poterant illum sincero animo profiteri Christianam religionem. quod etsi fieri potuisse non abnuam: temporum tamen diuersitas euidentissimè ostendit utriusque Arnobij discrimen, siquidem hunc Arnobium, psalmorum interpretem, longè post alterum Arnobium fuisse facilè deprehendi potest ex expositione psalmi 109. in qua nominatim refellitur Photinus, Hebionitarum hæreseos instaurator. fieri autem non potest, ut Arnobius, qui Lactantium adhuc iuuenem sub Diocletiano principe, hoc est circa annum domini 290. discipulum habuit, Photini hæresin audiuerit: qui, ut ex quinto libro historiæ tripart. & ex Hieronymo tam in catalogo, quàm in chronicis colligitur, impietatem sui dogmatis docere cœpit anno domini 358. hoc est anno trigesimo post interfectum Crispum Cæsarem, Constantini Magni filium; cuius adolescentiam Lactantius Firmianus in extrema Senectute præceptor instituit. ad hoc accedit etiam coniectura, meo quidem iudicio non improbanda,

Septem libros tantum contra gentes scripsisse Arnobium testatur Hieronymus in epistola ad Magnum. qui uero nunc post septem adiectus est, & octauus inscribitur, dialogus est eiusdem argumenti, sed non eiusdem corporis pars, & eiusdem operis liber.

A banda, quòd in explicatione psalmi centesimi octauo & centesimi decimi septimi oppugnat, ceu hæreticâ, illorum sententiam, qui profitentur Deum ab æterno alios prædestinasse ad benedictionem, alios reprobasse ad maledictionem. Constat autem ex duabus epistolis Prosperi & Hilarij ad Augustinum hanc assertionem adeò sub ipsis Augustini temporibus enatam, ut non pauci per Africam & Galliam sanctissimi uiri conquesti fuerint, nullum unquam ex ecclesiasticis patribus ea sensisse, quæ Augustinus de æterna prædestinatorum & reprobatorum discretionem, à Deo facta, non minus nouè, quàm inutiliter prædicaret. apparet tamen hoc opus, cuiuscunq; sit, (nam Hieronymus inter Arnobiana monumenta non enumerat) per uetustum esse: utitur enim Beda Presbyter in commentariis psalmorum eius testimoniis, ARNOBII titulo prænotatis. & si quid suspicionibus & coniecturis tribuendum est, coniecere possumus autorem ipsius, qui sese in expositione psalmi centesimi quinti inter sacerdotes collocat, fuisse Afrum, & Augustini ætate in

B Africa uixisse, atque opus suum nuncupasse Laurentio & Rustico Afris episcopis, quorum nomina in præfatione eiusdem operis ponuntur. nam & in concilio Carthaginensi comperio unâ cum Augustino interfuisse Rusticum quendam in Africa episcopum, & Laurentium Icositanum episcopum, prouinciæ Mauritaniæ legatum. & in his commentariis inuenio uoces aliquas Augustini temporibus ubique apud Afros usitatas, quemadmodum in expositione psalmi 131. ubi legitur, SUPER ipsum autem Christum floriet sanctificatio mea. quam dictionem Floriet Augustinus ætate sua in ore populorum fuisse scribit libro secundo de doctrina Christiana cap. 13. quo in loco de uitiis sermonis differens, inquit: ILLUD etiam, quod iam auferre non possumus de ore cantantium populorum, Super ipsum floriet sanctificatio mea, nihil profectò sententiæ detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non Floriet, sed Florebit diceretur: nec quicquam impedit correctionem; nisi consuetudo cantantium. & in explanatione psalmi 138. explicans

C illud, Non est occultatum os meum, ait: SI QUIDEM tibi occultum non est os meum, id est os meum. quam uocem apud suos uulgò fuisse corruptam affirmat Augustinus in enarratione eiusdem psalmi, inquiens: Os SVM dicit, quod uulgò dicitur ossum, & latinè os dicitur: sed nos potius ossum dicamus. melius est enim, ut nos reprehendant grammatici, quàm non intelligant populi. Hæc pauca de commentariis Arnobij in psalmos, quæ diceremus, habuimus.

FERVNTVR etiam sub nomine Arnobij Afrî annotatiunculæ quædam mysticæ non magni momenti in uarios, sed paucos euangeliorum locos; quarum initium est, In principio erat uerbum, Colonia à Quentelio impressæ: de quibus suum cuiq; iudicium integrum relinquo. Claruit Arnobius sub Diocletiano usque ad Constantinum Magnum circa annum domini 300.

ARNOLDVS Haldrenius Vesaliensis, canonicus ecclesiæ Summæ Colonienſis, uir singulari uitæ sanctimonia, atque sacræ scripturæ exacta cognitione conspicuus, linguarum quoque trium, hebraicæ scilicet, græcæ, & latinæ, peritissimus, perinde carmine ualens, ac prosa, edidit libellum de decem præceptis decalogi, qui incipit, Si uis ad uitam ingredi. Claruit anno domini 1530.

ASCENSIVS ordinis Minorum, theologus non obscurus, Postillam fecit in Apocalypsin.

ASTERIVS, Amasiæ episcopus, sinceræ pietatis & magnæ eruditionis uir, scripsit in Luca caput 16. de diuitiæ & Lazaro sermonem unum, in sexta actione secundæ synodi Nicenæ citatum.

ASTERIVS Scythopolitanus, quartus ex græcis psalmorum omnium explanator, Arrianae factionis sectator, quem ego in catalogo non ponerem, nisi id prior Hieronymus fecisset, multa, regnante Constantio Augusto, uolumina in sacras scripturas composuit, quæ à suæ partis hominibus studiosissimè legebantur: inter cætera uerò scripsit eruditissimos in Psalterium commentarios, quorum adhuc fragmenta in Catena psalmorum græca præposito eius nomine seruantur. dedit & in quatuor euangelia, & in omnes epist. Pauli breues commentariolos. Floruit anno 380.

ATHANASIVS, Alexandrinæ urbis episcopus decimus nonus, sanctitatis & eruditionis eximia, acerrimus catholicæ fidei propugnator, pro cuius defensione multas Arrianorum perpeffus intidias, ad Constantium Augustum in Gallias fugit: unde reuersus cum literis, & rursus post mortem eius fugatus, usque ad Iouiniani imperium latuit: à quo recepta ecclesiæ suæ gubernatione, moritur anno domini 370. relictis ad posteros multis præclari ingenij sui monumentis: è quibus ad diuinas scripturas pertinentia hæc sunt,

TOTIVS diuinæ scripturæ Synopsis, id est Continuus: in qua omnium librorum utriusque testamenti argumenta, inscriptiones, initia, autoritatem, & autores quam breuissimè complexus est. cuius initium est, *Omnis nostra qui Christiani sumus scriptura.*

QUÆSTIONVM ex ueteri & nouo testamento ad Antiochum principem liber unus, continens quæstiones 162. cuius initium est, *Vnde declarari potest.* qui tamen Athanasij non uidetur. Suspicio hunc ex uariis patrum scriptis collectum à studioso quopiam, qui in quæstione quarta Theologiam mysticam Dionysij allegat, Athanasij sæculo, ut arbitror, ignotam; & quæstione 33. citat Athanasium ipsum, & ab eo etiam diuersam sententiam profert.

IN Psalterium Dauidis commentarij.

ITEM in Psalterium Dauidis ad Marcellinum de titulis & uis psalmorum isagogicus libellus: in quo ex collatione cuiusdam industriæ senis breuissimè docet, quam quisque utilitatem ex certa cuiusque psalmi lectione adipisci queat. eius initium est, *Laudo tuam in Christo uoluntatem.* Meminit huius operis Casiodorus in prologo, & in calce commentariorum in psalmos, inquit: **T**ESTIS est Athanasij episcopi sermo magnificus; qui, uirtutes psalmorum indagabili ueritate discutiens, omnia illic esse probat, quæcunque totius sanctæ scripturæ ambitu continentur.

IN Ecclesiasten Salomonis commentarij.

IN Cantica Canticorum commentaria.

IN illud ex Leuitici capite 9. Et dixit Moyses ad Aaron, Accede ad altare, & fac holocaustum pro peccato tuo, & pro expiatione domus tuæ, sermo unus: qui incipit, *En tibi in isto loco.*

IN illud Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo, aduersus Eusebium, & eius sectatores liber unus. *Non intelligentes istud.*

IN illud Matth. 12. Transibat Iesus per sata, & discipuli sequebantur uelentes spicas, homilia una. *In die Sabbati.*

IN illud Matth. 12. Quicumque dixerit uerbum contra spiritum sanctum, De peccato in spiritum sanctum liber unus.

IN illud Matth. 20. Ite in castellum, quod contra uos est, sermo unus, quem apparet esse fragmentum commentarij cuiuspiam, & incipit, *Quia ea, quæ super terram.*

IN illud Matth. 27. Et uenerunt in locum, qui dicitur Golgotha, usq; ad; Verè filius Dei erat iste, De passione domini concio eloquentissima. *Quod nunc recitatum est & c.*

IN Lucæ cap. 1. De annunciatione dominica homilia de sanctissima Deipara, incipiens, *Sacros sacrarum.*

CITATVR quoque à D. Thoma in libro aduersus errores græcorum Athanasius in thecha, seu uolumine super Ioannem. **P**HOTIVS, archiepiscopus Constantinopolitanus, de scriptis & genere docendi Athanasij ad fratrem suum Tarasium ita scribit: **A**THANASIVS in sermonibus ubique locutione clarus est, & breuis, & simplex, acutus tamen, & altus, & argumentationibus omnino uehementis, & in his tanta ubertas, ut admirabilis sit: logicis autem methodis nihil tenuiter, nihil iuueniliter, ut pueri & rudes, sed philosophicè, & magnificè utitur. scripturarum testimoniis, ac demonstrationibus ad uincendum communitus est. & in primis sermo ille, qui de humanitate uerbi Dei habitus est, & quinque

A que in Arrium librorum uolumina, quæ sunt de omni hæresi trophaum, sed de Arriana potissimum. Et si quis Theologum Gregorium, & Diuinum Basilium diceret ex libro tanquam fonte quodam haurientes orationis suæ pulchros illos ac perlucidos contra errorem fundere fluuios; non iret, ut arbitror, procul à uerè similitudine. Scripta sunt autem ab eo & in Ecclesiasten commentaria, & in Cantica Canticorum, sic & in Psalterium, & alibi in multis. gratia tamen & ornatu uerè excellent sermones contra Apollinarium, & epistolæ, quot quot exilij sui excusationem continent. Gregorius Theologus Athanasij uitam luculenta oratione celebravit.

AVGUSTINVS Anconas, ordinis Eremitarum S. Augustini, uir in diuinis scripturis eruditus, & in theologia Scholastica, & sacrosanctis pontificum decretis exercitissimus, scripsit postillari studio in totam nouum testamentum commentariorum infra scriptos libros, uidelicet

IN Matthæum librum unum.

IN Marcum librum unum.

IN Lucam librum unum.

IN Ioannem librum unum.

IN Acta Apostolorum librum unum.

IN Acta Apostolorum iterum catenam ex patrum explanationibus, insertis de suo per opportuna loca quæstionibus Scholastico more propositis ac solutis.

IN omnes epistolas Pauli libros 14.

IN omnes Pauli epistolas catenam ex patrum expositionibus.

IN epistolas Canonicas libros septem.

IN epistolas Canonicas catenam ex patrum explanationibus.

IN Apocalypsin librum unum.

IN Apocalypsin catenam ex patrum explanationibus.

SCRIPSIT etiam in primum Lucæ caput super **M**ISSVS EST utilem tractatum.

ITEM super Canticum uirginis tractatum alterum: in quo triplici expositione uerba Cantici profecutus est. in utroque autem multa de sacratissima diuini uerbi incarnatione, & de beata Mariæ uirginis laudibus copiosè disseruit.

CLARUIT sub Ludouico Bauaro IIII. & Ioanne XXII. Papa, cui opus de potestate Papa dedicauit, anno domini 1330.

AVGVSTINVS Nebiensis, in Corsica insula episcopus, patria Genuensis, ex illustri Iustinianorum familia, prædicatorij ordinis professor obseruantissimus, theologus sincerè doctus, & linguarum omnium, quæ toto terrarum orbe dispersæ sunt, peritissimus, nouo & ingenti ausu primus omnium utrunque sacræ legis instrumentum quinque præcipuis linguis Hebræa, Chaldaea, Græca, Latina, & Arabica in unum corpus, **O**CTAPLA inscriptum, redegit, tanto artificio, ut in singulis paginis octo columnas disponeret; in quibus omnes prædictæ linguæ, propriis characteribus expressæ, totidem lineis, totidemque uerbis sibi correspondentes, uno eodemque aspectu cernerentur, hoc uidelicet ordine:

IN prima columnella præposuit hebræam editionem.

IN secunda latinam interpretationem, respondentem hebrææ de uerbo ad uerbum.

IN tertia latinam communem, & uulgatam editionem.

IN quarta græcam.

IN quinta arabicam.

IN sexta thargum, hoc est paraphrasim chaldaicam, sermone quidem chaldaeo, sed literis hebraicis conscriptam.

IN septima translationem latinam, chaldaicæ respondentem.

IN octaua scholiola, uel annotatiunculas quasdam breuissimas per interualla sparsas, & intercisas, quibus potissimum Iudæorum errores redarguit.

HUIVS tam præclari operis ego duo tantum uolumina uidere merui, uidelicet ex ueteri testamento, ad Leonem X. Pont. Max. in totum Psalterium Octaplum typis

typis excusum: cuius initium est, *Scio Pater beatissime.* & ex nouo testamento, **A** in uniuersa quatuor euangelia Octaplum, ipsa autoris manu atramento, minioq; descriptum: cuius initium est, *Fructum salutiferum, magnumque utilitatis incrementum.*

FLORVIT eruditissimus hic uir sub Leone X. Pont. Max. Romæ in concilio Lateranensi clarus; moriturque maritima tempestate absumptus anno salutis nostræ 1530. dum in Corsicam ad ecclesiæ suæ administrationem nauigaret.

AVGVSTINVS Romanus, Prior generalis totius ordinis Eremitarum, in scholastica theologia eruditissimus, disputator subtilis, & in diuinis scripturis exercitatus, edidit scholastico stylo in epistolas Pauli commentariorum libros 14. & in Apocalypsin librum unum. Claruit anno domini 1410.

AVGVSTINVS, Chisami episcopus, patria Eugubinus, Apostolicæ bibliothecæ in Vaticano præfectus, omni sapientiæ genere insignis, cuius extat celeberrimum illud De perenni philosophia opus, elucubrauit in Pentateuchum **B** Mosis elegantes ac succinctas annotationes, græcæ & hebraicæ linguæ phrasæ, & idiotismos Mosaicis libris contentas diligentissimè explicantes: quarum initium est, *Cum omni opera & studio.* Conatur autem in toto hoc opere sic latinam D. Hieronymi editionem defendere, ut ostendat nullam neque apud Græcos, neque apud Latinos fuisse translationem ueteris testamenti Hieronymiana meliorem, elegantiorè, lucidiorem, ac etiam latiniorem. in qua si quid aut mendosum reperitur, aut ab hebraica ueritate dissonum, aut additum, aut detractum; id omne demonstrat uel nullius esse momenti, uel scriptorum uitio contigisse.

IDEM duo prima Geneseos capita eloquentissima ac eruditissima explanatione illustrauit: quam græca uoce *ΚΟΣΜΟΠΟΕΙΑΜ,* hoc est Mundi fabricam inscripsit. eius initium est, *Dua sunt res.*

ITEM in omnes Dauidicos psalmos eloquentissima ac eruditissima commentaria scripsit, iuxta sensum historicum & mysticum copiosè ac diligenter digesta. **C** Operis exordium est, *Cum omnium sacrarum literarum.* Claruit sub Carolo V. Augusto anno domini 1540.

AVITVS prænomine Alchimus, Viennensis, in Gallia episcopus, sæcularibus disciplinis copiosissimè instructus, rhetor & poeta clarissimus, uitæ sanctimoniam & sacrorum uoluminum cognitione conspicuus, scripsit latino sermone, & hexametris carminibus

IN primum caput Geneseos De origine mundi librum unum.

DE diluuiio mundi in 6. caput Gen. librum unum.

DE transitu maris rubri in 13. caput Exodi librum unum.

CLARVIT sub Zenone Imper. anno domini 500.

DICVNTVR eiusdem libri sex heroico uersu conscripti in Genesim, & Exodum extare. Viennæ in bibliotheca Volfangi Lazij.

AVRELIVS AVGVSTINVS, Hipponæ episcopus, natione Afer, patria Tagastensis, uir supra omnes, qui ante eum & post eum hucusque fuerunt, mortales admirabili ingenij acumine præditus, omnibus liberalibus disciplinis instructus, Platonica philosophia plenissimè imbutus, Aristotelicæ doctrinæ non ignarus, in diuinis scripturis longè omnium eruditissimus, & in earum explanatione ultra, quàm dici queat, incomparabili subtilitate sublimis, omnes latinæ ecclesiæ scriptores scribendi labore, & lucubrationum multitudine superauit, editis plus quàm mille & triginta ex omni disciplinarum genere uoluminibus; de quibus composuit ex professo in omnes sparsim diuinæ scripturæ libros quamplurima diuersi generis exegetica, id est explanatoria scripta; quæ ipse in præfatione Retractionum suarum in tres partes diuisit, hoc est in Epistolas, Tractatus, & Libros.

IN Epistolis satisfacit amicis, qui eum de uariis diuinæ scripturæ difficultatibus consulebant. In Tractatibus, sub quorum numero comprehenduntur homiliæ, siue sermones, atque aliæ diuinorum uoluminum enarrationes ad populum, sua ipsemet uoce sacras literas publicè pro concione disseruit. Libros uerò idem in Retractionibus

A tionibus in quatuor ordines partitus est, scilicet in Annotationes, Quæstiones, Disputationes, & Continuas expositiones. In libris Annotationum, prætermisiss multis, nonnulla duntaxat, quæ ad uocum & literæ intelligentiam pertinent, carptim, breuiter, leuiterque hinc inde perstrinxit. In Quæstionum libris diuersas ex uariis locis scripturarum dubitationes quærendas proponit, ac dissoluit. In Disputationum libris partem aliquam scripturæ diuinæ, hæreticorum criminationibus oppugnatam, fortissimè defendit. In libris Continuarum explanationis partes aliquas utriusque testamenti continuato expositionis cursu iuxta uariam tam literæ, quàm spiritus intelligentiam, ex integro explanat.

ET hæc quidem omnia Augustinus in calce Retractionum testatur à se trifariam edita, nimirum dictando, docendo, & scribendo. De genere Dictorum sunt Tractatus ad populum habiti; ad quos audiendos, ut testis est Posidonius, ipsi quoque hæretici, unà cum catholicis permoti, sanctitate & eruditione uiri, ex omni

B Africa ingenti ardore concurrebant, adductis secum notariis, qui ab ore eius excepta describerent. De numero Dictatorum sunt epistolæ multæ, & Tractatus ad plebem plurimi, ac nonnulli etiam libri. De ordine Scriptorum sunt libri Continuarum expositionis, libri Quæstionum, ac Disputationum; quos maiori adhibita diligentia & solertia ipsemet accuratius scripsit.

NEQUE illud hoc loco prætermittendum arbitror, quod ipse in lectione opusculorum suorum uoluit à lectoribus obseruari, nempe uarietatem, & ordinem quadruplicem temporum, quibus ea scribi contigit. alia enim scripsit, cum esset Cathecumenus, sæcularium literarum inflatus consuetudine: alia, cum primùm esset baptizatus, & adhuc in sacris literis rudis, ac tyro: alia factus presbyter exarauit, erudita magis & docta: alia demum ad episcopatum assumptus, longè omnium eruditissima. Hanc temporum distinctionem idcirco Augustinus censuit obseruandam, ut ex eius consideratione aduerterent lectores, quomodo ipse discentium more paulatim scribendo profecerit: sicque facilius ignoscerent, si quid erratum in prioribus eius scriptis inuenirent, & ad ultimas ipsius lucubrationes, tanquam ad eruditiora firmioraque autoris decreta, confugerent.

EDIDIT præter hæc & alia multa exoterica scripta, in quibus obiter & quasi aliud agens iuxta uarias occasiones plurima sparsim de diuinis literis explicauit. quibus omisiss, solum exegetica, & quæ ab eo de industria in explanatione & defensione sanctorum uoluminum fuerunt composita, collegi: cetera si quis scire cupit, legat libros duos Retractionum, quibus Augustinus maiorem partem laborum suorum recensuit, ac retractauit.

DOCENDI modus in prædictis omnibus operibus eundem semper & ubique respicit autorem: in libris tamen magis, quàm in tractatibus est eruditus, acutus, ac sublimium rerum subtilitate usque adeò reconditus, ut Hieronymus in epistola quadam non uereatur eum obscurissimum scripturarum expositorem appellare. quæstionum præterea, disputationum, argumentationum, ratiocinationum locupletissima copia abundat; & super omnes ecclesiasticos scriptores diuinæ scripturæ testimoniis, & sententiis profuit, instar magni fluminis hyberna niue exundantis. In tractatibus stylus est aliquanto parcior, & apertior, magisque accommodatus ad allegoricas & morales explanationes: in quibus Augustinus propter aures imperitæ multitudinis sæpe se usque ad barbarismum demittit, illud frequenter dictum in ore habens, **MALO**, ut me reprehendant grammatici, quàm non intelligant populi, eligens magis in barbarismis, etiam damnantibus grammaticis, intelligi, quàm in mea disertudine auditores deserere. Utitur autem in cunctis explanationibus translatione diuinæ scripturæ suorum temporum, quæ Italica dicebatur. hanc enim ipse in secundo De doctrina Christiana tam uerborum fidelitate, quàm sententiarum perspicuitate cæteris præfert latinorum editionibus.

LOC communes, ei maximè peculiare, & quibus potissimum omnia eius uolumina exegetica replentur, hæc sunt, de S. Trinitate, Præscientia, Electione, Prædestinatione, Vocatione, Iustificatione, Reprobatione, Induratione, de Gratia & libero

libero arbitrio, de Fide & operibus, de Donis & meritis, de Peccato originis, deq; aliis hisce similibus dogmatibus, intermixtis interdum moralibus locis, qui apud omnes enarratores sunt in usu.

ORATIONIS eius ac dictionis genus fecundissimum & exuberantissimum est, ditissima & copiosissima, ne dicam nimia, diuersarum rerum affluentia redundans, & periodis in longum productis, mistim & indiscriminatim quamplurima secum uoluens ac rapiens, digressionibus, excursibus, & ambagibus uagabundum, quod ingeniosum, attentum, memorem, & patientem requirat lectorem: quem ne multiloquij tædio fastidiat, Punicis quibusdam argutiis recreare solet, ludens sapissime in similibus progredientibus, & similiter cadentibus sententiis, aliisque non inuiculis rhetorum figuris, quæ longum & implicitum proluxæ lectionis iter emolliant. Hæc de genere lucubrationum, de modo docendi, & dicendi caractere, Augustino usitatis, dicta sint satis: quæ uerò in singulas & uniuersas utriusque testamenti partes elaborauit, hæc sunt.

IN TOTVM DIVINAE scripturæ corpus De doctrina Christiana libri quatuor: in quibus ad instructionem eius, qui futurus sit scripturæ sanctæ expositor, tradit præcepta legendi, intelligendi, interpretandique sacras literas; ostendens, quarum linguarum, artiumque præsidio, & quorum autorum lectione, quibusue regulis opus habeat qui scripturarum sensa inquirat; & quos enarrandi exponendique modos habere oporteat sacrorum uoluminum explanatorem. Opus incipit, *Sunt præcepta quedam.*

IN VTRVNQVE Testamentum Disputationum libri triginta sex aduersus hæreticos, uetus testamentum blasphemantes, & nouum falsationis criminantes: de quibus, cum adhuc esset presbyter, scripsit unum contra Adimantum, Manichæi discipulum; qui aduersus antiquum testamentum destructorium uolumen emiserat, proponens in eo per antithesin multa de utroque testamento testimonia, ueluti inter se contraria, nimirum hoc actu persuadere uolens, omne uetus testamentum cum nouo hostiliter pugnare, proindeque à Christianis scripturis abiiciendum. Quam machinationem hoc libro euertit Augustinus, redactis ad ueram concordiam utriusque scripturæ locis, qui inter se disfidere uidebantur. Opus incipit, *De eo quod scriptum est.*

DEINDE factus episcopus edidit Disputationum libros triginta tres contra Faustum, Manichæorum episcopum: qui, euulgato aduersus omnes diuinas literas impio uolumine, duo potissimum annitebatur demonstrare; primum, quod uetus omne testamentum esset ad deceptionem humani generis à pessimo dæmone conditum, & ab ipsis postea Iudæis aduictum obscenis & impiis narrationibus deinde, quod omnes noui instrumenti scripturæ fuissent à Semiudæis quibusdam falsatæ; qui, ut fidem ueteri testamento conciliarent, Mosis & prophetarum testimonia euangelicis libris fallaciter inseruere. Has impias blasphemias Augustinus hisce tribus ac triginta libris fortissimè confutauit. eorum initium est, *Faustus quidam fuit.*

IDEM in episcopatu composuit reliquos duos Disputationum libros contra innotatum quendam Manichæum, qui librum aduersus legem, & prophetas emiserat. cuius cum nomen ignoraret, inscripsit opus Contra aduersarium legis, & prophetarum. eius initium est, *Librum, quem misistis.* Scripsit item de genere Quæstionum.

IN VTRVNQVE Testamentum sparsim libros sex, uidelicet ex uniuerso ueteri testamento sparsim libros duos, quorum primus incipit, *Quid est Deus?* secundus uerò sic, *Aduersus eos, qui negant.* In totum nouum testamentum lib. 2. quorum prior incipit, *Deus certe perfectus est.* alter autem, *Cur facta, & dicta.* Item ex utroque testamento mistim lib. 2. horum unus incipit, *Audistis quæ contestatur.* alius uerò, *Quid sit ad imaginem.* His libris superaddi potest etiam septimus; qui OCTOGINTA TRIVM QUÆSTIONVM inscribitur, sic incipiens, *Omne uerum.*

COLLEGIT etiam in utrunque testamentum uolumen, quod SPECVLVM SCRIPTURARVM at titulauit, congregans in ipso iuxta ordinem diuinorum librorum omnia,

A omnia, quæ ad informandos mores in sacris literis inueniuntur. Operis exordium sic habet, *Quis ignorat.* Feruntur quoque sub titulo Augustini in omnem scripturam De mirabilibus sacre scripturæ libri tres, singulos admirandos euentus utroque testamento narratos complectentes, adiectis interdum breuibus iuxta literam elucidationibus & quæstiunculis, nulla tamen fixa determinatione dissolutis. Hos Thomas Aquinas in 43. quæstione partis 3. negat esse Augustini opus. quod quidem sic incipit, *Cum omnipotentis Dei.* Atque hæc sunt, quæ ad totum scripturæ sanctæ corpus attinent Augustini opera: quæ uerò ad particulares diuinæ scripturæ partes spectant, nunc habeto.

IN EPTATEVCHVM post acceptum episcopatum scripsit Annotationum libros septem: quos ideo Locutionum titulo prænotauit, quia in his locutiones, idiotismos, & phrasas græcæ & hebraicæ scripturæ, quæ passim occurrunt in septem primis antiqui testamenti libris, annotasset. Opus incipit, *Locutiones scripturarum.* Idem, ad episcopatum assumptus, scripsit

B IN EPTATEVCHVM Quæstionum libros septem: in quibus, prætermis- sis tribus prioribus Geneseos capitibus, aliàs copiosissimè à se expositis, super cæteris septem uoluminum capitibus quæstiones uarias disseruit magis inquirendi studio, quàm decernendi animo. Opus incipit, *Cum scripturis & c.* laborauit etiam


IN TRIA GENESEOS capita, id est ab initio libri usque ad eiectionem primorum parentum de paradiso continuatæ expositionis libros 15. uidelicet cum in Africa esset paulò post assumptum baptismatis sacramentum de Genesi iuxta allegoriam aduersus Manichæos, Mosaicæ historiæ oppugnatores, libros duos: in quibus cum nondum auderet naturalium diuinarumque rerum secreta, in uerbis Mosaicis addita, ad literam & secundum historiæ proprietatem explicare; allegoricum sensum, utpote sibi tunc faciliorem, sectatus est. Opus incipit, *Si eligerent Manichæi.*

C DEINDE factus presbyter composuit De Genesi ad literam imperfectè librum unum, uolens experiri, quantum ualere ingenio in historico explanandi genere, omnium difficillimo. Sed cum uix & ægrè usque ad illam sententiam, FACIAMVS HOMINEM, historicè explanando peruenisset; sub tanta oneris mole succubuit, & ab eo, quem sustinere non poterat, labore conqueuit, imperfectum deserens librum: cuius exordium est, *De obscuris naturalium rerum.*

DEINDE post assumptionem ad episcopatum audentior factus, conscripsit in tria prima Geneseos capitula, De Genesi ad literam libros duodecim. in quibus quanquã ipse fateatur plura à se quæsitâ, quàm inuenta, & ex inuentis pauciora firmata, & tanquam adhuc diligentius perquirenda in medium relicta: tantus tamen est in eis artium, disciplinarum, ac scientiarum omnium thesaurus, ut facillè appareat neque eruditius, neque sublimius in expositione horum trium capitum uel ante, uel post Augustini tempora prodiiisse quicquam, neque deinceps futuris temporibus fortasse proditurum. Placuit autem Augustino nihil in hoc opere de rebus naturalibus certa asseueratione decernere, ne occasionem præberet sapientibus ethnicis irridendi sacras literas, & uiam credendi præcluderet infidelibus: qui, cum uiderent quosdam ex nostris Geneseos enarratoribus grauius errare in his naturæ operibus, quæ ab eruditissimis uiris experientia & demonstratione certissima iam fuissent ostensa, & quod turpius est, errores suos diuinæ scripturæ testimoniis confirmare; scriptores & scripturas nostras, ut indoctas, absurdas, falsasque, deridebant, existimantes etiam cætera, quæ in eis de incarnatione, morte, & resurrectione filij Dei habentur, consimili uanitate fuisse conscripta. Ne igitur istis esset Augustinus exitio, maluit prudenter inquirendo, quàm temere definiendo, præsens opus contexere. eius initium est, *Omnis diuina scriptura.*

IDEM, ut ipse in secundo Retractionem recenseret, exarauit iterum in primum Geneseos caput libros tres: quos libris Confessionum à se editis inseruit. suntque inter eos undecimus, duodecimus, & tertius decimus.

FERTVR item liber, siue dialogus Quæstionum 75. sub titulo Augustini: in quo,



colloquentibus Orosio & Augustino, varia ex duodecim primis Geneleos capitibus loca explicantur. Præter hæc extant
IN VARIOS GENESEOS locos homiliae, siue tractatus, siue sermones 21. uidelicet

- In Gen. caput primum Tractatus, siue Sermones sex, à Tritemio citati, sed à me nondum uisi.
- ITEM** in principiū primi cap. sermo unus, qui est inter sermones de tempore 133.
- In Gen. 2. De arbore scientiæ tractatus unus, qui incipit, *Legimus in Genesi*.
- In Gen. 6. De Cataclysmo sermo unus, qui est de tempore 69.
- In Gen. 12. De Abraham sermo unus, qui est de temp. 51.
- In Gen. 15. De uacca trienne serm. 1. de tempore 54.
- In Gen. 18. De tribus uiris Abraham uisis serm. 1. de temp. 70.
- In Gen. 19. De Loth & filiabus eius hom. 1. quæ est de . . . numero 5.
- In Gen. 19. De his, quæ in Loth, & eius uxore figurantur, serm. 1. qui est ad **B**
 Erem. 34.
- In Gen. 22. De tentatione Abraham serm. 1. de temp. 72.
- In Gen. 22. De immolatione Isaac serm. 2. qui sunt de temp. 71. & 73.
- In Gen. 25. De conceptu Rebeccæ serm. 1. de temp. 68.
- In Gen. 28. De scala Iacob serm. 1. de temp. 79.
- In Gen. 37. De somnio Ioseph serm. 1. de temp. 81.
- In Gen. 39. De Ioseph & eius domina serm. 1. de temp. 83.
- In Gen. 42. De Iacob, quem latuit Iosephum in Aegypto esse, serm. 1. de temp. 82.
- SUPEREST** demum in Gen. cap. 49. exiguus commentariolus super benedictionibus patriarcharum dialogo editus, sub Augustini titulo, qui incipit, *Quomodo intelligendum est*. qui existimatur à studioso quopiam collectus ex libro *Quæstionum Hieronymi in Genesim*. Post hæc habentur **C**
- IN EXODVM** sermones undecim, uidelicet
- In Exodi primum caput De morte Ioseph & multiplicatione filiorum Israel, sermo unus, qui est de temp. 84.
- In idem cap. De paleis Aegyptiorum serm. 1. qui est de temp. 85.
- In Exod. 2. De natiuitate Moysi serm. 1. de temp. 86.
- In Exod. 3. De apparitione domini in rubo serm. 1. qui est ex additis ad decimum tomum 18.
- In idem De uerbis Dei, *Ego sum qui sum*, tractat. 1. qui habetur tom. 9.
- In Exod. 4. De induratione Pharaonis serm. 1. de temp. 88.
- In Exod. 7. De decem plagis Aegypti serm. 1. de temp. 87.
- In Exod. 14. De Pharaone serm. 1. de temp. 89.
- In Exod. 15. De itinere trium dierum serm. 1. de temp. 90.
- In idem De aqua amara & manna serm. 1. de temp. 91.
- In Exod. 31. De filiis Israel serm. 1. de temp. 97.
- IN NVMERI** sermones sex, uidelicet
- In cap. 13. De exploratoribus & botro serm. 1. de temp. 100.
- In Num. 14. De populo mortuo in deserto serm. 1. de temp. 102.
- In Num. 16. De turibulis serm. 1. de temp. 98.
- In Num. 17. De uirga Aaron serm. 1. de temp. 99.
- In Num. 21. De serpente æneo sermo unus de temp. 101.
- In Num. 22. De Balaam serm. 1. de temp. 103.
- IN IOSVE** caput primum
- QVOD** iusto Dei iudicio filij Israel terram repromissionis acceperint, serm. 1. de temp. 105.
- In Ios. 6. De Raab, & subuersione Iericuntis serm. 1. de temp. 106.
- IN IVDICVM** caput sextum De Gedeone sermones duo; alter, qui est de temp. 108. alter inter homiliae . . . **D**
 In

- In Iud. 14. De Sampson serm. 1. de temp. 107.
- A** **IN REGVM** aggressus est Augustinus *Quæstionum uolumen* ad similitudinem earum, quas in Eptateuchum scripserat: sed non multo longius in opere progressus, cum ad alia, quæ magis urgebant, uocaretur, laborem abruptit. Meminit huius operis, quod nunc desideratur, secundus liber *Retractationum*.
- SCRIPSIT** & alium librum ad Simplicianum, Mediolanensem episcopum, De solutione quinque *Quæstionum* ex libris Regum, uidelicet
- In lib. 1. Reg. cap. 10. De spiritu domini insiliente in Saul, quæst. 1.
- In 1. Reg. 15. De pœnitentia Dei, quod Saulem constituerit regem, quæst. 1.
- In 1. Reg. 28. De Samuele per Phytonissam ab inferis reuocato, quæst. 1.
- In 2. Reg. 7. De Dauide intrante & sedente ante dominum, quæst. 1.
- In 3. Reg. 17. De Helia exoptulante cum Deo, quod filium uiduæ occiderit, quæst. 1.
- ITEM** in uarios locos Regum sermones 10. hoc est
- B** In 1. Reg. 17. De David & Goliath serm. 1. de temp. 196.
- In idem De Dauidis monomachia serm. 1. qui est in libro 50. hom. primus.
- In 3. Reg. 3. De Salomonis erga duas meretrices iudicio serm. 1. de temp. 200.
- In 3. Reg. 19. De Helia serm. 1. de temp. 201.
- In 4. Reg. 2. De Heliseo à pueris illuso serm. 2. qui sunt de temp. 204. & 206.
- In 4. Reg. 5. De Naaman Syro serm. 1. de temp. 207.
- In idem De Heliseo & Giezi serm. 1. de temp. 208.
- In 4. Reg. 6. De Heliseo & securi in gurgite lapsa serm. 1. de temp. 210.
- In idem, De fame Samariæ serm. 1. de temp. 211.
- In **TOBIAM** serm. 1. de temp. 226.
- In **IVDITH** serm. 2. qui sunt de temp. 228. & 229.
- IN IOB**, cum esset episcopus, collegit *Annotationum uolumen*: de quo ipse in 2. *Retract.* sic loquitur: **LIBER**, cuius est titulus **ANNOTATIONES IN IOB**, utrùm meus habendus sit, an potius eorum, qui eas, sicut potuerunt, uel uoluerunt, redegere in unum corpus descriptas de frontibus codicis, non facile dixerim. suaues enim paucissimis intelligentibus sunt. qui tamen necesse est offendantur multa non intelligentes: quia nec ipsa uerba, quæ exponuntur, ita descripta sunt in multis locis, ut appareat quid exponatur. deinde breuitatem sententiarum tanta est secuta obscuritas, ut eam lector uix ferre possit, quem necesse est plurima non intellecta transire. postremò tam mendosum comperi opus ipsum in codicibus nostris, ut emundare non possem: nec editum à me dici uellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potest denegari. Opus incipit, *Et opera magna*.
- IN PSALTERIUM** continuæ & integræ expositionis Tractatus, siue Enarrationes 205. quas partim presbyter, partim episcopus usque ad exitum uitæ pro concione enarrauit, nullo seruato ordine, modò hunc, modò illum pertractans. Hos tractatus pij & beneuoli auditores, ex ore eius collectos, in integrum & ordinatum, quale nunc habemus, corpus digesserunt. Genus expositionis ubique allegoricum ac morale est, literalis intelligentiæ parum attingens; strictius & accuratius in primis aliquot psalmis, in posterioribus fufius, & in longas digressiones excurrens. Hieronymus in epistolis ad Augustinum taxare uiderur hos commentarios tanquam nimis obscuros, & in nonnullis etiam à recta linea, & à sua, græcorumque omnium tractatorum mente discrepantes. Suspicio Hieronymum desiderasse in his enarrationibus explicationem psalmorum iuxta hebraicæ ueritatîs puritatem, & Græcorum expofitorum sententiam. sed, cum Augustinus hebraici sermonis esset ignarus, & in græcis literis non sic esset instructus, ut græca commentaria libera manu posset euoluere; necesse fuit illum saepe ex inopia literalis intelligentiæ à uero ac proprio literæ sensu ad extortas allegorias deflectere. Opus incipit, *Omnis scriptura*.
- EXTANT** præter hos Tractatus etiam alij decem & nouem sermones in uarios **T t** 3 psalmorum

- psalmorum uersiculos; quorum catalogus hic est.
- In psalmum primum ex integro sermo unus, qui habetur in lib. quæst. ueteris testamenti quæst. 110. **A**
- In psalmum 9. super id, Tibi derelictus est pauper, sermo 1. de temp. 110.
- In psal. 16. super id, Sustine dominum, uiriliter age, sermo unus inter 50. homilias 11.
- In totum psal. 21. ad Honoratum epistolam unam, quæ est numero 120.
- In totum psal. 23. sermo unus, qui habetur in libro quæst. ueteris testamenti, quæst. 111.
- In psal. 33. super id, Quis est homo, qui uult uitam? sermo unus, qui est de 50. hom. primus.
- In psal. 40. De principio eiusdem psalmi serm. unus, qui est inter 50. homilias trigessimus nonus.
- In psal. 45. super id, Vacate & uidete quia ego sum Deus, sermo unus de tempore 251. **B**
- In psal. 49. super id, Deus manifestè ueniet, sermones duo, unus de temp. 220. alter 28. in lib. 50. hom.
- Item in psal. 49. super id, Sedens aduersus fratrem, sermo unus, qui est inter 50. hom. secundus.
- In psal. 50. sermo unus, qui habetur in libro quæst. utr. test. quæst. 112.
- In psal. 67. super id, Sicut deficit fumus, sermo 1. de temp. 109.
- In psal. 83. super id, Cor meum & caro mea, sermo unus inter 50. homilias trigessimus tertius.
- In psal. 94. super id, Venite adoremus, sermo 1. qui est De uerb. Apost. 11.
- In psal. 97. super id, Cantate & psallite in cithara, sermo 1. de temp. 222.
- In psal. 117. De primo psalmi uersiculo, sermo 1. inter 50. hom. 36.
- In psal. 117. super, Hæc est dies, quam fecit dominus, sermo 1. de temp. 136. **C**
- In psal. 118. super id, Bonitatem & disciplinam & scientiam, sermo unus inter 50. hom. quartus.
- In psalm. 118. super id, Gressus meos dirige, sermo 1. de uer. Apost. 12.
- IN PROVERBIORVM** cap. 13. super id, Sunt qui se diuites putant, sermo unus de temp.
- In Proverb. 31. de Muliere forti, sermones 2. de temp. 217. & 218.
- In illud Sap. 7. Splendor est lucis æternæ, sermo 1. de temp. 190.
- In Esa. 11. super id, Requiescet super eum spiritus domini, sermo unus de sanctis 7.
- In Esa. 53. super id, Ascendet sicut uirgultum coram eo, sermo unus inter 50. homilias 36.
- In Esa. 58. super id, Clama, ne cesses, sermo 1. inter 50. hom. 7.
- In Esa. 58. super id, Frange exurienti panem, sermo 1. inter 50. hom. 17. **D**
- In Ezechielis cap. 34. libri duo, alter de pastoribus, in quo prior pars huius capituli exponitur; alter de ouibus, in quo pars posterior explicatur. Opus incipit, *Spes nostra*.
- In Dan. 3. De tribus pueris sermo 1. de temp. 240.
- In Dan. 13. De Susanna serm. 2. qui sunt de temp. 118. & 242.
- HVCVSQVE** perueniunt quæ Augustinus in uetus test. scripsit: nunc, quæ in nouum composuit, sequuntur.
- IN QVATVOR** Euangelia De concordia Euangelistarum libros quatuor, quos factus episcopus scripsit aduersus quosdam temerarios calumniatores, qui quatuor euangeliorum scriptores ignorantia, & falsitatis nota accusabant, quod multa dixissent inter se dissona, pugnantia, ac se ipsa destruentia. ostendit autem Euangelistas nec inter se, nec sibi ipsis in aliquo fuisse discordes. Opus incipit, *Inter omnes*.
- IN MATTHAEVM** attulit triplex expositionis genus, hoc est **Quæstionarium**

- rium, Continuum, & Homiliaticum.
- A** In genere Continuo, cum adhuc esset presbyter, scripsit De sermone domini in monte super quinto, sexto, & septimo capitulis libros duos, ostendens eodem sermone præcepta omnia contineri, quæ ad informandam Christiani hominis uitam pertinent. Opus incipit, *Sermonem, quem*.
- In genere Quæstionum collegit iam episcopus Euangelicarum Quæstionum librum unum non secundum ordinem euangelicorum capitum, sed iuxta occasiones eorum, qui ipsum de talibus consulebant quæstionibus; quas postea, cum librum retractaret, redegit in ordinem, additis numeris, ne lector tædio perturbati ordinis offenderetur. at librariorum incuria iterum ordinem confudit, reuulsa prior parte libri, eaque reiecta in fine uoluminis Quæstionum ex euangelio secundum Lucam. Opus incipit, *Non ita scriptum est*.
- In genere Homiliatico reliquit homilias, siue sermones, ad populum habitos, 43. uidelicet
- B** In Matth. cap. 2. De aduentu Magorum serm. qui est de sanctis nonus.
- In idem De cæde infantium, serm. 1. de sanct. 10.
- In Matth. 3. super, Ego debeo à te baptizari, serm. 1. de uer. dom. 63.
- In Matth. 4. super id, Pœnitentiam agite, serm. 1. de uer. dom.
- In Matth. 5. De beatitudine pauperum serm. 1. qui est ex additis ad x. to. decimus quartus.
- In idem super, Audistis quia dictum est antiquis, serm. 1. de temp. 59.
- In idem super id, Diligite inimicos uestros, serm. 1. de temp. 170.
- In idem super id, Luceat lux uestra, serm. 1. de uerbis dom. 2.
- In idem super id, Qui dixerit fratri Racha, serm. 1. de uer. dom. quartus.
- In Matth. 6. super, Nesciat sinistra tua, serm. 1. de temp. 10.
- In idem De oratione dominica serm. 3. qui sunt de temp. 126. & 182. & inter 50. hom. sermo quadragesimus secundus.
- C** In Matth. 7. super illud, Qui fecerit & docuerit, serm. 1. qui est de uer. do. 3.
- In Matth. 7. super id, Petite & accipietis, serm. 1. de uer. dom. 5.
- In idem super, Nolite iudicare, & non iudicabimini, serm. 1. de temp. 202.
- In idem De parabola Zizaniarum serm. 1. de sanc. 39.
- In Matth. 8. De puero Centurionis serm. 1. de uer. do. 6.
- In idem super, Domine sequar te quocunque iueris, serm. 1. de uer. do. 7.
- In Matth. 11. super, Confiteor tibi pater, serm. 1. de uerb. dom. 8.
- In idem super, Venite ad me omnes, serm. 1. de uerb. dom. 9.
- In idem super, Inter natos mulierum, serm. 1. de 50. hom. 44.
- In Matth. 12. De uerbo in spiritum sanctum serm. 1. de uer. do. 11.
- In idem super, Aut facite arborem bonam, serm. 1. de uerb. do. 12.
- In Matth. 14. De Petro ambulante super aquis serm. 2. qui sunt de uer. do. 13. & 14.
- D** In Matth. 15. De Canana serm. 1. de temp. 74.
- In Matth. 17. De dæmoniaco serm. 1. de temp. 230.
- In Matth. 18. De correptione fraterna serm. 2. qui sunt de uer. do. 15. & 16.
- In Matth. 19. super, Si uis ad uitam ingredi, serm. 2. de temp. 205. de uer. dom. 17.
- In idem super, Si uis perfectus esse, serm. 1. de temp. 233.
- In Matth. 20. De duobus cæcis serm. 2. de temp. 52. de uer. do. 18.
- In Matth. 22. De tributo Cæsaris serm. 1. de uer. do. 19.
- In idem super, Diliges proximum, serm. 1. de 50. hom. 38.
- In idem super id, Cuius filium dicunt esse Christam, serm. 2. de temp. 234. 235.
- In Matth. 24. super, Væh prægnantibus, serm. 1. de uer. dom. 30.
- In idem super, De die illa nemo scit, serm. 1. de uerb. dom. 21.
- In Matth. 15. De x. uirginibus serm. 3. de uer. do. 22. & 23. & in lib. 83. quæstionum quæst. 59.

- In idem super, Venite benedicti patris, ser. 1. de sanct. 38.
- IN MARCI** caput octauum, de turba famelica, sequente Christum, serm. 1. de temp. 209.
- In Marc. 16. De duobus discipulis, quibus Christus in alia effigie apparuit, ser. 1. de tem. 146.
- In idem De XI. discipulis recumbentibus serm. 1. ex additis ad X. tomum, quintus.
- IN LVCAM** scripsit episcopus Quæstionum librum unum eodem ordine, quo prius scripserat Quæstiones in Matthæum. Eius initium est, *Quod Zacharias.*
- Item ex uariis locis in Lucam sermones 26. uidelicet
- In Luc. cap. 1. super, Missus est, serm. 1. de sanctis 18.
- In idem super, Magnificat, serm. 1. ex additis ad 9. tomum ultimus
- In Luc. 2. super, Fili quid fecisti nobis sic, serm. 1. ex addit. ad decimum tomum 2.
- In Luc. 6. super, Remittite & remittetur, serm. 1. ex 50. hom. 29.
- In Luc. 7. De muliere peccatrice serm. 1. ex 50. hom. 23.
- In Luc. 10. super, Qui uos spernit, me spernit, serm. 1. de ue. do. 24.
- In idem De Maria & Martha serm. 2. de uer. do. 26. & 27.
- In idem De eo, qui incidit in latrones serm. 1. de ue. do. 37.
- In Luc. 11. super, Domine doce nos orare, serm. 1. de uer. do. 28. qui integre descriptus est ex capite quarto libri quinti de sacramentis D. Ambrosii.
- In Luc. 12. super, Quis uobis habet amicum, serm. 1. de uer. do. 29.
- In idem De pharisæis extrinsecus paropsidem lauantibus serm. 1. de ue. do. 30.
- In idem De diuite agrum uberem habente serm. 1. ex 50. hom. 58.
- In Luc. 13. De ficulnea serm. 1. de uer. do. 31.
- In idem Si pauci sunt qui saluantur, serm. 1. de uer. do. 32.
- In idem De grano sinapis serm. 1. de san. 34.
- In Luc. 14. De cœna magna serm. 1. de uer. do. 33.
- In Luc. 15. De filio prodigo serm. 2. qui sunt de uer. do. 34. & ad erem. 27.
- In Luc. 16. De mammona iniquitatis serm. 1. de ue. do. 35.
- In idem De diuite & Lazaro serm. 1. de uer. do. 25.
- In Luc. 17. De iudice iniquo serm. 1. de uer. do. 36.
- In Luc. 21. super, Capillus de capite uestro, serm. 1. ex 50. hom. 14.
- In Luc. 23. De cruce & latrone serm. 1. de temp. 130.
- In Luc. 24. De discipulis euntibus in Emmaus serm. 1. de temp. 140.
- In idem De Iesu stante in medio discipulorum ser. 1. ex addit. ad X. tom. 4.
- IN IOANNIS** euangelium edidit Tractatus ab ore loquentis per notarios descriptos 124. continuatæ expositionis, ab initio uidelicet euangelij usque ad finem. huius operis nulla fit mentio in libris Retractationum, quia sit de numero **D**ictorum, sicut sunt etiam enarrationes in psalmos. Eius initium est, *Omnibus diuina scriptura.* Habuit quoque præter hos tractatus in idem euangelium sermones 42. uidelicet
- In Ioan. cap. 1. super, In principio erat uerbum, serm. 2. qui sunt de temp. 134. & de ue. do. 38.
- In idem super, In mundo erat, serm. 1. de ue. do. 39.
- In idem super, Cùm esses sub ficum, serm. 1. de ue. do. 40.
- In Ioan. 2. De aqua in uinum conuersa serm. 2. qui sunt de ue. do. 41. & de temp. 41.
- In Ioan. 5. De languido serm. 1. de ue. dom. 42.
- In idem super, Si ego testimonium perhibeo de me, serm. 1. de uer. do. 43.
- In idem super, Sicut pater suscitatur mortuos, serm. 2. de ue. do. 44. & de 50. hom. 22.
- In idem super, Scrutamini scripturas, serm. 1. de uer. do. 45.
- In idem

- A** In idem super, Non potest filius hominis à se facere quicquam, serm. 1. de 50. hom. 32.
- In idem super, Venit hora, & nunc est, quando mortui, serm. 1. de ue. do. 64.
- In idem super, Qui manducat meam carnem, serm. 1. de ue. do. 46.
- In Ioan. 8. De adultera serm. 1. de ue. do. 47.
- In idem super, Si manseritis in sermone meo, serm. 1. de ue. do. 48.
- In Ioan. 9. De cæco nato serm. 1. de 50. hom. 43.
- In Ioan. 10. De pastore, & mercenario, & fure serm. 1. de ue. do. 49.
- In idem De bono pastore serm. 1. de uer. do. 50.
- In idem super, Ego & pater unum sumus, serm. 1. de uer. dom. 51.
- In Ioan. 11. De Lazaro serm. 2. de ue. do. 51. & de temp. 104.
- In idem super, Qui credit in me, credit in eum, qui misit me, serm. 1.
- In Ioan. 12. super, Qui amat animam suam, serm. 1. de 50. hom. 37.
- B** In Ioan. 13. De cœna dominica serm. 1. ad erem. 28.
- In Ioan. 14. super, Ego sum uia, serm. 3. de uer. dom. 54. & 55. & de 50. ho. 34.
- In idem super, Quæ ego loquor, à me ipso non loquor, serm. 1. de ue. do. 56.
- In idem super, Pacem meam do uobis, serm. 2. de ue. do. 57. & de addit. ad X. Tom. ultimus.
- In idem super, Non turbetur cor uestrum, serm. 1. de uer. do. 58.
- In Ioan. 15. super, Vos amici mei estis, serm. 2.
- In idem super id, Surgit à cœna, serm. 1. de temp. 127.
- In idem super, Ego sum uitis, serm. 1. de uer. dom. 59.
- In Ioan. 16. super, Expedi uobis, ut ego uadam, serm. 1. de uer. do. 60.
- In idem super, Ipse arguet mundum de peccato, serm. 1. de ue. do. 61.
- In Ioan. 19. De Ioseph rogante Pilatum serm. 1. de temp. 132.
- C** In idem De sepulcro domini serm. 1. de temp. 133.
- In Ioan. 20. De Magdalenâ flente ad monumentum serm. 1. de temp. 152.
- In Ioan. 21. De manifestatione Christi ad mare Tyberiadis serm. 1. de temp. 148.
- In idem super, Petre amas me serm. 1. de ue. do. 62.
- In idem super, Diligis me plus his, serm. 1. de sanc. 24.
- IN ACTVS** Apostolorum protulit sermones quatuor, uidelicet
- In Act. 3. De ascensu Petri & Ioannis in templum serm. 1. de ue. Apost. 29.
- In Act. 4. super, Nemo quicquam possidebat proprium, serm. 1. de uer. Apost. 27.
- In Act. 9. De conuersione Pauli serm. 1. de sanc. 14.
- In Act. 10. De excessu mentis in Petro serm. 1. de san. 45.
- IN EPISTOLAM** ad Romanos dictauit libros duos, unum interpolatæ expositionis in uarios sparsim eius epistolæ locos, cùm adhuc presbyter esset apud Carthaginem: ubi cùm inter familiares suos epistola legeretur, & ipse ab illis interrogatus responderet, exceptus est ab interrogantibus ex huiusmodi responsis liber hic, qui incipit, *Sensus hi sunt.* alterum uerò librum continuæ expositionis aggressus est: sed, cùm in sola epistolæ salutatione librum unum consumpsisset, deteritus futuri operis magnitudine ac labore, destitit ab incepto; & librum hunc duntaxat, quem fecerat totius operis primum, sub titulo **INCHOATÆ EXPOSITIONIS** reliquit. eius initium est, *In epistola, quam &c.*
- His addidit in uarias eiusdem epistolæ sententias sermones decem, uidelicet
- In 7. ad Rom. super id, Cùm essemus in carne, serm. 1. de uerb. apost. 4.
- In idem super, Lex peccatum operatur, serm. 1. de uer. apost. 5.
- In idem super, Igitur ipse ego seruius, serm. 1. de uer. apost. 6.
- In idem super, Non, quod uolo bonum, serm. 2. de temp. 43. & 45.
- In idem super, Condeletor legi Dei, serm. 1. de temp. 47.
- In 8. ad Rom. super, Si Deus pronobis, quis contra nos? serm. 1. de ue. apost. 16.
- V u In idem

- In idem super, Humanum dico propter infirmitatem, serm. 1. de ue. apo. 17. **A**
 In idem super, Spe salui facti sumus, serm. 1. de ue. apo. 25.
 In 9. ad Rom. super, Miserebor cui uolueris, serm. 1. de ue. apo. 22.
 In idem super, Cuius uult, miseretur, De prædestinatione & gratia librum unum, incipientem, *Cum in sacris.*
 In idem super, Nam & Rebecca, usque ad illud, Nisi dominus Sabaoth, *Quæstionem unam, De causa electionis & reprobationis ad Simplicianum.*
IN PRIMAM epist. ad Corinth. capite sexto super, Nescitis quia corpora uestra, serm. 1. de ue. apo. 18.
 In 1. ad Cor. 7. super illud, His, qui sunt in coniugio, præcipio non ego, sed dominus, libros duos ad Pollentium, ostendens oportere eos, qui diuortium fecerunt, innuptos permanere. opus incipit, *Quæstio prima.*
 In 1. ad Cor. 9. super, Non sic pugno quasi aerem uerberans, serm. 1. qui est de ue. apo. 21. **B**
 In 1. Cor. 10. super, Tentatio uos non apprehendat nisi humana, serm. 1.
 In 1. Cor. 12. Quomodo nos exemplo membrorum diligere debeamus, serm. 1. de 50. hom. 15.
 In 2. Cor. 3. super, Litera occidit, spiritus uiuificat, De spiritu & litera ad Marcellinum librum unum, incipientem, *Lectis opusculis.*
 In 2. Cor. 5. super, Oportet omnes manifestari ante tribunal Dei, serm. duos, qui sunt de uer. apost. 19. & 20.
 In idem super, Legatione fungimur pro Christo, serm. 1. qui est de 50. hom. 49.
IN EPIST. ad Galatas, cum adhuc esset presbyter, composuit continuæ ac succinctæ expositionis librum unum, incipientem, *Causa, propter quam.*
 In 2. ad Gal. cum esset episcopus, scripsit De Petro & Paulo reprehensas epistolas duas ad Hieronymum: quarum una incipit, *Nunquam aequè, altera, Habeo gratiam.* **C**
 In 3. ad Gal. super, Si data est lex, quæ posset iustificare, serm. 1. qui est de uerb. apost. 13.
 In 5. ad Gal. super, Spiritu ambulate, serm. 1. qui est de uerb. apost. 3.
 In 6. ad Gal. super, Alter alterius onera portate, serm. duos, qui sunt de uer. apo. 23. & 24.
 In idem super, Mihi absit gloriari nisi in cruce, serm. 1. qui est ex additis ad x. Tomum 15.
IN EPIST. ad Ephesios capite tertio super, Ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, serm. 1. qui est de 50. ho. 3.
 In idem super, Peto non infirmari, serm. 1. qui est de uer. Apo. 7.
 In 4. ad Eph. super, Deponentes malitiam, serm. 1. qui est de temp. 221.
 In 5. ad Eph. super, Videte quomodo cautè ambuletis, serm. 1. qui est de ue. Apost. 26. **D**
 In 6. ad Eph. super, Pax fratribus & charitas, serm. 1. qui est de 50. ho. 17.
IN EPIST. ad Philippenes capite tertio super, Non sumus circumcisi, serm. 1. qui est de uer. apo. 5.
 In idem super, Secundum iustitiam, quæ ex lege est, serm. 1. qui est de temp. 221.
IN PRIMAM ad Thessalonicenses 3. super, Qui non uult operari, non manducet, De opere monachorum ad Aurelium Carthagin. episc. librum unum, in quo differitur, An monachi, negligentes Pauli præceptum, ad laborem cogendi sint. eius initium est, *Inuisioni tuæ sanctæ frater Aureli.*
 In 1. Thessalonic. 4. super, Nolo uos contristari de dormien. serm. 1. qui est de uer. do. 34.
IN PRIMAM ad Timotheum I. super, Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, serm. tres, qui sunt de uerb. Apost. 8. & 9. & 10.
 In prima ad Tim. 6. Quod radix omnium malorum sit cupiditas, serm. 1. qui est de 50. hom. 8.
 In 2. ad

- A** In 2. ad Tim. 3. super, Omnes qui uolunt in Christo piè uiuere, De conflictu uitiorum librum unum; quo ostenditur sine uitiorum persecutione neminem posse saluari; & incipit, *Apostolica uox.* quidam existimant eum non esse Augustini.
 In 2. Tim. 4. super, Prædica uerbum, in sta opportunè, serm. 1. qui est de 50. hom. 5.
IN EPIST. Iacobi dictauit episcopus Annotationum librum unum, auditorum diligentia collectum, qui incipit, *Duodecim tribus.*
 In Iac. 2. super, Qui offenderit in uno, ad Hieronymum epistolam unam, quæ est inter epistolas eius 29.
 In Iac. 5. super, Nolite iurare, serm. 1. de uer. apo. 30.
 In idem super, Confitemini alterutrum, serm. 1. de 50. hom. 12.
IN EPIST. I. Petri capite secundo super, Deposita omni malitia, serm. 1. de 50. hom. 20. **B**
 In 1. Pet. 3. De Christo prædicante spiritibus, qui erant in carcere, ad Euodium epist. 1. quæ est 99.
 In 2. Pet. 1. De uoce allata de cælo serm. 1. de uer. apost. 29.
IN EPIST. I. Ioannis à principio uidelicet usque ad dimidium ultimi capitis, tractatus 10. editos ad populum per octo dies paschalis festi. opus incipit, *Meminit sanctitas uestra.*
 In 1. Ioan. 1. super, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, serm. 1. de uerb. apost. 31.
 In 1. Ioan. 4. De non credendo omni spiritui, serm. 1. de uerb. apost. 32.
IN APOCALYPSIN scripsit episcopus Annotationum iuxta anagogen librum unum: quem nescio quis in homiliis decem & octo dissecuit, additis antè & post aliquibus uerbis, in quibus incipi ac finiri solent homiliae, fortè ut eas, sic diuisas, commodius in ecclesia legendas certis aliquot anni diebus exhiberet. sed uerisimile non est Augustinum de rebus tam obscuris tam breuiter ad populum dixisse. opus incipit, *In lectionem Reuelationis.*
HACTENVS Exegemata Augustini scripta: ex quibus, & alijs exotericis eiusdem operibus uarij autores collegerunt diuersa in diuinas scripturas explanationum uolumina. de quorum numero est Petrus Tripolitanus; qui, ut testis est Casiodorus, expositiones collegit in omnes Pauli epistolas. Beda etiam post eum idem fecit in totum Paulum, & in primam Ioannis epistolam. postremò Bartolemaeus Urbinaus Augustinianus congregauit in totum Bibliorum corpus explanationum Tomos duos ex dictis Augustini. de cuius uita & scriptis scripserunt Possidonius Calamensis episcopus, & Iacobus archiepiscopus Genuensis. Moritur B. Augustinus in urbe Hipponæ, cum à Vandalis obsideretur, temporibus Theodosij Iunioris anno domini 430.
D **A** **V** **R** **E** **L** **I** **V** **S** Casiodorus, uir clarissimus, Theodorici regis Italiae epistolarum magister, Romanæ urbis senator & consul, cum, relicto sæculo, monachus & abbas monasterij Rauennatis factus esset, omnes sæculares disciplinas, ac maximè eloquentiam in obsequium Christi conuertens, multa de diuinis scripturis interpretatus est: inter cætera uerò multo præstantius librum psalmodum, in quorum explanatione perstrinxit compendiosa & eleganti breuitate quicquid sanctus Augustinus in psalmodum tractatibus copiosissima enarratione profuderat, intermissis etiam de suo non contemnendis annotationibus, definitionibus, propositionibus, & axiomatibus nonnullis ex grammatica, dialectica, rhetorica, musica, geometria, astronomia, arithmetica, & alijs disciplinis; quibus, tanquam stellis, ac gemmis, nitidam operis sui texturam exornat; accommodatis rhetorico more ad singulos psalmodum breuibus præfatiunculis, in quibus argumentum, & diuisionem psalmodum in suas partes proponens breuiter explicat, quid unaquaque psalmodum parte contineatur. deinde in ipsa enarratione uerba, ac uersiculos psalmodum necessaria quadam ordinis consequentia artificiosè inter se connectens, anagogicè potissimum explanationi

planationi incumbit, omnia in Christum, finem omnium referens. demum in fine singulorum psalmorum apponit breuem à se dictorum epilogum; in quo ethicum aliquid anagogiæ immiscens, lectoris animum inflamat. Opus incipit, *Repulsis ali-*
quando in *Rhauennate urbe.*

SCRIPSIT item De institutione diuinarum lectionum libros duos, accedentibus ad sacra studia utilissimos; quorum initium est, *Cum studia secularium.*

ITEM compendium totius diuinæ scripturæ, quod MEMORIALE SCRIPTURARVM prænotauit.

IN CANTICA Canticorum commentarios, incipientes, *Salomon inspiratus.*

IN ACTA Apostolorum succinctam expositionem.

IN OMNES catholicas epistolas Annotationes.

IN APOCALYPSIN commentarium, cui titulum fecit COMPLEXIONES IN APOCALYPSIN.

DELINEAVIT etiam sciographiam tabernaculi mosaici iuxta exemplar à Moyse in uigesimo sexto Exodi capite descriptum: cuius picturam Beda se uidisse testatur in secundo libro De tabernaculo Moïsis. Floruit sub Iustinis seniore ac iuniore, moriturque anno 97. ætatis suæ anno domini 576.

AVRELIVS Prudentius Clemens, uir consularis, natione Hispanus, ex urbe Cæsaraugustana Palatinus miles; & Massaliæ consul, poeta sui temporis celebratissimus, & omnium disciplinarum uarietate ornatus, cum per quinquaginta & septem annos mundanis uanitatibus inferuisset, tandem, his in senectute relictis, totum se diuinarum scripturarum studio dedicauit: in quo multa carminibus scripsit, inter cætera uerò uolumen hexametri carminis, *Διπλοχαιῶν* idcirco prænotatum, quia in ipso ex omnibus historiis ueteris ac noui testamenti quasi duplicem cibum parasset. *διπλῶς* enim duplex, & *οὐχὶ* cibus. Legi quoddam huius operis fragmentum, cuius initium est, *Eua columba fuit.*

EDIDIT quoque iuxta morem græcorum in tria prima Geneleos capita, hoc est ab initio libri usque ad præuaricationem Adæ, & expulsionem eius de paradiso, commentarios tam sermone, quàm sensu celebres. Claruit sub Gratiano Aug. anno domini 380. cuius uitam Aldus Manutius ex operibus eius breuiter collegit.

B



BASILIVS, Cæsareæ Cappadocum episcopus, re & cognomine Magnus, quem nulla unquam aut sententia, aut uerbo errasse communis græcorum patrum consensus affirmat, ex Heleno Ponto, Ponti oppido, Basilio sacerdote & Eumelia nobilibus parentibus ortus, duorum episcoporum, hoc est Gregorij Nyssæ & Petri Sebastæ, frater, Gregorio Nazianzeno, & Ioanni Chryostomo arctissima fuit familiaritate coniunctus. hic in diuinis exponendis scripturis sicut summopere adamauit lucidas historici sensus interpretationes, moralibus quibusdam, iisdemque flagrantibus exhortatiunculis intermixtas; ita uehementer delectatus est exornare expositiones suas omnibus sæcularis literaturæ ornamentis. quod & præcipuè in nouem illis celebratissimis Hexaameron homiliis præstitit: quas usque adeò admirandæ elaboratæ dictionis cura, & orationis maiestate illustrauit, ut eloquentissimus ac doctissimus Gregorius Theologus non immeritò dixerit, tantum Basilij orationem omnes hominum sermones antecedere, quantum diuina uox humanas uoces. tantis quoque disciplinarum omnium, ac bonarum artium diuitiis; è media potissimum philosophia Peripateticorum depromptis, easdem homilias, sicut & cæteras explanationes suas, locupletauit, ut iure Christianorum philosophus, & philosophorum Christianissimus dictus sit. Quantum uerò existimauerit hoc diuinum Hexaameron

Axameron opus ueneranda patrum antiquitas, ostendunt inter alios Gregorius Nazianzenus, cognomèto Theologus, Gregorius Nyssenus, & Ambrosius, eruditissimi ac sanctissimi uiri: quorum prior in Monodia sua sic loquitur: MAGNVS Basilus, quo nemo sacra uolumina nec eloquentius, nec uerius, nec uberius enarrauit, scripsit Hexaameron: ubi de rerum principio diuinitus differit: quem ego quoties lego, ita me in conditoris amore, charitate, atque cognitione confirmo, ut nulla re magis mouear, aut oblecter. cui subscribens Gregorius, Nyssæ episcopus, in præfatione Hexaameron à se editi, sic ait: QUI legerunt diuinam illam patris nostri Basilij in magnum Mosem commentationem, non minus, quàm ea, quæ ab ipso Mose perscripta sunt, admirantur. & meritò, mea quidem sententia. nam quam rationem habet cum grano spica, quæ & ex illo prouenit, & illud est; uel potius quæ cum illud ipsum inuit, magnitudine tamen ab eo, & pulchritudine, & formæ differt uarietate: eandem rationem habere

B dicas cum oratione magni Moïsis, quæ à magno Basilio accuratius studio sunt elaborata. etenim quæ paucis ille uerbis complexus est, ea doctor noster sublimi philosophia sic adauxit, & cumulauit, ut non spicam, sed arborem effecerit, ad similitudinem grani sinapis, quod regno cælorum comparatum est. Hæc Gregorius. Ambrosius uerò hoc ipsum tanto in precio habuit, ut illud uersum è græco, totum & iisdem sententiis ac uerbis in Hexaameron à se compositum transfuderit. Eustachius quidam, uir disertus ac doctus, ut Iunilius Afer, siue Beda, in præfatione commentariorum in Genesim testatur, primus ad Syncleticam germanam suam latinum fecit hoc opus, quod græcè sic incipit: *Πρόσθετα ἀρχὴ τῶν περὶ τῆς τῆς κόσμου συστάσεως.* hoc est, *Conueniens principium ei, qui de mundi constitutione dicturus sit.*

SCRIPSIT etiam post Hexaameron in totum psalterium homilias plurimas, de quibus nunc tantum supersunt decem & septem in sexdecim psalmos habitæ, hoc est,

IN psalmum primum, 7. 14. 28. 29. 32. 33. 37. 44. 45. 48. 49. 59. 61. 114. 115.

SCRIPSIT item de paradiso in 3. cap. Gen. hom. 1.

ITEM de coercentis animi cogitationibus Homiliam unam, in illud, quod apud nos legitur Deut. 15. *Cave ne forte subrepat. &c.* & iuxta editionem LXX. habet *πρόσθετα σεαυτῶ*, id est, *Attende tibi.* Hanc homiliam nonnulli, falsa opinione ducti, tribuunt Zenoni, Veroneni episcopo, & inter eius sermones conscribunt.

IN principium Prouerbiorum homil. 1.

EDIDIT quoque in totum Esaïam iuxta sensum literalem enarrationem succinctissimæ breuitatis, apertam & elegantem; quam audio nuper à nescio quo in Latinum conuersam. ipse tantum græcè legi, & sic incipit, *Εύφραστε μὴ γυνέσθαι τὴν φύσιν ὑμῶν χειμῶνος ἢ σαββάτω.* hoc est, *Orate, ne fiat fuga uestra hyeme, uel sabbato.* Citantur ex hoc opere à Ioan. Damasceno testimonia libro 3. aduersus Iconomachos, & ab Oecumenio in comment. primæ ad Corinthi. cap. 3.

HABVIT etiam in illud Luca 12. de diuite, cuius ager fructus uberes tulit, homiliam unam.

ITEM in illud Luc. 18. Omnia, quæ habes, uende, ad diuites hom. 1.

ITEM in euangelij Ioannis initium homiliam unam. Rursus de Samaritidè in Ioan. 4. ad Flavianum lib. 1.

IN illud 1. Theff. 5. Semper gaudete, hom. 1.

MORITVR Basilus temporibus Valentis & Valentiniani imperatorum anno domini 380. cum ecclesiæ suæ præfuisset annis octo: illatusque est sepulchro maiorum, ubi auus martyr, & pater sacerdos sub Maximiano imperatore conditi fuerant. Scripserunt eius uitam disertissimo stylo quatuor diuini episcopi, Gregorius Nyssæ, Amphiloichius Iconiensis, Gregorius Nazianzenæ ecclesiæ antistites, & Helladius Cæsariensis episcopus, Basilij discipulus, & in episcopatu successor.

ex quibus Gregorius Nyffenus ad Hexaemeron Basilij duos sermones addidit, ut ea suppleret, quæ Basilii, morte præuentus, de hominis constructione absoluere non potuit. Hos Dionysius, exiguus Romanus uetustus autor, Latinos fecit, sic incipiens, *Veteris debiti exolutionem.*

BARPTOLEMAEVS Bononiensis, ordinis Prædicatorum, Scholastica theologia imbutus, scripsit Postillam in Lucæ euangelium, quæ incipit, *Facies quatuor circulos.*

ITEM in omnes epistolas canon. Postillam, incipientem, *Iosue sexto præcepit dominus.*

BARPTOLEMAEVS Paruus, ordinis Prædicatorum in Lucam postillam adhibuit, cuius initium est, *Oblatio iusti impinguat altare.*

BARPTOLEMAEVS Vrbinas, Eremitanus, uir planè doctus, & memoriam singularis, atque omnia ferè D. Augustini uolumina memoria tenens, contexit ex uariis sententiis, ac locis diui Augustini opus ingens, duobus Tomis distinctum, in explanationem totius diuinæ scripturæ. quod opus nuper Ioannes quidam Gastius, deleto ueri autoris nomine, & in eius locum proprio nomine in uoluminis fronte præposito, sibi satis impudenter usurpauit; & quod grauius est, transpositis, detruncatis, ac detortis quibusdam eiusdem operis locis ad Lutheranorum hæresim, utilissimum ac piissimum catholici autoris laborem contaminauit, & hæreseos suspicione notauit. Claruit sub Ruperto, Romanorum rege, anno domini 1410.

BEDA Venerabilis presbyter, & monachus, natione Britannus, genere Anglosaxo, patria Cantabrigiensis, cum adhuc esset puerulus, nec dum septimum teneræ ætatis annum expleisset, cœnobium B. apostolorum Petri & Pauli, quod in Anglia situm est, ad ostium Vuiti amnis in loco Ingirium appellato, ingressus est: in quo sub cura Benedicti primùm, & postea Ceolfridi, eius monasterij abbatum, monasticis institutis imbutus, & omnigena scientiarum eruditione instructus breui admodum tempore, & quod mirabilius est, inter assiduas monasticæ disciplinæ exercitationes, & continuam diu noctuque orandi, psallendi, legendi in templo curam tantum profecit, ut grammaticus græcè non minus, quàm latinè peritus, poeta, rhetor, historicus, astronomus, arithmeticus, chronographus, cosmographus, philosophus, & theologus euaserit in tantum illis temporibus admirandus, ut apud eius sæculi doctiores prouerbiū de eo diceretur, Hominem, in extremo orbis angulo natum, uniuersum orbem suo ingenio perstrinxisse.

IS IGITUR anno ætatis suæ trigésimo presbyter à Ioanne episcopo ordinatus, hortatu Accæ episcopi Eboracensis, ac multorum fratrum aggressus est scribere in uniuersam sacrosanctam scripturam diuersa explanationum uolumina, in quatuor ordines distincta, uidelicet in Rapsodias, Quæstiones, Homilias, & Commentarios. In Rapsodiis, siue Stromatibus, uel Collectaneis congregauit mysticas magis, quàm historicas expositiones, ex probatissimis ecclesiæ doctorum sententiis, dictisque hinc inde interruptim & interpolatim collectas, nonnullis etiam de suo insertis ad imitationem sensus eorum, ubi opportunum fuit, quod diuersi patrum sermones, ac periodi uel aptius inter se cohererent, uel breuiores & illustriores redderentur. & ne maiorum dicta furari, & ea, quasi sua propria, componere uideretur, nomina doctorum per singula interponere decreuerat, & quid à quo autore dictum esset, nominatim ostendere: sed, cum id ei nimis operosum appareret, primas tantum nominum syllabas in marginibus è regione cuiusque sententiæ apposuit; quæ postea librorum uel incisiua, uel incuria ex omnibus exemplaribus periit.

IN Commentariis, Quæstionibus, & Homiliis, in quibus frequentius & sermone, & sensu suo utitur, stylum habet nec omnino inelegantem, nec affectatè elegantiam curiosum, sed temperatum: qui nec uerborum multitudine fastidium, neque paucitate obscuritatem pariat, sed breui facilitate currat gratissimè.

Opera

A OPERA eius, adhuc eo uiuente, & semper noua scribente, tanto in precio habita sunt, ut ex ordinatione episcoporum Britannia in ecclesiis publicè legentur. Cumque in lectione Homiliarum eius nomen ex more autoris uenerabilis Bedæ presbyteri præfigerent, aliter eum, cum uiueret, prædicare non ualentes; obtinuit usque in hodiernum diem titulus, semel à principio attributus, ut Beda uenerabilis potius dicatur, quàm sanctus. uiuentem enim aliter nuncupare, quanquam uitæ sanctitate clareret, fas non erat. Moritur hic sanctus uir sub Leone imperatore anno ætatis suæ sexagesimo secundo, hoc est anno ab ortu Christi 734. die, quo ascensionis domini memoria celebratur.

Numerus & argumenta Exegematicorum Bedæ operum, ex quibus ipse partem in fine Anglicæ historiæ recensuit, hic est:

In tria prima Geneseos capita, hoc est ab initio usque ad eiectionem primorum parentum de paradiso Collectaneorum ex Basilio, Ambrosio & Augustino ad Accam Episcopum libri duo: quorum prior incipit, *De principio libri Geneseos.* hos typographi quidam Iunilio Afro perperam inscripsere.

In eadem rursus tria Geneseos capitula Collectaneorum liber unus, incipiens, *Istud capitulum.*

In prima uiginti quatuor Geneseos capita libri quatuor, incipientes, *Omnium librorum caput est.*

In rotum Geneseos librum Collectaneorum liber unus: cuius initium est, *In principio uitæ temporis.*

In Genesim Quæstionum liber unus. *Primo omnium, præceptor mi, inquiri mihi necesse est.*

In Exodum, Collectaneorum liber unus. *Hæc sententia Esdræ.*

In Exodum à uigesimo quarto capite usque ad trigésimum, De tabernaculo, & uasis eius, & uestibus sacerdotum libri tres: quorum exordium est, *Locuturi iuuante domino.*

In Exodum, Quæstionum liber unus. *Quædam mysteria.*

In Leuiticum, Collectaneorum liber unus. *Ab aliquibus interrogari solet.*

In Leuiticum, Quæstionum liber unus. *In exordio Leuitici quatuor genera.*

In Numeri, Collectaneorum liber unus. *In exordio Numeri.*

In Numeri, Quæstionum liber unus. *Prima nobis quæstio oritur.*

In Deuteron. Collectaneorum liber unus. *Sciendum sanè est.*

In Deuteron. Quæstionum liber unus. *Deuteronomion iuxta fidem.*

In Iesum Naue, Quæstionum liber unus. *Post mortem ergo Moysi.*

In Iudicum, Quæstionum liber unus. *Historia Iudicum.*

In Ruth, Quæstionum liber unus. *Videamus nunc de Ruth.*

In Samuelem Commentariorum allegoricæ explanationis ad Accam libri quatuor. *Quæcunque scripta sunt.*

In quintum & sextum capitulum tertij libri Regum De templo Salomonis liber unus. *Hortatur nos uas electionis.*

In quatuor libros Regum, Quæstionum libri quatuor. *Post librum Iudicum.*

In quatuor libros Regum iterum, Quæstionum triginta ad Nothelmum liber unus. *Quæ de libro Regum.*

In Paralipomenon, libri duo à Tritemio citati.

In Esdræ allegoricæ expositionis ad Accam libri tres. *Eximius sacræ interpretis.*

In Tobiam, allegoricæ explanationis liber unus. *Liber sancti pastoris Tobia.*

In Iob ad Nectarium episcopum, commentariorum libri tres, incipientes, *Adhortante te, immo potius compellente.* quos Basileæ typographi sub titulo Philippi Presbyteri seperato uolumine euulgarunt.

In Psalterium commentariorum uolumen locupletissimum: cuius initium est, *Quoniam illo auxiliante, sine quo omnis actio.*

In psalmum 52. latior commentarius, incipiens, *Cum plures clericos.*

IN PSAL-

IN PSALTERIUM ex hebraica ueritate Meditationum liber unus: in quo excerpta sunt omnes uersiculi ac sententiae, ad orationem pertinentes, insertis nonnullis precatiunculis, quod mens orantis, excitata & instructa Dauidicis uerbis, facilius & ardentius in Deum eleuari possit.

IN PROVERBIA Salomonis explanationis tam historicae, quam allegoricae, libri tres: quos quidam insertos Hieronymi operibus falso Hieronymi titulo praenotauerunt, cum eos liquidò appareat esse Bedae Presbyteri, & ab eo collectos ex commentariis ueterum patrum; ex quibus in explanatione 21. capituli nominatim citantur Gregorius in homiliis euangelicis, & in expositione capituli sexti & 21. Augustinus, & in expositione 30. cap. Hieronymus. Horum initium est, *Parabola graecè.*

IN ECCLESIASTEN liber unus, à Tritemio citatus.

IN CANTICVM Canticorum mysticae explanationis libri septem: in quorum primo confutantur errores Iuliani Celanensis, in Campania episcopi, uiri quidem eloquentissimi, & proximi ad Ciceronis facundiam; sed Pelagianae doctrinae assertoris; qui eloquentissima in hunc librum commentaria emisit; in quibus aduersus Dei gratiam disputans, docuit nos per arbitrium liberae uoluntatis posse bona facere, quae uolumus: quamuis per auxilium gratiae Dei facilius ea perficere queamus, quemadmodum uiatores iter & pedibus quidem agere ualent, sed minori absque dubio labore, cum illis equi, quibus uehantur, adfuerint. In quinque sequentibus libris totius Cantici expositio absoluitur. In septimo & ultimo libro colligitur breuis Cantici expositio ex his, quae D. Gregorius per cuncta opuscula sua sparsim de hoc uolumine disseruit: quae autor ipse in superioribus sex Commentariorum libris intacta relinquens, in ultimam librum, ueluti in totius operis coronidem, reseruauerat. Opus incipit, *Scripturus iuuante gratia.*

IN OMNES prophetas tam maiores, quam minores libri 18. hoc est, in Esaiam libri duo, in Ieremiam libri duo, in Ezechielem liber unus, in Daniele libri unus, in XII. prophetas minores libri 12.

IN MATTHAEI euangelium Annotationum libri quatuor. *Mos etenim scripturarum est.*

IN EVANG. Marci literaliter & mysticè ad Actam Episc. libri quatuor, qui incipiunt, *In expositione euangelij secundum Marcum,*

IN EVANG. Lucæ iuxta liter. & alleg. comment. ad Accam Episc. libri sex, *Mira uerè est, & uera mirè.*

IN IOANNIS euangelium Annotationum liber unus. *Hic est Ioannes Euangelista.*

IN ACTA Apost. hist. & myst. ad Accam Episc. liber unus. *Accepi creberrimas.*

IN ACTA Apostolorum Retractionum liber unus. *Scimus eximum doctorem.*

IN ACTA Apostolorum Quaestionum sex liber unus. *Quid indicat illud?*

IN OMNES epist. Pauli Collectaneorum libri 14. quos ex omnibus operibus D. Augustini, eisdem sententiis ac uerbis in unum coaceruatis, collegit eorum initium est, *Paulus Apostolus, qui cum Saulus.*

SVNT qui existimant hæc Collectanea, quæ nunc sub titulo Bedae satis confuso ordine & parum accommodata expositione circumferantur, non esse ea, quæ Beda ipse adunauit, sed quæ Barptolemaeus quidam Vrbinas Augustinianus, autor operis, quod MILLELOQUIVM AVGVSTINI dicitur, utcunque confarcinauit. sunt & qui hoc ipsum opus Floro Monacho tribuant.

IN OMNES epist. Catholicas libri 7. quorum quartus, qui est in epistolam Ioannis ad Accam Episc. ex homiliis Augustini super eandem epistolam excerptus. Operis totius initium est, *Dixit de hoc Iacobo Paulus.*

IN APOCALYPSIN Ioannis ad Eusebium mysticae explanationis libri tres, excerpti ex commentariis, quos Tyconius Afer, uir eruditissimus, in eum librum ediderat. *Dilectiss. fratri Eusebio.*

DE INTERPRETATIONE tam hebraearum, quam graecarum dictionum, quæ in utroque testamento habentur, liber unus, alphabetico ordine digestus. *HAEC apprehendens.*

De

DE Schematibus, & Tropis sanctae scripturae liber unus, ad intelligendas phrasas linguae coelestis necessarius; qui incipit, *Solet aliquoties in scripturis.* in quo aduersus graecos, qui gloriantur se troporum fuisse repertores, ostendit, nihil huiusmodi troporum (schematum ac figurarum in scriptis graecorum inueniri, quod non longè antea in sacris literis fuerit usitatum.

DE LOCIS terrae sanctae, qui in diuinis literis habentur, liber unus, ex opere Adamanni presbyteri abbreviatus. *Situs urbis Hierusalem.*

DE TEMPORIBVS liber unus; ad intelligendam supputationem temporum diuinae scripturae utilissimus. *De natura rerum, & temporum.*

IN LECTIONES, quæ ex utroque testamento per anni circulum leguntur, sermones nonaginta & octo, uidelicet De tempore septuaginta, & De sanctis octo & quadraginta.

BELLATOR, incerta ecclesiae presbyter, saecularis literaturae & sacrorum uoluminum eruditione illustris, multa dicitur in sanctas scripturas scriptissime commentaria: è quibus laudatissimi sunt in Sapientiam Salomonis libri septem. Vixit Ludonici Imperatoris temporibus anno domini 840.

BENEDICTVS Stendal, Germanus, ex Hallis oppido Saxoniae, in diuinis scripturis eruditissimus, & in philosophia saeculari nobiliter doctus, qui in gymnasio Erfordensi theologiam annis multis summa cum laude docuit, uita & doctrina illustris, edidit quaedam non spernenda lectionis opuscula: ex quibus exstant in quinque libros Moysi explanationum scholasticarum libri quinque. Clauit sub Friderico Imper. III. anno 1470.

BERNARDVS, Abbas primus cenobij Clareuallensis in diocesi Lingonensi, ordinis Cisterciensis, natione Burgundus, patria Fontanus, uita sanctimonia & praecara eruditione praestantissimus, sic ab infantia sacras literas imbibit, & per omnem aetatem memoria retinuit, ut quoties aut aliquid loqui, aut scribere tentaret, toties in uerba & sententias sanctarum scripturarum prorumpere cogeretur. unde & uniuersa scripta eius, quae nihil aliud, quam Centones diuinorum uoluminum dici queunt, undequaque ueteris ac noui testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematis, hisque adeo commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur. Modus docendi eius in sensibus mysticis indagandis, & in moribus formandis ferè semper uersatur. Oratio, ubique dulcis, & ardens, ita delectat, & ardentè incendit, ut ex suauiissima lingua eius mel & lac uerborum fluere, & ex ardentissimo eius pectore ignitorum affectuum incendia erumpere uideantur. Eius autem exegetica in diuinas literas monumenta hæc sunt:

IN Geneleos caput primum De sopore Adam sermo unus.

IN 1. Reg. 17. De Dauidis Monomachia sermo 1.

IN 3. Reg. 19. De fuga Heliae sermo 1.

IN 4. Reg. 5. De Naaman Syro sermo 1.

D IN principium psalmi 33. sermo 1.

IN psalmum 84. sermones 2.

IN psalmum 90. sermones 17.

IN psalmum 132. serm. 1.

IN Cantica Canticorum ex uariis locis sermones 8.

IN Esaiæ cap. 6. De uisione sedentis super folium sermones 5.

IN Esaiæ 7. De uerbis Esaiæ ad Achaz serm. 1.

IN Esa. 9. De nomine pueri admirando serm. 1.

IN Esa. 12. sermo 1.

IN Matth. 5. De septem beatitudinibus serm. 1.

IN Matth. 6. De oratione dominica serm. 1.

IN Matth. 15. De 7. panibus serm. 1.

IN Marci cap. 16. serm. 2.

IN Luc. cap. 1. De annunciatione dominica sermones 4.

IN salutationem angelicam ex eodem capite sermones 2.

X x In Luc.

- IN Lucæ cap. 10. De Martha & Magdalena ferm. 1.
Di Villico iniquitatis in Luc. cap. 16. tractatus 1. quem nonnulli alterius
 auctoris esse credunt.
 IN Luc. 24. De duobus discipulis euntibus in Emmaus ferm. 1.
 IN illud Ioannis 10. Qui ex Deo est, uerba Dei audit, ferm. 1.
 IN 1. Theff. 5. De oratione, petitione, obsecratione, & gratiarum actio-
 ne ferm. 1.
 IN Apocal. 7. De septem sigillis ferm. 1.
 IN Apocal. 12. De muliere, amicta Sole, ferm. 1.

EXTAT præter hæc insigne huius auctoris opus, quod eruditi omnes cæteris ip-
 sius laboribus præferunt; hoc est, in tria prima Cantici Canticorum capita ex-
 planationis Mysticæ atque Continuæ sermones octoginta sex, quos ultimo uitæ suæ
 anno coram monachis suis in solatium quotidiani laboris uiua uoce, & ex imo
 corde profudit: in quibus tantâ facundiâ diuinæ charitatis uim, atque sublimita-
 tem expressit, ut appareat illum omnes in se ipso cælestis amoris affectus, motus,
 & aculeos uero, ac uiuo spiritus sui experimento sensisse. Cætera huius libri ca-
 pita cum morte præuentus explicare non potuisset, Gilbertus Hollandus Cisterciensis,
 styli & spiritus Bernardi sectator, explere tentauit; editis ab eo loco tertij ca-
 pitis, **LECTULO MEO QUÆSIVI PER NOCTES**; ubi auctor ipse finierat, usque
 ad locum illum quinti capituli, **DILECTVS MEVS CANDIDVS, ET RUBICONDVS**,
 sermonibus octo & quadraginta: conantem autem ulterius explanando progredi,
 mors ex humanis abstulit, ueluti huic indignata; quod interruptum à se Bernardi
 laborem iterum continuare, & ad finem deducere uelle auderet. Moritur Bernar-
 dus anno ætatis suæ 63. ab ortu uero seruatoris nostri 1153. Eius uitam Guil-
 lelmus, abbas sancti Theodorici, scribere incepit: Arnoldus uero, abbas Bonæ-
 uallis, perfecit, & in quatuor libros digessit.

BERNARDINVS Gadolus, Brixianus, Camaldulensis abbas, uir bona-
 rum literarum, philosophiæ, & iuris canonici apprime eruditus, scripsit in
 omnes Bibliorum libros insigne annotationum opus. Claruit sub Maximiliano Im-
 per. II. anno domini 1496.

BERNARDINVS; natione Hetruscus, patria Senensis, ord. Minorum,
 uir uitæ sanctitate & miraculorum gloria clarus, labentis religionis suæ in-
 staurator, & auctor obseruantissimæ congregationis, scripsit more Scholastico, sed
 sermone magis aperto ac simplici in Apocalypsim librum unum: cuius initium est,
Beatus qui legit uerba libri huius. Claruit anno domini 1440.

BESSARION, Patriarcha Constantinopolitanus, natione græcus, amplif-
 simus ecclesiæ Romanæ cardinalis; Nicæus cognominatus, uir undecunque
 doctissimus, philosophus & orator græcè latineq; præstantissimus; inter multa
 præclara opera sua reliquit in illud ex Ioannis 21. capite, *Sic eum uolo manere*,
 librum unum. Moritur in legatione Galliæ anno domini 1473.

BONAVENTURA; qui & Eutychius græcâ uoce dictus est, episcopus
 Albanensis, natione Hetruscus, ex oppido Balneo regio, octauus Generalis
 minister ordinis Minorum, ob eximiam diuinarum rerum eruditionem à Grego-
 rio X. Pont. Max. in collegium cardinalium assumptus, tantam cum summa Scho-
 lasticæ theologiæ ac philosophiæ cognitione uitæ sanctitatem, & morum integri-
 tatem coniunxit, ut præstantissimus uir Alexander Halensis, præceptor eius, sæpe
 de ipso dicere consueuerit, *Videri sibi Adamum in Bonæuatura non peccasse*. Hic
 inter multa piissima opuscula, quæ uerbis ardentissimis & altissimis sensibus ad
 illuminandos animos, & inflammandas uoluntates legentium diuino succensus amo-
 re composuit, nobile quoque opus in Hexæmeron scholastico dictionis genere di-
 ctatum: cui De luminaribus ecclesiæ, siue De illuminationibus, siue De quinque
 uisionibus idcirco titulus est, quia in eo potissimum exponuntur quinque illæ ui-
 siones Dei, comprehensæ in ea sententia Moysis, **VIDIT DEVS, QVOD ESSET**
BONVM ET C. quinquies in principio Geneseos repetita: Initium operis est,
 In medio

A In medio ecclesiæ aperuit os eius &c. Diuiditur autem uniuersum opus in sermo-
 nes uiginti tres, tropologicis sensibus, flagrantibus sententiis, & abstrusis scho-
 lasticæ, mysticæque theologiæ arcanis refertissimos.

SCRIPSEIT item in psalmum 118. Scholasticam Postillam, incipientem, *Halle-
 luia, laus, gloria*.

IN Lucæ euangelium Scholasticam Postillam, quæ incipit, *Spiritus domini*.

IN Ioannem Postillam, quæ incipit, *In principio*.

EDIDIT quoque Meditationum uitæ Christi librum unum: in quo rudi quî-
 dem & impolito eloquio, sed efficaci & maximè ad cor penetrabili quatuor
 euangelia in unam historiam redegit, insertis de suo nonnullis meditationibus; in
 quibus ad excitandos & inflammandos lectoris affectus, Christi gesta secundum
 quasdam imaginarias representationes narrat, non solum prout res ipsæ euen-
 runt, sed ut etiam contingere, aut contigisse potuerunt. Quare cum in transcur-
 su huius operis legitur, Ita dixit, uel Fecit dominus Iesus: si illud ex ipsa euan-
 gelica narratione probari nequeat, non aliter accipiendum est, quam denota medi-
 tatio exigit. hoc est, perinde ac si diceretur, Mediteris pio animo hæc Iesum
 aut dixisse & fecisse, aut sic dicere & facere potuisse. Opus incipit, *Inter alia uir-
 tutum & laudum præconia*.

B FERTVR & eiusdem libellus ad lectionem Bibliorû introductorius, **PRINCIPIVM**
SACRAE SCRIPTVRÆ prænotatus; cuius exordium est, *Ostendit mihi dominus*
fluum magnum.

RELIQVIT item compendium metricum scholasticum utriusque Testam. uerfi-
 bus dimetris iambicis, libera solutaque syllabarum lege: quos ita disposuit, ut
 singula tetrasicha summam unius capituli contineant. Eius initium est, *Mun-
 dus fit in principio*.

MORITVR imperio uacante sub Gregorio X. in concilio Lugdunensi anno do-
 mini 1283. sepultus in templo Minorum Lugdunensi, relatusque inter diuos à Xy-
 sto IIII. Pont. Max. Eius uitam copiosè descripsit Octavianus Martinianus
 Suesanus, sacratissimi consistorij aduocatus.

BONAVENTURA Patavinus, Prior generalis Eremitarum, presbyter
 cardinalis tituli S. Cæcilie, edidit Sermonarium scholasticum in euange-
 lia totius anni, quod incipit, *Venit desideratus cunctis gentibus*. Floruit anno
 domini 1320.

BONINVS Mombrinus, Mediolanensis, collegit ex quatuor Euangelistis
 hexametro carmine dominicæ passionis ad Xystum IIII. Pont. Max. libros
 sex, quorum initium est, *Qui nimis absumpsi primos iuueniliter annos*.

BRVNO, primus Cartusiani ordinis fundator & institutor, natione Ger-
 manus, ex Colonia Agrippina, Remensis quondam ecclesiæ canonicus, & in
 gymnasio Parisiensi publicus magister ac doctor eximius, admirando quodam euen-
 tu defuncti hominis, qui inter funebres exequias iusto se Dei iudicio condem-
 natum magna ter uoce exclamauit, ad penitentiam conuersus, relicto sæculo in
 eremum Cartusiæ Cælesiensis secessit; ibique propositum monasticæ disciplinæ ual-
 de arduum instituit, orationibus continuis uacans, & assiduis studiis diuinarum
 scripturarum: in quibus etiam multos non contemnendæ expositionis libros reli-
 quit, præcipuè uerò pios ac breues in Psalterium commentarios, nudo, simpli-
 ciq; sermone conscriptos, quorum tale habetur exordium, *Psalterium est quod-
 dam musicum instrumentum*.

ITEM in omnes Pauli epistolas libros 14. quorum initium est, *Paulus non-
 dum Romam uenerat*. Claruit anno salutis nostræ 1081.

BRVNO, Archiepiscopus Coloniensis, edidit in quatuor euangelia com-
 mentarios non negligendos: quorum initium est, *Post Pentateuchum Moysi,*
ut noua ueteribus iungeremus. Extant in bibliotheca Bononiensi Prædicatorum. Idem
 quoque testatur se in Pentateuchum scripsisse.

BRVNO Herbipolensis, orientalis Franciæ episcopus, natione Germanus, A patruelis Conradi Augusti eius nominis secundi, sanctitate & eruditione celeberrimus, collegit ex orthodoxorum patrum explanationibus strictum & elegantem in omnes psalmos commentarium. cuius initium est, *Nona non cudimus, sed vetera renouamus.* Moritur sub Henrico Imper. 11. anno domini 1045.

BRVNO, Archiepiscopus Ruthenorum, monachus Casinæ, in Italia natus & eruditus, doctrinæ singularis & martyrij gloria inclytus, reliquit nobilis ingenij sui nonnulla immortalia monumenta: de quibus extant commentariorum in Genesim libri duo. Hic cum in Prussia euangelium summo fidei ardore prædicaret, martyrio à Prussiis coronatus occubuit anno domini 1010.

BRVNO, Senarum Thuscæ episcopus, scripsit in Apocalypsim non aspernamdam explanationem, quæ incipit, *Apocalypsis Ioannis, tot habet sacramenta.* His paucis uerbis B. Hieronymus.

VRGARDVS, ex ordine Prædicatorum, librum de situ terræ sanctæ reliquit, ad topographiam sanctorum uoluminum utilem. B

C



CAIUS Marius Victorinus, Afer, rhetor sui temporis præstantissimus, & ob præstantiâ artis suæ statuam in foro Traiani promeritus, præter illos tres libros, quos aduersus Arrium more dialectico conscripsit ualde obscuros, & uix doctissimis peruios, edidit commentaria in Apostolum: sed quod occupatus esset in eruditione sæcularium literarum, scripturas sanctas ignorauit. unde non potuit, quamuis eloquens, de his bene differere, quæ nesciuit: sed & hexametro uersu cecinit Maccabææ matris, ac septem filiorum eius agonem; cuius initium est;

Rex fuit Antiochus Syriæ ditissimus olim.

MVLTa de eius plausibili ad Christum conuersione refert Augustinus in libro octauo Confessionum capite 2. Claruit Romæ sub Constantio principe, rhetoricam docens, circa annum domini 360.

CALLISTVS Placentinus, canonicus Lateranensis diui Augustini, homo doctus & pius, & inter Italicos concionatores suo tempore præcipuus, commentarios edidit in Aggæum prophetam, à se pro concione explicatam; item commentarios in Ioannem, atque enarrationes in euangelia quadragesimalia: quibus adiecit uolumen exiguum de locis Palæstinæ, quos diuinæ literæ continent, addita geographica tabella, quæ totius operis, à se descripti, picturam oculis repræsentet. Edidit quoque opus chronicon super quatuor euangelia instar ephemeridis, in quo diligentem supputationem temporum ac dierum collegit, quibus dominus Iesus peregrinatus est in mundo; annotans annos ac dies, in quibus acta sunt singula, quæ gessit & locutus est Christus, & potissimum à baptismo usque ad ascensionem. Opus sic incipit, *Cum Christianæ professioni.* Claruit anno domini 1540.

CANDIDVS, regnantibus Commodo & Seuero Imperatoribus, circa annum salutis nostræ ducentimum pulcherrimos in Hexaameron tractatus edidit.

CAROLVS Bouillus Beromandius Samarobrinus, theologus mathematicus, & philosophus eximius, scripsit in psalmum centesimum decimum sextum De laude gentium librum unum; item in psalmum centesimum decimum septimum; De laude Hierusalem librum unum. scripsit item in psalmum LXXIX. & CXLVII. & in orationem dominicam anno domini 1520.

CATENA

CATENA Græca explanationum in totum librum Iob, sine nomine auctoris manu descripta in membranis, ac decentissimo ordine disposita, extat Genuæ in bibliotheca Saulia, collecta ex nouem ac decem orthodoxis græcis patribus: quorum hæc sunt nomina,

- | | | |
|-----------------------|------------------|---------------|
| Alexander Cappadociæ, | Dionysius, | Methodius, |
| Apollinarius, | Ephrem, | Nilus, |
| Athanasius, | Euagrius, | Olympiodorus, |
| Basilius, | Gregorius Theol. | Polychronius, |
| Chrysofomus, | Iulius, | Seuerus, |
| Cyrillus, | Iulianus, | Seuerianus. |
| Didymus, | Isidorus, | |

Operis huius initium hæc uerba habet: *Υπόθεσις μὲν ἡμῶν, καὶ σκοπὸς τῆ ἔργου, ἢ τῆς βίβλου τοῦ πολυαίθλου Ἰὼβ ἀνάπτυξις.* id est, Propositum quidem nobis est & scopus præsentis operis, egregij bellatoris Iob librum explicare.

CATENA Græca in totum euangeliorum corpus habetur Genuæ in bibliotheca Angeli Iustiniani Minoritæ, in membranis uetustissimis conscripta, & ab incerto autore ex diuersis græcis patribus collecta: quorum nomina hæc sunt,

- | | | |
|---------------------|-----------------------|--------------|
| Origenes, | Eusebius Cæsariensis, | Chrysofomus, |
| Victor Presbyter, | Titus Bostrenus, | Seuerus, |
| Isidorus Pelusiota, | Basilius, | Cyrillus. |

INITIA uerò expositionis in singulos Euangelistas hæc sunt,

IN MATTHAËVM, *Εὐαγγέλιον ἐστὶ λόγος περιέχων ἀγαθῶν ἀγγελῶν πραγμάτων, κατὰ τὸ ἄλλογον.* id est,

Euangelium est sermo, bonarum rerum annunciationem continens, iuxta id, quod rationi consonum est.

IN MARCVΜ, *Πολλῶν ἐστὶ τὸ κατὰ Ματθαῖον, καὶ εἰς τὸ κατὰ Ἰωάννην συνταξαίντων.* id est, Cum multi in euangelia secundum Matthæum, & secundum Ioannem commentarios composuerint.

IN LVCAM, *Ὡσπερ γὰρ ἐν τῷ παλαιῷ λαῶ πολλοὶ προφητῶν ἐπηγγέλλοντο.* hoc est, Sicut in ueteri quidem populo multi prophetiam annunciauerunt.

IN IOANNEM, *Οὗτος ὁ ἀγγελιστὴς πατρίδος μὲν ἡ.* hoc est, Euangelista hic patria quidem fuit & c.

CATENA Explanationum in omnes epistolas Pauli sine nomine auctoris, nuper inuenta, in inclyta Venetorum academia seruatur.

CATINA Syrus, cognomento λεπίδος, id est Acutus & ingeniosus, breuem edidit in primum caput Ezechielis disputationem: cuius meminit Hieronymus libro 1. comment. in Ezechielem, referens summatim expositionem illius super uisione rotarum, & animalium.

CAESARIVS, Monachus Cisterciensis, sermones scripsit in euangelia festiua. *Botrus Cypri, dilectus.* anno domini 1220.

COELIVS Pannonius, sanctorum uoluminum studiosus, Collectanea scripsit in Apocalypsin non pœnitenda; quorum initium est, *Multis olim, nec dubiis modis.* Floruit anno domini 1540.

COELIVS Sedulius, presbyter, natione Scotus, Hidelberti Scotorum archiepisc. ab ineunte ætate discipulus, qui, uelut alter Apollonius Tyaneus, fugientem sapientiam toto terrarum orbe perquirens, Britanniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam, & Asiam miro discendi ardore perlustrauit, tandemque Romæ diuinis & humanis doctrinis illustris, sub Theodosio Augusto floruit carmine excellens & prosa, scripsit Mirabilium diuinorum libros quatuor:

Xx 3 in quibus

in quibus hexametris carmine breuiter coarctauit uniuersa utriusque testamenti miracula. Operis initium est,

Cum sua gemiles studeant figmenta poeta.

RELIQVIT etiam commentariorum, seu magis annotationum in omnes Pauli epistolas soluta oratione libros 14. ex Origene, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino nominatim citatis collectos: quorum initium est, *Sciendum est, quod in hoc proemio.* Moritur sub Theodosio Iuniore anno domini 450.

CEDMONVS, simplex monachus, poeta haudquaquam aspernandus, circa annum domini sexcentesimo septuagesimo per omnes ferè Bibliorum historias poemata edidit:

CLAVDIVS Altifiodorensis, scholasticæ theologiæ peritissimus, scripsit commentarios in epistolas Pauli, quos mihi legere non contigit.

CLAVDIVS, Clasitanæ ciuitatis abbas, D. Gregorij papæ discipulus, de Heptateucho, de libris Regum, de Prouerbiis, de Cantico Canticorum, de prophetis, Gregorio papa differente, multa, licet non eodem sensu, collegit, & in commentarios redegit: quorum meminit D. Gregorius in epistola ad Ioannem Rauennæ subdiaconum. Claruit anno domini 600.

CLAVDIVS Guillaudus, patria Belliocensis, apud insignem Eduorum ecclesiam præpositus, & canonicus ecclesiastes, uir diuinarum scripturarum studiosissimus, scripsit in omnes diuini Pauli epistolas commentarios, quos COLLATIONES nuncupauit, opus sanè eruditum, breue, elegans, & ualde necessarium: in quo omnes ferè optimorum selectissimorumque doctorum tam ueterum, quam recentiorum explanationes lucida & aperta breuitate perstrinxit hoc ordine. Primum explanat diligenter singulas cuiusque capituli epistolæ sententias: quo absoluto, statim antè, quam sequens capitulum aggrediatur, locos capituli præcedentis, qui in speciem pugnare uidentur, ad concordiam reuocat. Demum dictiones quasdam, ac phrasas obscuriores iam præexpositi capituli, suis diffinitionibus adhibitis, explicat. Scripsit quoque eadem explanationis methodo in euangelium Ioannis commentarios, quorum initium est, *Diciturus Ioannes.* itemque in omnes catholicas epistolas commentarios, qui incipiunt, *Status epistola.* Claruit sub Carolo V. anno domini 1540. Opus incipit, *Inter omnes epistolas.*

CLAVDIVS, natione Scotus, monachus Benedictinus, Bedæ Venerabilis discipulus, Albini Leuitæ collega, diuinæ scripturæ studiosissimus, & sæcularis doctrinæ non ignarus, tam pedestri oratione, quam carmine conspicuus, edidit stylo succincto, & simplici.

IN Pentateuchum Moyfi commentariorum libros quinque.

IN Iosue librum unum.

IN Iudicum librum unum.

IN Ruth librum unum.

IN Matthæum librum unum. Claruit sub Carolo Magno Aug. anno domini 800.

CLAVDIVS à Monte Martyrum, Gallus, Carmelita doctor, theologus Parisiensis, edidit enarrationes succinctas in Apocalypsim ad Ioannem Cardinalem Bellayum. Harum hoc est initium, *Apocalypsis subaudiendum hæc est.* Claruit anno domini 1550.

CLAVDIVS Seifellus, Sabaudienfis, episcopus Masiliensis, & postea archiepiscopus Taurinensis, scripsit eleganti stylo in tria prima Lucæ capita de triplici statu uiatoris ad Leonem X. uolumen ingens, pluribus diuisum tractatibus: in quo moralem maximè explanationem secutus, in primo capite euangelij poenitentium statum sub persona Helizabet, & Zachariæ describit; in secundo sub ortu præcursoris ac redemptoris typo perficientium uitam; in tertio de statu perfectorum allegoricè ac mysticè pertractat. Opus incipit, *Magnum & memorabile quiddam.* Claruit anno domini 1490.

FVIT & alter Claudius Taurinensis episcopus, ab ecclesia damnatus, qui contra cultum sacrarum imaginum scripsit.

CLEMENS

A CLEMENS, prænomine T. Fluius, Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, Panchæni Stoici philosophi & martyris discipulus, ac post eius mortem in schola eiusdem successores, Origenis & Adamantii præceptor, scripsit insignia uolumina plena eruditionis & eloquentiæ tam de sæculari literatura, quam de sacris scripturis. è quibus inter cætera feruntur Υποτυκωσεων, hoc est Informationum libri octo: in quibus, ut Eusebius libro 6. historiæ ecclesiast. scribit, uniuersam pariter scripturam diuinam compendiosis dissertationibus explanauit, nec ea quidem præteriens, quæ Apocrypha à quibusdam appellantur. Idem in primo libro Stromat. suorum promisit se in Genesim scripturam. quod & postea luculenter, & ex integro in totum librum præstitisse à quibusdam affirmatur: quibus ego fidem nec astruo, nec temere infringo. Claruit Seueri, & Antonini eius filij temporibus anno domini 200.

B CLEMENS Araneus, Ragusinus, ordinis Prædicatorum, prouinciæ Dalmatiæ alumnus & incola, theologus scholasticæ exercitatione non ignobilis, & lingua sua in declamationibus facundissimus, edidit in modum scholasticæ Iesuræ expositionem in epistolam Pauli ad Romanos, insertis uariis quæstionibus, earumque solutionibus unà cum nonnullis disputationibus, quibus præcipuè Lutheranos hæreticos ualidisimè confutauit. Operis initium est, *Paulus Apostolus.* Claruit anno domini 1546.

CLEMENS, Romæ post Petrum, ac Linum episcopus, scripsit in sacrosanctas utriusque testamenti scripturas opus omni ueneratione dignum De uerbis domini, quæ sibi contraria esse uidentur, & non sunt; & quæ sit horum absolutio. cuius laboris meminit ipse Clemens in tertio Recognitionum uolumine. Vide supra libro secundo in Clemente.

COLVMBANVS, primus fundator & abbas Luxouienfis cœnobij, natione Scotus, uir eximie sanctitatis, meriti, & doctrinæ, pater multorum milium monachorum, & monasteriorum plurimum fundator, diuini uerbi seminator egregius, ex Hybernia temporibus Mauritij Imper. ueniens in Galliam & Germaniam, uelut olim Druidum princeps, cultum diuinum latè propagauit, & cœnobiorum multitudinem auxit. hic, cum adhuc iunior esset, magnum studium tam prophanis, quam sacris literis impendit, & eleganti stylo plura scripsit, præsertim uerò in totum psalterium, commentariorum librum unum. Moritur sub Mauritio Imper. anno domini 598.

D CONRADVS Halberstadius, natione Germanus, Prædicatorum ordinis, publicus theologiæ professor, & in diuinis scripturis usque adeo exercitatus ac detritus, ut uniuersum uetus ac nouum testamentum memoria teneret, composuit ad imitationem Hugonis titulo S. Sabinæ cardinalis consimili labore Concordantias totius Bibliæ: in quibus non solum dictiones declinabiles, quod prius fecerat Hugo, sed & omnes indeclinabiles orationis partes iuxta alphabeti seriem adiecit, signatis non solum libris, ac librorum capitibus, sed capitulorum quoque lineis, in quibus quæcunque quæsitæ uox facillimè ac subito inueniri posset. Deditus olim in hoc opus; rogantibus amicis, breuè commentariolum, inscriptum De usu & utilitate concordantiarum sacræ Bibliæ; demonstrantes in ipso, quo ingenio prudens declamator ualeat ex hoc unico opere, etiam absque ullis sacrorum expositorum commentariis; cuiuslibet ferè loci; sibi de scripturis præpositi, phrasæ, sensus, & intelligentias multiplicè non minus facile, quam copiosè aperire, ac explicare; item qua uia inueniri queat in multis declamationum argumentis rerum enarrandarum diuisiones; definitiones; causas, partes, effectus, locos similes ac dissimiles, dissimiliumque locorum, & in specie pugnantium conciliationes; ac totius denique concionis locupletissimam suppellectilem comparare. Scripsit idem hic in Iob scholasticam Postillam, quæ incipit, *Vsque in tempus sustinui.* Claruit sub Adolpho Imp. anno 1290.

C CONSTANTINVS, presbyter Antiochenus, diuini Ioan. Chrysostrami discipulus, cuius etiam gratia persecutiones multas à Porphyrio; Antiochenæ ecclesiæ

clesiæ presbytero, passus est, collegit ex operibus eiusdem Chrysostomi expositionem in epistolam ad Hebræos, digestam in homilias 33. quarum prima, quæ magis est operis argumentum, quàm homilia, incipit, *Romanis scribens &c.*

CORNELIVS Magnanus, ad cantanda sacra poemata felici fidere natus, legit mihi heroici carminis uolumina tria, à se uenustissimè elaborata.

PRIMUM de uita Ioseph ab initio 37. capituli Geneleos usque ad quinquagesimum, libris duobus digestum: cui exordium est,

*Rursus in æthereis musarum fontibus ora
Tingimus.*

SECUNDUM de Dauidis monomachia in cap. 17. libri primi regum: cuius initium est,

*Inuictum pueri robur caelestibus auctum
Imperij.*

TERTIUM, cui **IUDITHA** titulus est, historiam Iuditha uiduæ explicans: quod incipit,

*Instructas armorum acies, atque horrida Martis
Bella canant alij.*

VIVIT adhuc anno domini 1566. Genuæ apud clarissimum uirum Baptistam Grimaldum, nobilitate, diuitiis, & uirtutibus inclytum.

CORNELIVS Musæus, episcopus Bitontinus, patria Placentinus, ex ordine Minorum, uir incomparabili ingenij felicitate præditus, omnibus tam diuinis, quàm humanis disciplinis excellens, uitæ ac morum probitate illustris, ita fuit ab ipsa natura ad exercendas eloquentiæ uires progenitus, ut à prima statim pueritia, hoc est à duodecimo ætatis anno publicum sacrarum declamationum munus aggressus sit, tanta omnium Italiæ urbium admiratione, applausu, & audiendi desiderio, ut ad pueri conciones, ueluti ad insueta miraculorum spectacula, innumerabiles populorum fierent concursus. deinde, crescente ætate, felicioribus eloquentiæ, eruditionis, & gratiæ incrementis adauctus, & per diuersos honorum gradus ad episcopatus dignitatem euectus, multa ad posteros laborum suorum immortalia monumenta transmisit. de quibus extant Conciones luculentissimæ Hetrusca lingua editæ, Gregorij Magni, Basilij Magni, Chrysostomi, & caterorum Græciæ patrum sermonibus propter doctrinæ, ac facundiæ maiestatem comparandæ. inter has autem ea maximè excellit, cui titulus est **DE BENEFICIO**, in illam ex euangelio Ioannis sententiam, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* in qua ipse omnes ingenij, eruditionis, & eloquentiæ suæ uires sic effudit, ut nec doctius, nec disertus quicquam eo in genere aut dici, aut excogitari potuerit. Habuit etiam in Concilio Tridentino disertam Hetrusco sermone concionem De persecutionibus, & uictoriis ecclesiæ in psalmum quadragiesimum quintum pro expeditione Caroli V. Imperatoris aduersus Lutheranos hæreticos; quos ipse Cæsar ad Albim, Germaniæ fluuium, admirabili prælio fudit anno domini 1546.

FEORVIT in concilio Tridentino clarus, uiuitque usque ad præsentem annum 1566. Eius eruditionem & eloquentiam Bernardinus Tomitanus, academiæ Patuinae philosophus, illustri panegyrico celebravit, reclamantibus tamen nonnullis eruditis uiris; qui conciones illius molestæ prolixitatis, iuuenilis affectationis, uanæque ostentationis uitio notarunt. in his Hieronymus, Veronæ episcopus, declamator ætatis nostræ celebris, & eloquentiæ presioris, ac neruosa, earum autorem conferre consueuerat minutarum rerum negociatori, omnium suarum mercium supellestem in nudinis expositam ostentanti.

COSMAS Indicoplenus prolegomena, seu præfationes in Psalterium græcas elucubravit; quæ Romæ in Vaticano habentur.

CHRISTIANVS, qui & Druthmarus, natione Aquitanus, presbyter Corbeienfis, & monachus S. Benedicti, græcè & latinè eruditus, & in sacris scripturis doctissimus, edidit ad monachos Stabulensium & Malmondariensium conobiorum,

Arum, sub uno abbate in diœcesi Leodiensi consistentium, breues commentarios in euangelium Matthæi, aperto ac simplici sermone conscriptos: in quorum præfatione etiam in alios Euangelistas se scripturum promisit: quod & fecisse dicitur. Quærit initium est, *Hunc titulum non fecit Euangelista.* Claruisse dicitur anno domini 850.

CHRISTIANVS Ischyrius, Iuliacensis, ephrasin concinnauit in septem pœnitentiæ psalmos; itemque in psalmos omnes, qui per horas canonicas in Mariæ laudem leguntur; in psalmos quoque, quos Romana ecclesia in defunctorum peruigiliis decantat. Claruit anno domini 1536.

CHRISTOPHORVS Marcellus, Venetus, Corcyræ archiepiscopus, reliquit in psalmum 13. **VSQVE QVO DOMINE OBLIVISERIS**, commentarium ecclesiæ pastore dignum: qui incipit, *Dauid propheta magnus.* Floruit anno domini 1520.

CHROMATIVS, Aquileiæ episcopus, patria Romanus, uir pietate & eruditione clarissimus, quem Hieronymus in præfatione Paralipomenon episcoporum sui temporis sanctissimum, atque doctissimum (quod raro inuenitur) appellat, edidit commentarios in Matthæum, eruditione ac pietate insignes: ex quibus ego subiecta fragmenta legi, uidelicet

IN MATTHÆI caput 3. super illud, **SINE MODO: SIC ENIM DECET IMPLERE OMNEM IUSTITIAM:** quod incipit, *Quapropter respondens dominus.*

IN MATTHÆI caput quintum ex integro, & in partem sexti capituli fragmentum; cuius initium est, *Videns autem inquit.*

ITEM de octo beatitudinibus in Matthæi caput quintum homiliam elegantem, cuius initium est, *Dat nobis fratres Conuentus.* Claruit anno domini 410. sub Theodosio.

CYPRIANVS, Carthaginensis episcopus, natione Afer, ante susceptam fidem gloriôsè rhetoricam docuit: sed, suadente presbytero Cæcilio, à quo & cognomen sortitus est, ad Christum conuersus, omnem substantiam suam pauperibus erogauit; ac post non multum in presbyterum & episcopum Carthaginis electus, multa piissima opuscula elegantissimæ phraseos, & Ciceroniano candori proximæ, ad ædificationem ecclesiæ scripsit. in quibus, ut Hieronymus ad Paulinum scribens ait, instar fontis purissimi lenis incessit & placidus. Ex horum numero fertur sanctæ ac uenustæ breuitatis explanatio in Dominicam orationem, cuius initium est, *Euangelica præcepta.* ex qua D. Augustinus protulit testimonia de peccato originali aduersus Pelagium libro 4. ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9. & libro 2. aduersus Iulianum cap. 1. Lactantius, libro quinto diuinarum institutionum Cypriani eloquentiam describens, his utitur uerbis: **VNVS** igitur præcipuus & clarus extitit Cyprianus, qui magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quaesierat, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. erat enim ingenio facilis, copioso, suauis, & quæ sermonis maxima est uirtus, aperto; ut discernere nequeas, utrum ornatio in loquendo, an facillior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit. Claruit anno domini 240.

CYPRIANVS, monachus Cisterciensis, commentarios reliquit in Matthæum, in Iob, & in psalmos 51. & 79.

CYRILLVS, Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, acumine ingenij, subtilitate iudicij, eruditionis uarietate, docendi facilitate, copiaque differendi celebris, & pietate sincera conspicius, reliquit in diuinas literas uarios ac penè innumerales interpretatiui generis labores, hoc est homilias ualde elegantes, (quas olim, ut Gennadius refert, Græciæ episcopi ad declamandum memoriæ commendabant) item epistolas, commentarios, & disputationes. ex his omnibus infra scripta duntaxat ad notitiam meam peruenerunt, uidelicet

In Pentateuchum opus Allegoricum, cui titulus & argumentum est, *Quod per annum Mosis scripturam Christi mysterium designetur.* sermones uerò, siue libelli,

sive distinctiones, siue potius tituli, quibus totum opus distinguitur, hi sunt: A

Quod in omni Mosis scriptura mysterium de Christo inueniatur, Præfatio, incipiens, *Ἐρωπᾶτε τὰς γραφάς*, id est *Scrutamini scripturas*.

In Geneleos caput primum De formatione Adami sermo primus, incipiens, *Paulus ille sacratissimus*.

In Gen. 6. De Nohe & Arca sermo secundus.

In Gen. 9. De nudatione Nohe sermo 3.

In Gen. 11. De turri & eius structura sermo 4.

In Gen. 14. De Abraham & Melchisedech sermo 5.

In Gen. 15. De Abraham & promissione ei facta in Isaac sermo 6.

In Gen. 22. De sacrificio Abraham & Isaac sermo 7.

In Gen. 24. De Isaac & Rebeca sermo 8.

In Gen. 25. De Esau & Iacob, duos populos figurantibus, sermo 9.

In Gen. 27. usq; ad 35. De persecutione Esau sermo 10. B

In Gen. 30. & 31. De his, quæ inter Iacob & Laban gesta sunt, sermo 11.

In Gen. 32. De Iacob, mittente nuncios ad Esau, sermo 12.

In Gen. 32. De nocturnaluctatione Iacob sermo 13.

In Gen. 37. De Ioseph, pascente oues patris cum fratribus, sermo 14.

In Gen. 38. De Iuda & Thamar sermo 15.

In Gen. 37. De Ioseph, Ismaelitis uendito, sermo 16.

In Gen. 48. De benedictione filiorum Ioseph sermo 17.

In Gen. 49. De benedictionibus Patriarcharum sermo 18.

Hos sermones ostendit nobis græcè conscriptos Ambrosius Mediolanensis, monachus Casinatensis, uir utraque lingua peritissimus; qui eos à se latinè uersos prope diem daturus est in lucem. subiectos uerò sermones in cætera Pentateuchi uolumina uidimus in uetustissimo græco codice scripto, quem nobis suppeditauit Angelus Instinianus Chyus Minorita, insignis theologus; qui nuper ex græcæ ruinis bibliothecam antiquissimorum orientalis ecclesiæ patrum monumentis instructam multo ære, ac labore collegit; eamque secum, ueluti sacrum quendam thesaurum, in Italiam aduexit. Sermonum tituli sic habent: C

In Exodi cap. 4. De tribus signis, à Deo Moyfi exhibitis, sermo 19.

In Exodi 12. De sacrificio agni sermo 20.

In Exod. 13. De consecratione primogenitorum sermo 21.

In Exod. 15. De Aqua Marath sermo 22.

In Exod. 16. De Manna & coturnicibus sermo 23.

In Exod. 17. De petra, in Raphidim percussa, sermo 24.

In Exod. 19. De monte inaccessibili, & Israel iuxta eum posito sermo 25.

In Exod. 24. De ascensu Mosis, Aaron, Nabad, & Abiud sermo 26.

In Exod. 32. De fabricatione uituli sermo 27.

In Exod. 34. De uelamine in facie Mosis sermo 28. D

In Leuit. 1. Quod passio Christi salubris est, sermo 29.

In idem Quod participes mysticæ benedictionis sancti & sacri undequaque erimus, sermo 30.

In Leuit. 14. De mundatione lepræ sermo 31.

In Leuit. 16. De Iudæorum synagoga, quæ ex infidelitate cecidit, sermo 32.

In idem Quod non semper ingrediatur Aaron in sancta sanctorum sermo 33.

In Numeri cap. 13. De exploratoribus terræ promissionis sermo 34.

In Num. 14. De Christo, & Iudæorum synagoga, & populi murmuratione sermo 35.

In Num. 15. Quod Christus factus est nobis panis uitæ, & de primitiis sermo 36.

In Num. 19. De uitula rufa sermo 37. In Num.

A In Num. 21. De serpente aneo sermo 38.

In Deut. cap. 20. De missis in bellum sermo 39.

In Deut. 21. De muliere captiua in unguibus abradenda sermo 40.

In Deut. 22. De boue, in foueam lapsa, sermo 41.

In Deut. 27. De lapidibus, trans Iordanem erigendis, sermo quadragesimus secundus.

In Deut. 31. De institutione & electione Iosue sermo 43.

SCRIPSIT quoque in decimum sextum Leuitici caput de Apopompeio, hoc est capro emissario, ad Acacium episcopum epistolam unam, quæ incipit, *Letitia quæ à sanctitate tua*.

FERUNTUR etiam sub Cyrilli nomine in Leuit. commentariorum libri sexdecim, à typographis nostrorum nimis impudenter excusi, cum neque commentariis sint, neque Cyrilli opus, sed homiliæ sexdecim Origenis extemporales, & ad populum habitæ. in quibus Origenes sæpe se excusat, quod temporis angustia coarctatus nequeat singulorum uerborum explanationi insistere, more eorum, qui per ocium commentaria scribunt; ac proinde se pauca admodum perstringere, magis ad adificationem auditorum, quam ad expositionem scripturarum. Apparet autem has homilias esse Origenis tam ex styli, quam ex dogmatum similitudine.

COMPOSUIT item in Esaiam libros quinque, eodem ordine in uarios sermones, siue sectiones diuisos: quorum initium est, *Obscura semper est sanctorum prophetarum oratio*.

DICTAVIT etiam in Daniele, in Oseam, & in Abacuch homilias plurimas, quæ in bibliotheca Vaticana seruantur.

SCRIPSIT præterea in totum Matthæi euangelium integræ & continuæ explanationis libros, siue tomos plures; ex quorum undecimo, & duodecimo tomis citantur testimonia in sexta synodo Constantinopolitana, & in secunda synodo Nicana.

ITEM in euangelium Ioannis libros duodecim, insertis toto passim opere multis aduersus Arrianos, aliosq; hæreticos disputationibus. Horum librorum quatuor intermedios, nempe quintum, sextum, septimum, & octauum, iniuria temporum absumptos, Iudocus Clitæus ex Chryostomo, & aliis patribus collectos suppleuit.

POST hæc edidit etiam in epistolam ad Hebræos commentaria: ex quibus magna, atque proluxa fragmenta, CYRILLI nomine prænotata, inueni partim apud Theodoretum in dialogo, qui inscribitur *INCONFVSVS*, partim apud Theodorum Monachum græcum in libro, cui titulus est, *Ὅτι ὁ πατήρ αὐτὸ γεννᾷ*, hoc est, *Quod pater semper generat*.

SCRIPSIT denique pro defensione utriusque testamenti disputationum libros decem aduersus Iulianum Imper. qui, septem editis uoluminibus, sacrosanctas scripturas oppugnerat.

CLARUIT Cyrillus in concilio Ephesino, cui Cælestini Papæ iussu præfedit anno domini 432.

CYRILLVS, Hierosolymæ episcopus, catholicæ & apostolicæ doctrinæ assertor ac propugnator clarissimus, scripsit in uarios diuinæ scripturæ locos homilias ac sermones plurimos; à quibus nunc extant orationes catechisticæ ad illuminatos decem & octo; quas Hieronymus asserit ab autore in adolescentia fuisse compositas. harum Præfatio sic incipit, *Iam est beatitudinis odor in uobis*. Extant item eiusdem in aliquot scripturæ sententias Mystagogici sermones quinque, in quibus de baptismo, chrismate, & eucharistia luculenter edisserit. Has cum superioribus è græco in latinum uertit Ioannes Grodecus. Claruit sub Theodosio principe, cuius tempore episcopatum, à quo sæpe fuerat pulsus, octo annis inconcussè tenuit. Moritur circa annum domini 380.

D



DAMIANVS MARAFFVS, Florentinus, collegit libros duos, quibus expressit præcipuas ueteris ac noui testamenti historias elegantissimis picturis, Alberti Durerij, Germani, præstantissimi pictoris, manu delineatis; additis ad singulas Hetruscis octastichis, cuiusque picturæ significationem explicantibus. Claruit anno salutiferæ incarnationis domini nostri IESV CHRISTI millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto.

DEFENSOR, doctus, pius, & uetustus theologus, in gratiam nutritoris sui Vrsini decerpit ex omni sacra scriptura locos quosdam communes diuerforum moralium argumentorum, adiectis etiam patrum antiquissimorum sententiis, quas prædictis scripturarum locis conformes esse inuenit. inscripsit autem opus suum. SCINTILLAS SCRIPTURÆ SANCTÆ, cuius principium est, *Lector quisquis es. Quo tempore floruerit, incertum est.*

DIDYMVS Alexandrinus, uir admirabilis, & omnis generis eruditione florens, cum admodum iuuenis esset, & prima grammatices elementa didicisset, in morbum oculorum incidit; quo ita malè affectus fuit, ut uisus amiserit acumen. Deus uerò illi pro corporeis oculis spirituales præstitit. nam & rhetoricam cæcus apprehendit, & ad philosophicam progressus, stupendo quodam modo dialecticam edidit; & arithmeticam, geometriam, musicam, & reliquas philosophorum disciplinas in animum suum recondidit. quin & diuina ueteris, ac noui testamenti oracula exactissimè tenuit, & Origenis Periarchon exposuit, & commentarios in illud euulgauit; quibus illa, quæ in ipso sunt, bene esse scripta contendit. Huic Antonius, magnus monachus, cum eo Alexandriam congressus, dixit: *NIHIL, ò Didyme, turbet te corporalium oculorum iactura: talibus enim destitutus es oculis, quibus & muscæ, & culices uidere possunt, sed lætare, quòd oculos habes, quibus angeli uident, & Deus consideratur, & lux illius apprehenditur.* Ad quam sententiam alludens D. Hieronymus, Didymi in sacris literis discipulus, in epistola ad Paulinum, *DIDYMVS*, inquit, meus, oculos habens sponsæ de Cantico Canticorum, & illa lumina, quæ in candentes segetes sublimare præcepit Iesus, procul altius intuetur, & antiquum nobis morem reddit, ut & uidens uocetur propheta. certè, qui hunc legerit, latinorum furta cognoscet, & contemnet riuulos, cum cœperit haurire de fontibus. imperitus sermone est, sed non scientia, apostolicum uirum ex ipso stylo exprimens tam sensus lumine, quàm simplicitate uerborum. Hic ergo plura & nobilia commentaria per notarios dictauit: quorum tota *ἐπιθυμία*, ut Hieronymus utar uerbo, allegorica fuit, & historiae uix pauca attingens. de quorum numero maximè insignia sunt.

COMMENTARIORVM in Iob libri tres,

IN Psalterium liber unus,

IN Esaiam ab initio 40. capitis usque ad finem tomi decem & octo.

AD Hieronymum Presbyterum in Oseam libri tres,

AD Eundem in Zachariam libri quinque,

IN Matthæum liber unus,

IN Ioannem liber unus,

IN epistolas Pauli libri quatuordecim,

IN epistolas catholicas libri septem.

CLARUIT sub Theodosio Magno anno domini 390.

DIEGVS DEZA, archiepiscopus Hispalensis, Toro nobili oppido Castellæ in Hispania ortus, ordinis Prædicatorum, in tota Hispania summus in rebus fidei censor, qui insigne Hispali Dominicanorum collegium construxit, inter

Ater cætera ingenij sui monumenta reliquit Monotessaron euangelicum pulcherrimis commentariis illustratum, quod nunc in bibliotheca eiusdem collegij magno uolumine, & elegantibus characteribus descriptum seruatur. Claruit anno domini 1500.

DIODORVS, Tarsensis episcopus, Ioan. Chrysoctomi in sacris literis præceptor, Antiochenæ quondam ecclesiæ presbyter, non minus sanctitate, quàm sacrarum literarum notitia clarus, Eusebij Emeseni sensus, & scripturarum intelligentiam, quam sibi imitandum sumperat, assecutus, eloquentiam tamen eius propter ignorantiam sæcularium literarum imitari non potuit. is itaque, ut refert Suidas ex Theodori historici autoritate, scripsit in diuinas scripturas infra scripta uolumina:

IN Pentateuchum libros quinque.

IN Regum libros, in Paralipomenon, in Psalterium; in Prouerbia, in Ecclesiasten, in Canticum Canticorum, in Prophetas commentarios ualde probandos.

BITEM in quatuor euangelia, in Paulum, in actus Apostolorum, & in epistolam Ioannis Euangelistæ nobiles commentationes.

ITEM de Theoriæ & Allegoriæ in sanctis scripturis discrimine librum unum. Theodoretus lib. 6. ecclesiasticæ historiæ cap. 3. ipsius mentionem faciens, sic scribit: *DIODORVS*, Tarsensis episcopus, multos libros conscripsit: & quoniam nudæ diuinarum scripturarum literæ erat intentus, theorias earum subuertit.

Atque hoc idem eidem tribuit Sozomenus lib. 8. historiæ eccles. cap. 2. iniquiens: *DIODORVM*, Tarsensem episcopum, audiui multos commentariorum suorum post se reliquisse libros, & sacras scripturas ad literam, theoria neglecta, exposuisse. Nicephorus quoque in 14. historiæ uolumine hæc addit: *DIODORVS*, Tarsensis episcopus, multos scriptorum suorum libros in utrunque testamentum reliquit: in quibus tantum in literæ ipsius expositione occupatus est, abstrusorem sublimioremque scripturæ sensum, & contemplationum speculationes declinans. qua in re etiam præcipuè sectatus est eum discipulus eius Ioannes Chrysoctomus. Floruit anno domini 360.

DIONYSIUS, Alexandrinæ urbis xi i i. episcopus, Origenis quondam auditor, omnibus disciplinis tam sacris, quàm prophanis imbutus, cum adhuc presbyter esset, sub Heraclæ scholam publicè tenuit, & magnam doctrinæ suæ gloriam acquisiuit: quanquàm in Cypriani, & Africanæ synodus dogma de hæreticis rebaptizandis consenserit. hic igitur scripsit eruditos in Ecclesiasten commentarios: quorum Procopius Gazæus in explanatione tertij capitis Geneseos meminit. Scripsit item in primam ad Corinthios enarrationem, cuius meminit Hieronymus in epistola ad Pammachium. Item aduersus Nepotem, episcopum Chiliastram, qui ex Apocalypsi Ioannis mille annorum regnum falsò astruebat, libros duos; in quibus de omnibus his, quæ in Reuelatione Ioannis continentur, diligentissimè, ac piissimè disputauit. Scripsit item aduersus Irenæum, Lugdunensem episcopum, Apocalypsin Ioannis carnaliter exponentem, librum unum: cuius meminit Hieronymus in præfatione libri 18. commentariorum in Esaiam. Moritur duodecimo Galieni anno, hoc est circa annum domini 270.

DIONYSIUS Leuius, Germanus, ex oppido Richel, Cartusiani instituti, in nobili Raremunda cenobio professor, uir eruditionis & sanctitatis summæ, contemplationi & orationi eo spiritus seruore, & ita assiduè insistens, ut miraculum sit, hominem, continua diuinorum meditatione abstractum, tam magnum uariumque uoluminum numerum, quantum nunc typis excusum habemus, scribere potuisse; hic omnes utriusque testamenti libros piissimis & clarissimis commentariis illustrauit, & iuxta triplicem diuinæ scripturæ sensum, & præcipuè literalem breuiter & apertissimè explicauit, secutus scholasticorum explanatorum consuetudinem, stylo tamen aliquantulum politiore, & inter ueteres

patres & recentiores scholarum sectatores medio. Citat autem nominatim non solum priscos autores, sed & ipsos scholasticos Hugonem, Bonaventuram, Thomam, Lyranum, & alios eiusdem professionis, ex quorum rapsodiis explanationes suas collegit, omisis eorum fastidiosis diuisionibus, ac subdivisionibus. Numerus autem commentariorum eius cum exordiis eorundem, à diuersis scripturarum sententiis more scholastico incipientibus, habes apud Tritemium. Claruit anno domini 1472.

DOMINICVS Buchius Catharensis, ordin. Prædicatorum, theologus scholasticus, edidit expositionem in septem psalmos pœnitentiæ, additis ad singulos piis precatiunculis: quam inscripsit Etyum elegantissimum in septem psalmos. Opus incipit, *Manna caeleste*. Claruit anno domini 1530.

DOMINICVS Leonus, Venetus, professione scholasticus, cuius multa uolumina in bibliotheca Dominicana Bononiæ seruantur manu scripta, exarant Postillam in Lucam, quæ incipit, *Principis superineffabilis*. Floruit anno domini 1368.

DOMINICVS Mancinus, poeta non ignobilis, hexametris carminibus librum unum emisit De passione domini, ex quatuor euangeliis collectum, qui incipit, *Non hominum laudes, nec & c.* anno domini 1494.

DOMINICVS Nanus Mirabellius, ciuis Albensis, artium doctor, cuius extat opus, POLYANTHEA prænotatum, anno 1470. collegit Monotesaron euangeliorum, sine Harmoniam ex quatuor euangeliis: in quo opere unâ cum sententiis euangelicis omnes autoritates, & sententias gentilium philosophorum, poetarum, & oratorum contexuit, quæ cum singulis euangeliorum locis concordare uiderentur, appositis nominibus autorum, quorum essent sententiæ. seruatur hoc opus conscriptum Genuæ in bibliotheca Prædicatorum cœnobij Castellensis. Nomina uerò autorum, ex quibus Harmonia contexitur, hæc sunt:

Septem sapientes Græciæ,

Seneca,

Ouidius,

Sibyllarum oracula,

Hermes Trismegistus,

Pythagoras,

Anaxagoras,

Empedocles,

Zeno,

Plato,

Aristoteles,

Aesopus,

Apuleius,

Mahomet,

Isocrates,

Tullius,

Homerus,

Terentius,

Virgilius,

Horatius,

Plautus,

Iuuenalis,

Persius,

Claudianus,

Lucanus,

Lucretius,

Plinius,

A. Gellius,

Macrobius,

Valerius Maximus,

A&or operis.

DOMINICVS Sotho, Hispanus, patria Segobiensis, ordinis Prædicatorum, Cæsareæ maiestati à sacris confessionibus, summus theologus, philosophus & orator, scripsit anno domini 1548. in epistolam ad Romanos commentarios, eruditione, stylo, ac præsertim methodo ualde probandos: in quibus literales primùm sensus apertissimè dilucidat: breuiter deinde propositis ac solutis omnibus tam ueterum, quàm recentiorum super hac epistola controuersis, afficiendis promouendisq; animis, quanta potest dicendi efficacia, insistit. Operis exordium hoc est, *Diffiteri porrò nequeo*.

DOROTHEVS, Tyri episcopus, qui sub Iuliano Augusto, religionis Christianæ desertore, martyrium passus est, collegit uniuersæ scripturæ sanctæ Synopsin, hoc est Contuitum: in qua omnium librorum utriusque testamenti argumenta breuissimè complexus est. Claruit anno domini 360.

DRACONTIVS Presbyter, Hispanus, scripsit in Hexaameron creationis mundi expositionem heroicis uersibus: cuius meminit Honorius Augustundunensis in catalogo.

ECCARDVS

E



ECCARDVS Germanus, Dominicanus, in Peripatetica philosophia omnium eruditorum sui sæculi princeps, & in diuinarum rerum scientia præstantissimus, acris ac subtilis ingenij, cuius nonnullæ scholasticæ propositiones propter obscuritatem, ambiguitatem, nouitatemque dictionum ex academiis theologorum explosæ fuerunt, scripsit scholastico more in Genesim, in Exodum, in Canticum Cantorum, in Sapientiam Salomonis, in Ioannem, in Orationem dominicam, in Euangelia festiua totius anni. Claruit sub Henrico Imp. VII. anno domini 1310.

ECKEBERTVS Benedictinus, secundus abbas monasterij S. Florini, natione Germanus, frater B. Helitabet uirginis, abbatis Schonaugiensis, scripsit non aspernendæ lectionis opuscula: de quibus uidi in principium euangelij Ioannis librum unum, qui incipit, *Mysteria diuini sermonis*.

EDWARDVS Leus, Anglus, scripsit annotationes aduersus annotationes Erasmi in nouum Testamentum, quæ excusæ sunt Moguntia anno 1520.

EGESIPPVS, genere Iudæus, uita & sermone Simplex, rededit ad formam græcæ historiae breui ac simplici stylo omnes Hierosolymitani regni actiones, quatuor libris Regum comprehensas, usque ad captiuitatem Iudæorum, muriq; excidium, & Babylonis triumphos: cuius ipse laboris meminit in præfatione quinque librorum De excidio Hierosolymitanæ urbis, qui nunc extant. Floruit uicinus apostolicis temporibus, peruenitque usque ad Antoninum Pium anno domini 160.

EINARDVS, qui & Eginardus, natione Germanus, Caroli Magni Augusti epistolarum magister, monachus postea Benedictinus, disciplinarum studiis & sanctissimis moribus admirandus, imitatus Bedam, consimili studio abbreviauit & ipse psalterium Gallicanum, colligens ex eo meditationes, preces, & gratiarum actiones, quibus ante Deum pius orator cor suum effundat. Claruit sub Carolo & Ludouico, eius filio, anno domini 860.

EPIPHANIVS, Salaminæ Cypri, (quæ postea, Hieronymo teste, Constantia dicta est) nel Salaminæ primùm, & postea Constantiæ, ut Suidæ placet, diuersarum Cypri urbiu episcopus, eremita quondam, & monachus solitudinis Aegypti, uir eruditione insignis, ac propter quinque linguarum peritiam Peripateticorum hostis, aduersus quos etiam opus edidit insigne, Panarion, hoc est Arculam medicam appellatum, scripsit librum ad intelligentiam multarum dictionum & characterum, quæ tam in scripturis, quàm in antiquis interpretum editionibus habentur, utilissimum: in quo tractat de ponderibus & mensuris in diuinis literis usurpatis, de diuinæ scripturæ partibus, de eiusdem interpretibus, deque accentibus, notis, & characteribus, quæ passim apud ueteres sacre scripturæ interpretes reperiuntur: cuius initium est, *Si quis uoluerit cognoscere*. Scripsit item Περὶ λιβάνου, hoc est De lapidibus, præsertim uerò de his, quorum mentio fit in sacris literis, librum unum; ex quo Arethas, Cappadociæ episcopus, in commentariis super Apocalypsim, & Hieronymus in commentariis super 53. caput Esaiæ testimonia produciunt. Edidit etiam De uita & interitu omnium prophetarum à Nathan propheta usque ad Ioannem Baptistam librum unum, ad intelligendos titulos, occasiones, & argumenta prophetarum uoluminum non inutilem. cuius initium est, *Nathan eiusdem ferè temporibus*. Composuit quoque in euangelium Lucæ libellum unum, PAVIMENTI titulo prænotatum: in quo confutauit omnia eiusdem euangelij loca à Marcione adulterata & falsata, docens simul regulas quasdam, quarum auxilio in sacris uoluminibus sinceræ & catholicæ scripturæ ab adulteratis hæreticorum scripturis deprehendantur, ac redarguantur. Quod quidem Pavimentum primo Panarij

narij sui libro hæresi 42. inseruit. Claruit sub Theodosio Augusto anno domini 390.

EPIPHANIUS, cognomento Scholasticus, natione & lingua Græcus, (cuius auxilio Casiodorus, consul Romanus & monachus, tripartitam ex Socrate, Sozomeno, & Theodoro, græcis autoribus, adunauit historiam) insigniores præstantissimorum patrum expositiones, ad Psalterium pertinentes, in unam collegit explanationum catenam: cuius initium est, ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΚΑΙ ΣΑΡΕΙΑΣ. Μνασιότιτος μὲν πατὴρ φύσει ἅπαντες ὀρεγόμεθα. hoc est, EUSEBII CAESARIENSIS. Omnes, quidem secundum naturam beatitudinem desideramus. Nomina uerò autorum, quorum expositiones in hoc opere continentur, hæc sunt:

| | | |
|---------------------|------------------------|---------------|
| Origenes, | Asterius Scythopoleos, | Apollinarius, |
| Athanasius, | Theodorus Heracleæ, | Theodoretus, |
| Eusebius Cæsareæ, | Theodorus Antiochiæ, | Cyrellus, |
| Basilus Cappadociæ, | Didymus, | Hesy chius. |

Claruit anno domini N. Iesu Christi 150.

EPHREM Syrus, diaconus & monachus, sermones plurimos syriaca primùm, ac deinde græca lingua edidit in uarios diuinæ scripturæ locos; ex quibus legi in Matth. 17. De transfiguratione domini homiliam unam, incipientem, *De regionibus messis gaudia.*

ERHARDVS, monachus Benedictinus, uir, quantum apparet ex fragmentis eius, qui in compendio allegoriarum Tilmanni leguntur, piè doctus, ingenio subtilis, & eloquio gratus, scripsit in Pentateuchum Mosis commentariorum non contemnendæ lectionis libros quinque. uixit anno domini 1050.

ESAIAS Patauinus, canonicus Augustinianus, in monasterio Charitatis Venetiarum educatus, commentarios italico sermone composuit in Canticum Cantorum Salomonis anno domini 1480.

EVAGRIVS, episcopus Antiochenus, monachus quondam & discipulus beati Macharij Aegyptij, uir græco & latino peritus eloquio, sic in episcopatu prioris uitæ abstinentiam, austeritatemque seruauit, ut miraculo haberetur. hic primus uitas sanctorum patrum scriptis commendauit, uariaque etiam in sacras literas scripsit. è quorum numero sunt in Prouerbia Salomonis pulcherrima commentaria. Claruit sub Gratiano Augusto anno domini 380.

EVCHERIVS, Lugdunensis ecclesiæ episcopus, natione Gallus, uir inter eos, qui pietatis, eruditionis, & eloquentiæ gloria floruerunt, insignis, multa in sacras literas præclari ingenij sui monumenta reliquit latino sermone conscripta, & elegantibus uerbis, argutisque sententiis florentissimè exornata. ex quibus Genadius opusculum recensuit de uariis & obscuris diuinæ scripturæ capitulis ad Salonium & Veranium, fratres, postea episcopos, duobus libellis distinctum: cui Isidorus addidit in Genesim, & in libros Regum ad eosdem Salonium & Veranium, iam episcopos, uolumen prolixum & doctissimum. pro quibus quidem operibus prodierunt olim ex officina Frobeniana, & nuper ex chalcographia Romana Pauli Manutij sub Eucherij titulo in Genesim commentariorum incontinuatæ & interruptæ expositionis libri tres, in quatuor libros Regum explanationis eiusdem generis libri quatuor, Formularum spiritualium ad intelligendas scripturas sanctas utilium liber unus. Hos tamen & eruditos fatear, & lectu dignissimos: non ausim tamen affirmare eos esse Eucherij, sed incerti potius, ac recentioris cuiuspiam collectoris, qui opus more centonum hinc inde collegerit ex dictis latinorum patrum, præsertim ex integris sententiis Gregorij, Isidori, Bedæ, & aliorum autorum, quos ducentis ferè annis præcesit Eucherius. uixit enim, ut ipsemet in epistola ad Valerianum testatur, Petronio Bononiensi antistiti synchronos, anno ab urbe condita 1185. hoc est anno ab orbe redempto 427.

Quod si in tanta scriptorum turba diuinare liceat, quis huiusmodi explanationum farraginem in aceruum congesserit; suspicor hunc fuisse Anglum, forteque etiam ipsum Bedam, cui potissimum studium fuit collectanea congregare ex scriptis

Apris ueterum doctorum, maximè uerò Gregorij Papæ, cuius nomen non semel in hoc opere citatum inuenitur; ueluti primo libro expositionis in Regum, sub cuius finem lector ad lectionem Moralium beati papæ Gregorij remittitur; & in tertio eiusdem explanationis uolumine, capite uigesimo secundo: quo sanè loco autor quodammodo subindicat se non multò post tempora Gregorij in Britannia uixisse; ita scribens: NOSTRIS nuper temporibus B. Papa Gregorius, euangelicis roboratus eloquiis, Romanam rexit ecclesiam; & reuerendissimi patres Augustinus, Paulinus, & ceteri eorum socij, iubente illo, uenere in Britanniam & c. Huic etiam coniecturæ altera accedit, quòd magna pars eorum, quæ hinc Regum commentariis continentur, legitur iisdem uerbis in uolumine Quæstionum Bedæ super libris Regum. possem quoque ad certiore huius nostri iudicij comprobationem hoc loco subnectere indicem innumerabilium locorum, qui tam in hos Formularum spiritualium, quàm in Genesios & Regum commentarios ex Beda & Gregorio transfusi sunt: sed eos, breuitati consulens, prætermitto, satis me fecisse existimans, si lectoribus hæc ita se habere indicarem,

B EDIDIT etiam Eucherius in uarios diuinæ scripturæ locos celebratissimas conaciones; ex quibus eruditissimus uir Claudianus, Viennensis episcopus, illi coætanus, in libris De statu animæ testimonium sumens, elogium eius breuiter his uerbis complexus est: ΗΑΥΔΟΥΑΟΥΑΜ Eucherium præterierim mihi nunc uidentem doctrina, & præsentaneis coram disputationibus cognitum; qui scilicet uiridid aui, maturus animi, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, ardens merito, ac perinde ingenij subtilissimus, scientiæ plenus, eloquij profluus, magnorum sui sæculi pontificum longè maximus, editis in rem fidei multiugis uariorum operum uoluminibus, ad populum quoque super animæ statu multa nobiliter conacionatus est.

C EVDOCIA, clarissima femina, Leonis Atheniensis philosophi filia, Theodosij Iunioris Augusti uxor, eximii corporis & animi dotibus insignis, Christianæ religionis perpetua cultrix, sacrorum uoluminum studiosa, & poetiæ artis gloria inter omnes sui temporis poetas præcipua, collegit breuiter ac summam ad imitationem Probæ, illustris feminae, ex græcis Homeri carminibus admirabili industria plurimas ueteris ac noui testamenti historias, seruata pedum mensura, & Homericæ carminis maiestate. quod opus, in compendium redactum, Ομηρομένητρα; hoc est HOMEROCENTONAS attitulauit. Asserit tamen Ioannes Zonara, græcus autor, patricium quendam doctum uirum hoc opus primùm collegisse, & postea imperfectum & indigestum reliquisse; Eudociam uerò demum absoluisse, & in ordinem redegisse, sicut declarat græca inscriptio heroicis uersibus operi præfixa.

D IDEM quoque autor narrat Eudociam, cum primùm ob singularem pudicitiam & egregiam formam esset marito charissima, in eius acerbum odium ob talem causam innocentem incidisse. Pomum, inusitata magnitudine sibi oblatum, imperator admiratus, uxori misit. id illa Paulino dedit, uiro erudito, eaque de causa sibi familiaris, rei ignarus, illud imperatori offert, ut rem miram. quo ille agnito & occultato, uxorem rogat, ubi sit malum ipsum missum. illa uerita, ne id suspicaretur maritus, quod iam suspicabatur, se comedis se respondit. uerum illo acrius urgente, iureiurando affirmat se iam comedis se. tum ira percitus imperator, pomum profert. sic, illa in manifesto mendacio deprehensa, suspicio mariti confirmatur: Paulinus uerò infons occiditur. Eudocia cum se inuisam esse cerneret, facultatem abeundi Hierosolymam petit. quò cum magnis opibus profecta, & templa ædificauit, & pauperibus eius loci monasteriis multa dedit. inde reuersa, post mariti obitum, eò rediit: ibique mortua est, non sine magna opinione sanctitatis, regnante Marciano Augusto, anno salutis nostræ 460. D. Hieronymus in epistola quadam ad Paulinum scribit, se Homerocentonas & Virgiliocentonas legisse; sed cuius, ipse non indicat. Isidorus Hispalensis refert Pomponium quendam nobilem poetam consimili studio multa ex Virgilianis uersibus adunasse. Aldus Manutius per uetustum uolumen Ομηρομένητρα sine auctoris nomine excusit; cuius initium est;

Κένυτε μυρία φύλα περιτόνων ἀνθρώπων. hoc est, *Audite infinita gentes circum habitantium hominum.*

EVLALIVS, Cynopoleos episcopus, uir in sacris eloquiis nobiliter eruditus, & iuxta nominis sui interpretationem optimè loquens, nec minus prosa, quam carmine præstans, scripsit in Canticum Cant. profocarmineam expositionem, hoc est carminibus, soluta oratione permixtis, compositam: cuius initium est,

Ὁς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἐτέχθης

Χρῖσε. hoc est,

Qui solus semperq; extas, semperq; fuisti
Christe.

CLARVIT in Constantinopolitana synodo anno domini 670.

EVSEBIUS, Cæsareæ Palæstinae, quæ prius Turris Stratonis uocabatur, episcopus, ob arctissimam cum Pamphilo martyre necessitudinem Pamphilus & ipse cognominatus, Dorothei Eunuchi uiri doctissimi discipulus, & bibliothecæ diuinæ unâ cum Pamphilo diligentissimus peruestigator, tanta sæcularium disciplinarum peritia, & diuinarum literarum exercitatione inter omnes sui sæculi episcopos claruit, ut nobilissimo Constantini Imperatoris elogio celebrari meruerit. is enim sæpe de ipso dicere consuevit, Felicem Eusebium, qui non unius urbis, sed orbis propè totius episcopatu dignus esset. Non defuere tamen qui cum Arrianæ hæreseos assertorem, & Nicænæ synodi deprauatorem scripserint, siue decepti similitudine appellationis & dignitatis, quas habuit communes cum Eusebio, Berythi primùm in Palæstina, & postea Nicomediæ in Bithynia episcopo, Arrianorum antesignano; siue ad id credendum inducti, quia Eusebius Cæsariensis in concilio Nicæno proponentibus Homoufii uocem assentiri noluerit, nisi post longam eius dictionis inquisitionem & examinationem. quod ab eo non malitiosè, sed ex sincero potius pietatis studio factum est. cum enim ex episcopis multi uocem Homoufii, tanquam multitudinem deorum, quam Arrius induxerat, excludentem, recipi uellent, plerique uerò episcopi eandem uocem acriter aduersarentur, tanquam inferentem dogma Sabellij, qui unam esse patris, filij, & spiritus sancti personam statuebat; & ob hanc sententiarum diuersitatem Eusebius diu hæsitaret, utri se parti adiungeret: Eustathius, Antiochenus episcopus, qui postea à Cyro, Beroensi episcopo, accusatus, depositus est, ipsum maledictis proscidit quasi Arrij fautorem, & Nicænæ fidei contaminatorem. Eusebius contra se neque Arrio fauere, nec Nicænæ fidem corrumpere, sed Eustathium Sabellij perfidiam introducere. deniq; cum declaratum esset à patribus per hanc Homoufii uocem non tolli distinctionem personarum, quæ eiusdem essent naturæ & essentiæ, decreto Homoufianorum subscripsit, & symbolum Nicænæ fidei, quod nunc in ecclesia decantatur, insu parum digessit; & cum diuinorum librorum esset studiosissimus, plura ad ipsorum elucidationem composuit uolumina, secutus in his Origenem, cuius admirator & sedulus fuit imitator. Horum, quæ ad totius diuinæ scripturæ intelligentiam pertinent, hæc sunt:

LIBRORVM omnium ueteris testamenti, qui in Canone hebræorum sunt, in græcam linguam translatio: cuius recordantur Socrates libro 1. historiarum, & Sozomenus lib. 2.

DE LOCIS hebraicis liber unus: in quo omnium montium, sylvarum, fluminum, urbium, oppidorum, uiculorum, aliorumque locorum, in sacris literis nominatorum, uocabula congregauit, & secundum ordinem literarum disposuit, atque exposuit. quod opus, ab imperito interprete malè uersum, Hieronymus iterum latinum fecit, resectis nonnullis, quæ non satis memoria digna iudicauit, & adiecta operi præfatione, quæ incipit, *Eusebius, qui à beato Pamphilo.*

ΤΟΠΟΓΡΑΦΙΑΣ τῆς ἁγίας γῆς, id est, **DESCRIPTIONIS** LOCORVM TERRÆ SANCTÆ **LIBER VNVS.** in quo distinctionem duodecim tribuum cum singulis earum oppidis, & urbis Hierosolymæ, eiusque templi uniuersam structuram geographica tabula depinxit, adiecta breui explanatione, quæ singulas totius pieturæ

Auræ partes explicaret. Meminit eius operis Hieronymus in supradicta præfatione.

DE DOCTRINA priscorum uirorum liber unus: in quo innumerabilia de uita ueterum patriarcharum fortitudine, pietate, prudentia partim historicè, partim allegoricè, & tropologicè interpretatus est. Meminit ipsemet huius operis libro 7. De præparatione euang. cap. 3.

ΕΚΛΟΓΩΝ, siue Collezanerorum diuinæ scripturæ liber unus: in quo, iubente Constantino Augusto, & sumptus omnes suppeditante, collegit ex sacris literis eos potissimum locos ac sententias, quas maximè ad ecclesiæ ædificationem & usum putauit conuenire; & in quinquaginta exemplaribus optimarum membranarum ab artificibus elegantissimæ scripturæ peritis multiplicari curauit. Mentionem facit horum codicum Theodoretus lib. 1. historiarum eccles. cap. 16. & ipse Eusebius lib. 4. de uita Constantini.

IN TOTVM Psalterium eruditissimi commentarij iuxta literalem & mysticam intelligentiam, & Origenis potissimum sensus: quos Eusebius Sardus, Vercellensis episcopus, resectis nonnullis, quæ parum sincera uidebantur; latinos occidentali ecclesiæ legendos exhibuit.

IN ESAIAM prophetam commentariorum iuxta historicam explanationem libri, ut Hieronymus in præfatione primi commentarij in Esaiam annotat, quindecim, uel, ut idem in libro De uiris illustribus numerat, libri uiginti. de quibus idem Hieronymus in præfatione quinti commentarij in Esaiam, *EVSEBIUS*, inquit, historicam expositionem titulo repromittens, interdum obliuiscitur propositi, & Origenis allegorica fata concidit. & rursum capite 18. eiusdem commentarij hæc addit: *EVSEBIUS*, historicam interpretationem titulo repromittens, diuersis sensibus euagatur: cuius cum libros legerem, aliud multò reperi, quàm indice promittebat. ubicunque enim eum historia defecerit, transit ad allegoriam; & ita separata consociat, ut mirer eum noua sermonis fabrica in unum corpus lapidem, ferumque coniungere.

IN VTRVQUE Testamentum, à Porphyrio quindecim libris impugnatum, uolumina triginta; ex quibus libros tres, hoc est decimum octauum, decimum nonum, & uigesimum scripsit pro defensione totius prophetiæ Danielis: aduersus quam Porphyrius duodecimum de quindecim libris, quos contra diuinæ scripturas emiserat, dictauit. Hieronymus in præfatione commentarij Danielis.

EVANGELICAE Præparationis libri quindecim: in quibus quanquam nullam afferat diuinorum uoluminum expositionem; Gentiles tamen, qui euangelica scripta essent lecturi, quasi initiis quibusdam instituit, & informat.

EVANGELICAE Demonstrationis libri uiginti, in quibus propter Indæos potissimum demonstrat, nihil in euangelio scriptum esse, quod non fuerit in lege & prophetis multis antea sæculis prædictum. qua occasione omnes scripturas, quæ in toto ueteri testamento de Christo loquuntur, luculenter exponit.

ΠΕΡΙ τῆς τῶν ἀγγελίων διαφορίας, id est, **De euangeliorum dissonantia** liber unus: quò omnes locos euangeliorum, qui in speciem pugnare uidentur, ad stabilem concordiam perduxit. Huius operis fragmentum De controuersia super tempore dominicæ resurrectionis inter Matthæum & Marcum nuper latinè uertit Ambrosius Mediolanensis, monachus Casinænsis.

EVANGELICORVM Canonum liber unus: in quo prouocatus studio Ammonij Alexandrini, qui unum ex quatuor euangelis collegerat, scripsit consimilis argumenti, sed diuersa ratione ad Carpianum Canones decem, ad cognoscendum, in quo Euangelistæ uel inter se similia, uel seorsum unusquisque propria dixerit. quod opus Hieronymus latinum fecit. Eius initium est; *Eusebius Carpiano fratri.*

IN EPISTOLAM primam ad Corinthios commentaria: quorum meminit Hieronymus in epistola ad Pammachium, quæ incipit; *Christiani pudoris.*

FLORVIT sub Constantino Magno, & Constantio circa annum domini cccxx.

Z z 2 cuius

Horum Canonum rationem & exemplum habes supra libro 3.

cuius uitam literis mandarunt Acacius, eius in episcopatu successor, & Eusebius A Emesenus episcopus. Apologiam uero eius doctrinae ex eiusdem operibus Socrates libro 2. historiae texiit.

EUSEBIUS, Episcopus Emesenus, cognomento Philosophus, ex generosis Edessa in Mesopotamia parentibus ortus, & a iuuentute sacris literis imbutus, deinde & graecis disciplinis Edessa instructus, secessit postea Antiochiam ad Euphronium, eiusdem urbis episcopum: a quo cum ad sacerdotium urgeretur, fugit Alexandriam, ibique philosophiam didicit. inde Antiochiam reuersus, mansit cum Placito episcopo, Euphronij successore, donec ab Eusebio episcopo Constantinopolitano Alexandriae episcopus in locum Athanasii adhuc uiuentis ac profugi ordinatus est. quam dignitatem cum recusasset, ueritus Alexandrinorum odium, a quibus Athanasius unice amaretur, missus est ad episcopatum Emesenum: qui cum in illius ordinatione disiderent, accusantes eum, quod mathematicam esset uisisset, fugam cepit; & Laodiceam ad Gregorium, eius ciuitatis episcopum, abiit: qui eum Antiochia restituit, iterumque Emesam a Placito & Narciso duci curauit. ubi iterum accusatus, quod cum Sabellio sentiret, paulo post ut innocens restitutus est. tandem uero ab imperatore Constantio, ad barbaros proficiscente, abductus est, ibique apud Persas per manus eius miracula facta sunt.

Is **ΙΤΑΟΥΣ** cum diuinos libros, interprete Eusebio Caesariense, & Patrophilo Scythopolitano episcopo, diligenter & acurate scrutatus esset, multa in ipsos edidit iuxta literam sensum commentaria, praecipue uero in Genesim; in quibus non solum Aquilae, Symmachi, & Theodotionis translationes, sed & Syram quoque editionem differuit. Superfunt adhuc in Catena graeca horum commentariorum fragmenta, quorum etiam meminit Hieronymus in Quae. hebr. taxans autorem ipsorum, quod exponens illud ex 22. cap. Gen. *Aries erat in uirgulto Sabech*, per Sabech interpretatus sit hircum; qui graecis cornibus ad carpendas frondes sublimis attollitur.

SCRIPSESIT & in epistolam ad Galatas commentariorum libros decem, & in euangelia homiliae, breues quidem, sed plurimas. Stylus eius, quantum coniecere possumus ex fragmentis, quae in Catenis graecarum explanationum, & in Dialogis Theodoretii supersunt, eandem praesertim elegantiam, quam ei tribuit Hieronymus; ita in libro de uiris illustr. scribens: **EUSEBIUS**, Emesenus episcopus, elegantis & rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit libros; magisque historiam secutus, ab his, qui declamare uolunt, studiosissime legitur.

PRODIERUNT proximis annis sub nomine Eusebij Emeseni Homiliae in euangelia totius anni, Lutetiae excusae: apparet tamen eas esse rapsodias, a latino scriptore, & ex latinis patribus confarcinatas. Stylus respicit aut Bedam, aut Rabanum, aut alium utriusque non dissimilem.

MORITUR sub Constantio Augusto, Antiochia sepultus, anno domini trecentesimo quinquagesimo.

EUSEBIUS, Vercellensis episcopus, natione Sardus, olim Romanae urbis lector, cum Dionysium filium, qui postea martyrio claruit, liberare uellet e manibus Arrianorum, qui eius simplicitatem ita deceperant, ut etiam eius subscriptionis pignus retinerent, Arrianum se esse finxit. cumque illi syngrapham ab eo, ueluti fidei obsidem, exigenter; ipse, accepto libro, in quo nomina Arrianorum scribebantur, prompte nomen suum ascripsit; statimque ad eos conuersus dixit, hoc sibi placere, quod illis; sed grauius se moueri, quod sibi filium Dionysium in subscribendo praeposuisent. Vos enim, inquit, qui dicitis, Dei filium, patri Deo aequalem esse non posse, cur mihi filium praetulistis? Qua illi ratione permoti, statim Dionysij chirographum delenerunt, priorem locum subscribendi Eusebio deferentes. quos ille increpans & irridens, ait: Neque ego me uestris sceleribus polluo, neque filium meum uobiscum participare permitto simul & hoc dicens, filium manu abstractum abduxit secum. Quamobrem a Constantio principe, Arrianorum fautore, Scythopolim, & inde Cappadociam relegatus, demum sub Iuliano Imperatore

A Peratore ad ecclesiam suam reuersus est; ibique ledidit in totum Psalterium commentarios, quos de commentariis Eusebij Caesariensis episcopi, in latinum a se conuersis, collegit, praetermissis multis, quae ad Arrianam haeresin inclinare uidebantur. Mortuus est sub Valente, & Valentiniano Augustis martyrio coronatus, anno domini 380. Eius encomium diuus Ambrosius duobus sermonibus conscripsit.

EUSTACHIUS, siue Eustathius, Antiochia episcopus, in magna Nicæna synodo clarus, qui aduersus Eusebium Caesariensem episcopum pro uoce Homousij grauius dimicauit, & a Cyro Beroensi episcopo accusatus, paulo post ab episcopatu depositus est, scripsit eruditissimos in Psalterium commentarios: ex quibus Theodoretus in Immutabili & Impatibili dialogis testimonia aduersus haereticos citat ex expositione psalmi 15. & 92. Scripsit quoque in illud ex 8. capite Prouerbiorum, *Domini possessit me &c.* librum unum, a Theodoro in praedictis dialogis citatum. Claruit anno domini 340.

B **EUTHALIVS**, incertae ecclesiae diaconus, natione graecus, uir pius & eruditus, descripsit graeco eloquio breuissimum compendium: in quo uitam, martyrium, & praecipue Pauli peregrinationem, & loca, & urbes, quas illustrissimus Christi Apostolus perlustrauit, strictissime coarctauit. quod ad intelligentiam libri actuum Apostolicorum maxime conducit. Opus incipit, *Paulus Apostolus.*

EUTHALIVS Rhodius, monachus S. Basilij, collegit graeco sermone opus Concordantiarum totius Bibliae ad imitationem Hugonis Carenis, anno domini 1300.

C **EUTHYMIVS** Zigabenus, monachus S. Basilij, diligens scripturarum expositor, collegit ex scriptis ueterum patrum, & praesertim Chrysostomi, quem saepe nominatim citat; commentarios elegantes, succintos, & aperte eruditos: in quibus iuxta diuersas editiones quadruplicem sensum, & in his maxime literalem omnium difficillimum secutus est. Operis initium est, *Περὶ τῆς πρώτης βιβλίας. Huius quidem libri autor.* Hos Commentarios primus omnium latinus fecit optimus & eruditissimus uir Philippus Sauius, Brugnatenis episcopus. Creditur quoque esse autor Catenae graecae, quae scripta in bibliotheca Vaticana seruantur. in qua ex dictis sanctorum patrum Graecorum alternatim dispositis quinque libri Moysi plenissime explicantur. cuius auxilio Aloysius Lippomannus, Veronensis episcopus, in contextu catenae suae super Genesim & Exodum usus est. Nomina uero autorum, ex quorum sententiis opus collectum est, haec sunt:

| | |
|----------------------|------------------|
| Philo Iudaeus, | Apollinarius, |
| Origenes, | Acacius, |
| Hippolytus, | Didymus, |
| Basilius, | Chrysostomus, |
| Gregorius Theol. | Theodoretus, |
| Eusebius Emesenus, | Cyrillus, |
| Isidorus Pelusiota, | Seuerianus, |
| Eustathius, | Ephrem, |
| Gennadius, | Gregorius Nyssa, |
| Theophilus, | Iustinus martyr, |
| Serapion, | Irenaeus, |
| Diodorus Charterius, | Philo episcopus. |

INITIVM operis est, *Θεοδωρὸν εἰς τὰ ἀποκρῆς τῆς θείας γραφῆς.* hoc est, *Theodoretus de ambiguis diuinae scripturae.* Claruit sub Alexio Imp. anno domini 1180.

EZECHIEL, Iudaicarum tragicarum poeta, dramaticum opus graecis carminibus scripsit. *Ἐξαγωγή* id est *EDUCTIONEM* praenotatum: in quo Moysi educationem, & educationem populi de Aegypto, eius uirtute factam, eleganter cecinit. Meminit huius operis Clemens Alexandrinus in primo Stromaton, citans ex eo uersus ferè quinquaginta. Claruit anno ante Christum 40.

F



FLAVIANVS, Episcopus Cōstantinopolitanus, ad quem beatus Leo Papa multas scripsit epistolas, uir quidem eruditus, & catholice ueritatis propugnator strenuus, qui Eutychem, presbyterum & archimandritam, impiè de Christi humanitate sentientem, excommunicauit, multasque ab hæreticis perpeffus est iniurias, scripsit græco sermone commentaria in Ioannis euangelium: quorum autoritas citatur à Theodoro, monacho græco, in libro, cui titulus est, *Quod pater semper generat, filius uerò semper generatur.*

Scripsit & in diuersa euangeliorum loca homilias plurimas, quarum nonnullæ citantur à Theodoro in Polymorpho. Claruit sub Martiano Aug. anno domini 454.

FOELIX, siue, ut alij scribunt, FELIX, natione Hetruscus, patria Pratenfis, ord. Prædicatorum, trium linguarum studio & eruditione solida insignis, Psalterium ex hebraica ueritate latine transtulit anno domini 1520. Meminit huius translationis Matthæus Aurogallus in libro suo de Hebraicis nominibus.

FORTVNATIANNVS, natione Afer, Aquileiensis episcopus, quem Hieronymus in catalogo uirorum illustrium numerat, imperante Constantino in euangelia titulis ordinatis breui & rustico sermone scripsit commentarios. & in hoc habetur detestabilis, quod Liberium, Romanæ urbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit, anno domini 330.

FRANCISCVS Bonadus, Angariæ presbyter, Santonensis, Aquitanus, Psalterium elegiaca paraphrasi exposuit, consimili quoque studio Pauli epistolas profecutus, sic incepit, *Paulus amore Christi sacer orbis. Apostolus almæ.*

FRANCISCVS Forerius, ex ordine Prædicatorum, natione Lusitanus, patria Vlysiptonenfis, theologus & philosophus summa eruditione insignis, Lusitaniæ regis concionator; latine, græcæ, & hebraicæ linguæ peritissimus, ac planè dignus, quem ob multiplicem rerum omnium scientiam sacrosancta Tridentina Synodus ad censuram totius Christianæ bibliothecæ unà cum plerisque doctissimis uiris eligeret, libros Iob, Davidis, Salomonis, & prophetarum omnium ex hebraica ueritate iterum de uerbo ad uerbum eo consilio uertit, ut uulgatæ editionis autoritatem confirmaret, eiusque autorem ostenderet sensum de sensu artificiosè expressisse. deinde uerò eosdem libros lucidissimis explicauit commentariis; in quibus uerum ac germanum literæ sensum aperiens, singulas hebraicæ scripturæ particulas, dictiones, & uocalia dictionum puncta summo studio, & exacta admodum diligentia expendit. peculiare linguæ sanctæ idiotismos ita elucidauit, & obscurissimos prophetarum locos sic illustrauit, ut nullum unquam opus in hoc scribendi genere prodierit in lucem, quod æquius possit Cornuopiz appellari. Viuit adhuc usque ad humanæ salutis annum 1566, doctrina & morum integritate celebris, & in sancta diuinorum uoluminum explanatione diu noctuque perseuerat.

FRANCISCVS Georgius, Venetus, ord. Minorum regularis obseruantia, cuius extat insignè opus De harmonia mundi, uir Platonice philosophiæ cultor, sacrarum literarum studiosissimus, & uaria multorum autorum lectione imbutus, edidit in selectiores quosdam locos totius diuinæ scripturæ problematum libros octo, eruditos quidem, sed ob Plonicas & Thalmudicas quasdam opiniones, quibus hinc inde resperfi sunt, censura graui ac diligenti dignos. Claruit anno domini 1510.

FRANCISCVS Gothus, ordinis Minorum, theologiæ professor, collegit compendium Biblicum, singula diuinorum librorum capitula singulis quatuor

A tuor dimetris iambicis perstringens, neglecta tamen pedum ac syllabarum mensura: quod sic incipit,

GENES. CAP. I.

*Antè fit; lux producitur;
Diuidens aquas congregat;
Ornatus factis additur;
Producta Adæ subiugat.*

FRANCISCVS Maronius, Minorita, Ioannis Scoti discipulus, in scholastica eruditione præstantissimus, & in diuinis scripturis suo tempore clarissimus, inter cætera doctrinæ suæ opera edidit Postillas annotationum in totam sacram scripturam memoria dignas. Claruit sub Ludouico Bauaro Imperatore IIII. anno domini 1320.

FRANCISCVS ab Obsunna Beticus, ordinis Minorum, scripsit super, *Missus est*, librum unum, & sermones in euangelia totius anni. Claruit anno domini 1530.

FRANCISCVS Ortizius, ord. Minorum, Hispanus, scripsit laudatissimam expositionem psalmi quinquagesimi, anno domini 1540.

FRANCISCVS Petrarcha, natione Hetruscus, uir undecunque doctissimus, latine linguæ multis iam sæculis extinctæ primus instaurator, Hetruscæ poeseos parens, & absque ulla contouersia princeps, inter Latinos quoque poetas non ignobilis, & ob egregiam latini carminis laudem in capitolio Romano lauream coronam publico totius Italiæ fauore consecutus, inter alia multa nobilissimi ingenij sui monumenta reliquit in septem psalmos pœnitentiales breuissimas paraphrases, in modum precatationum aptissime concinnatas, quarum initium est, *Domine Deus, pater misericordiarum*. Moritur sub Carolo IIII. Imper. anno domini 1374.

FRANCISCVS Puteanus, Cartusiæ Prior trigessimus tertius, utriusque iuris doctor præstantissimus, & in sacris scripturis exercitatus, composuit ad imitationem diui Thomæ Aquinatis Auream Catenam super psalmos; in qua explanationes patrum latine ecclesiæ in Psalterium, adiectis etiam eorum nominibus, maxima diligentia, miroque artificio congregauit. Operis initium est, *Lyra. Iste psalmus est compositus*. Claruit sub Carolo V. Aug. anno domini 1534.

FRANCISCVS Miletanus, theologiæ professor, scripsit in psalmum 18. commentarium, incipientem, *Psalmi huius*, anno domini 1500.

FRANCISCVS Ruizius, Hispanus, ex Valle Oletana, ordinis Benedictini, sancti Facundi abbas, cccxxxiiii. regulas, quæ ad totius diuinæ scripturæ intelligentiam plurimum conferunt, collegit ex omnibus tam græcis, quam latinis patribus, eorundem patrum sententiis, ac uerbis nihil immutatis; easque breuibus explanationibus, ex iisdem patribus uellicatim decerptis, illustrauit anno domini 1546.

FRANCISCVS Titelmannus, Hassellensis academiæ philosophorum apud Louanienses moderator illustris, relicto sæculo, ad institutum diui Francisci contulit: in quo diuinis scripturis assidue uacans, plurima piissima ac doctissima syntagmata in diuinis scripturas elaborauit, de quibus extant paraphrastica elucidationes in Iob, in Psalterium, in Cantica, in Matthæum, in Ioannem, in omnes Pauli epistolas, & in omnes Catholicas, unà cum Annotationibus in loca difficiliora eorundem librorum annexis. Claruit anno domini 1530.

FRANCISCVS Visdominus, Ferrariensis, ex ordine Minorum, celeberrimæ Bononiensis academiæ apud Franciscanos moderator, uir uitæ integerimæ, ingenij sublimis, eruditionis & eloquentiæ summæ, declamator sacrarum concionum tota Italia celebris, & ueluti alter Demosthenes, inuita ac prorsus reluctante natura præstantissimus orator effectus. nam, cum ei lingua & uox naturali quodam ac perpetuo offendiculo ita interrumpatur, sistaturque loquenti, ut primas dictionum syllabas in priuatis colloquijs iterum atque iterum cogatur anheando

helando repetere: sic tamen repugnantis naturæ malignitatem fortissimo laterum robore, & ualidissimo spiritu omnium conatu domat, expugnatque, ut miraculum sit, quomodo uir, lingua hælitans, & in familiari congressu uix summissa uoce uerba referens, poscit in publicis declamationibus expeditissima uoce, & solutissima lingua exactissime & gratisimè loqui, & quod mirabilis est, concitissimo orationis cursu ab exordio usque ad finem concionis inoffensa lingua decurrere, eodem semper actionis impetu, ac spiritus ardore, & eadem semper uocis magnitudine, ac fortitudine, rapiens conuoluensque secum auditorum animos instar rapidissimi torrentis hybernis niuibus aucti. Hic igitur priscum illum concionandi morem, Basilio Magno, Gregorio Magno, & Chrysostomo, cæterisque eloquentissimis patribus olim in ecclesia Dei usitatum, & multis postea sæculis extinctum, primus apud Italos reuocauit in lucem; editis Latina & Hetrusca lingua in omnes ferè diuinæ scripturæ libros eruditissimis disertissimisque iuxta literalem, ac tropologicam intelligentiam sermonibus. Floruit sub Carolo V. Augusto in concilio Tridentino multis aduersus hæreticos disputationibus clarus: uiuitque adhuc Romæ usque ad præsentem annum 1566. maximo cum fructu & admiratione Romani populi quotidie declamans, legens, & scribens, annos natus sex & quinquaginta.

FRANCISCVS Xymenius, à Cisneros, natione Hispanus, ordinis Minorum, S. Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis titulo, S. Balbinæ, archiepisc. Toletanus, archicancellarius Hispaniarum, edidit ad Leonem X. Pont. uniuersum uetus ac nouum testamentum, multiplici lingua, hoc est Hebraica, Chaldaica, Græca, Latinaque immensis sumptibus, laboribus, ac uigiliis maximam cum diligentia ab Vniuersitate Complutensi in Hispania impressum, accitis ad hoc operis undique terrarum tum in linguarum cognitione doctissimis uiris, tum exemplaribus castigatissimis ac uetustissimis, ex Vaticana & Medicea bibliotheca desumptis, uel à Venetorum senatu transmissis, aut aliunde, nulla expensarum, aut laborum habitatione, conquisitis. Huius tam magni operis dispositio sic se habet.

PENTATEUCHVS triplicem habet editionem, hebraicam uidelicet, chaldaicam, & græcam LXX. interpretum. cui connexæ sunt tres latinæ editiones, uidelicet Latina Hieronymi, hebraicæ ueritati respondens. Chaldaicæ alia Latina respondet de uerbo ad uerbum, à uiris eius linguæ peritissimis elaborata. Græcæ autem LXX. interpretum correspondet interlinearis latina traductio. Agiographi & prophetici libri duplici lingua excusi sunt, hebræa, & græca, cum aliis duabus latinis translationibus, illis correspondentibus. Chaldaica uerò iure omiſsa est, quia in cæteris libris præterquam in Pentateucho corrupta sit aliquibus in locis, & fabulis merisque Thalmudistarum nugis conspersa, & indigna prorsus, quæ sacris codicibus inferatur. Libri uerò, qui extra canonem sunt hebræorum, quos ecclesia ad ædificationem legit, græcam tantum habent scripturam, sed cum duplici translatione Hieronymi scilicet, & altera interlineari de uerbo ad uerbum.

AT NOVVM Testamentum græcum habet contextum cum Hieronymi uersione, nudis tantum literis conscriptum, sine ullis aut tonorum, aut spirituum notis, ad imitationem antiquissimorum græcorum; quos absque hisce accentibus, fastigiisque literarum scriptitasse Callimachi poemata uetustissima, & Sibyllina carmina, & marmorum uetustissima fragmenta indicant. nam, cum uniuersum nouum testamentum græcè scriptum fuerit, uoluit autor priscam in eo linguæ illius uetustatem, maiestatemque intactam retinere, & ad imaginem antiquarum scripturarum publicare; ne rei tam sanctæ autoritati, ac uenerandæ maiestati adiectitiis nouitiisque rebus detrimentum afferri uideretur. Cæterum, ne alicui dubium aliquod possit occurrere, in qua uidelicet syllaba accentum oporteat collocari, simplicem tantum apicem in polysyllabis dictionibus adiecit; & hunc quidem, non tanquam græcum accentum, sed tanquam notulam, signumque, quo dirigi possit lector, ne in prolatione, modulatione uel dictionum aliquando labatur.

APPOSUIT ultimo loco in fine totius operis copiosissimum dictionarium hebræorum,

Arum, chaldæorum, græcorumque uocabulorum: in quo non modò simplices dictionum interpretationes tam primitiuarum, quam deriuatiuarum continentur; sed, quod omnium operosissimum fuit, quot locis in ueteri testamento unaquæque hebraica dicitio propter linguæ illius fecunditatem multiplicet significata, adiectis quam plurimis concordantiis, continuo subiungitur.

PERFECTA sunt autem hæc nobilissima exemplaria, quæ uulgò Complutenſia appellantur, sub Leone X. Pont. Max. totoque Christianorum orbe summa cum laude inuulgata; & ex horum autoritate multi postea tam hebræi, quam græci, & latini codices in integrum restituti. Claruit sub Maximiliano Imper. anno salutis nostræ 1510.

FRANCISCVS Zamora, Hispanus, Minister generalis totius ordinis Minorum, in singulos uersus psalmi quinquagesimi singulas scripsit pulcherrimas homilias, numero 25.

FRANCISCVS Zichenius, Franciscanus, cœnobij apud Meclinienses gardianus, scripsit in septem uerba, quæ Christus ex cruce protulit, breuem & piam explicationem pro concione habitam. Claruit anno domini 1556.

FRIDERICVS Nausea, Blancicampianus, episcopus Viennæ Austriæ, sacre theologiæ & iuris utriusque doctor eximius, ecclesiastes & consiliarius Ferdinandi Romanorum regis, scripsit in exodi cap. 20. de Decalogo librum unum, in Tobiam quoque commentariorum libros duos, breues, elegantes, & ad morum institutionem summopere utiles: quorum prior incipit, *Qui adibus non una in parte.* item in Matthæum & Ioannem paraphrasin, & in euangelia totius anni homilias composuit. Claruit sub Carolo anno domini 1540.

FRIDERICVS Venetus in Apocalypsim dedit commentarios, italica lingua conscriptos, anno domini 1500.

FVLGENTIVS Ruspæ, in Africa episcopus, patria Carthaginiensis, eruditio nis & styli Augustiniani æmulator, scripsit in uarios diuinæ scripturæ locos nobile sermonum uolumen, ex quibus duo habentur in Homiliario Albin. Moritur autem in Circinna insula multis confectus curis anno domini D. Anastasij Imperat. temporibus, cum prius exilium, multaque alia grauissima incommoda à Vandalis, Arrianorum hæresin tuentibus, perpeſsus eſset.

G



D

ABRIEL Brunus, Venetus, Franciscanæ familiæ professor, prouinciæ terræ sanctæ minister, ordinauit Tabulam alphabeticam ex singulis libris & capitibus tam noui, quam ueteris testamenti; in qua summa cura & sollicitudine omnes historias, ac sententias, quo libro & capite inueniantur, indicauit. qua tabula multis post annis Conradus Pellicanus, & Robertus Stephanus, nouis accessionibus aucta, magnos inuulgarunt Bibliorum indices, locupletissimos quidem, & magnam commoditatem studiosis diuinorum uoluminum allaturos, si non eis inseruissent multa uariaque scripturarum testimonia, ad suas tuandas hæreses malitiosè, ac uolenter detorta. Claruit sub Alexandro Papa VI. anno domini 1496.

GABRIEL Brebia, Mediolanensis, monachus, scripsit ad Gregorium Mediolanensem monachum S. Petri in Gessate commentariolum, seu potius epitomen annotationum, quas iuxta literam ex Hieronymo & Lyrano collegit; adiectis ad calcem cuiusque psalmi piis ad Deum precationibus, sententiæ & scopo singulorum psalmorum, quibus proponuntur, accommodatis. Claruit anno 1490.

GALTERVS Disseus, natione Anglicus, Carmelita, uir sinceræ pietatis ac doctrinæ, concionator quoque illustris, scripsit in aliquot primos Psalterij psalmos.

psalmos librum unum. Claruit sub Venceslao Imper. anno domini 1390. **A**

GALTERIVS, Magolensis episcopus, ex Insulis oppido Flandriæ, uir longa diuinarum literarum exercitatione doctus, & sæcularium disciplinarum non in totum expertus, scripsit, rogatus à clericis ecclesiæ suæ, expositionis scholasticæ in totum Psalterium librum unum. Claruit anno domini 1230.

GANFREDVS Antifiodorensis, monachus Cisterciensis, Petri Abailardi quondam auditor, sed, ne fieret etiam imitator erroris, ad magisterium sancti Bernardi Clarauallensis se contulit; sub cuius disciplina institutus, non contemnendæ lectionis edidit opuscula: de quibus fertur in Apocalypsim Ioannis liber unus. Claruit sub Federico Imper. I. anno domini 1160.

GARICVS, Parisiensis scholæ doctor, scripsit scholasticam Postillam in Ecclesiasten: ex qua Vincentius Bandellus in libro suo De conceptione testimonia producit.

GEORGIVS Trapezuntius, natione Græcus, uir eruditissimus, scripsit ad Bxytum Pont. Max. breuem commentariolum in expositionem illius textus Euangelij Ioannis cap. 21. *Sic eum uolo manere, donec ueniam.* in quo ostendit beatum Ioannem Euangelistam nondum esse mortuum. eius initium est, *Nuper dilectiss. Pater.* Claruit anno domini 1470.

GEORGIVS Vicellius, natione Germanus, uaria uir eruditionis, hebraicæ, græcæ, ac latinæ linguæ peritissimus, ingenio excellens, & sermone disertus, scripsit in septem psalmos penitentia librum unum, de idiomatibus linguæ sanctæ librum unum, in Aggæum librum unum. Claruit anno domini 1540.

GENNADIUS, Constantinopolitanæ ecclesiæ pontifex, uir lingua nitidus, & ingenio acer, & in homiliis declamandis egregius, tam diues ex lectione antiquorum fuit, ut Daniele prophetam ex integro ad uerbum commentatus exponeret. Moritur, seniore Leone imperium tenente, anno domini 460.

GENNADIUS, Masiensis ecclesiæ presbyter, utraq; lingua exercitatus, cuius extat catalogus de ecclesiasticis scriptoribus, scripsit tractatum de hæresibus mille annorum in librum Apocalypseos; cuius meminit Honorius in catalogo. Claruit anno domini 490.

GERARDVS Lorinchius composuit ex quatuor euangelistis Monodestaron passionis Christi, incipiens, *Passionem saluatoris nostri.*

GERARDVS, Saonenensis episcopus, ord. Erem. sancti Augustini, patria Bergomensis, publicus quondam in academia Parisiensi theologiæ professor, pontificij iuris peritia mirè instructus, ingenio acutus, sermone scholasticus, scripsit in Cantica librum unum; cuius initium est, *Ala dñæ Cherubin.* & in epistolam ad Hebræos librum 1. Claruit anno domini 1340.

GERARDVS Moringus, doctor theologus, anno domini 1533. edidit culto lucidoq; sermone commentaria in Ecclesiasten partim paraphrasticè, partim fusiore explanatione: in quibus ab allegoriis perpetuò abstinens, ita in literali sensu explicando uersatus est, ut multa, quæ in cæteris huius libri expositioibus desiderantur, non infeliciter suppleat. Principium uoluminis habet hæc uerba, *Causa, quæ autorem ad opus hoc &c.*

GERARDVS Stredam, Cartusianus, natione Germanus, Prior domus Apostolorum prope Leodium, uitæ conuersatione & eruditione pia uenerandus, emisit in Decalogum explanationis librum unum. Moritur anno domini 443.

GERMANVS Brixius, Antifiodorensis, canonicus Parisiensis, uir utraque lingua doctus, & in theologia piè eruditus; anno domini 1446. scripsit in epistolam Pauli ad Romanos luculentissimas & doctas homilias numero octo.

GILBERTVS, Episcopus Pictauiensis, natione Gallus, cognomento Porretanus, uir in omni eruditionis genere tam græcè, quam latinè doctus, auctor operis sex principiorum, quod ad Aristotelis categoriarum supplementum latino & græco sermone circumfertur, ingenij acris, ac uehementis; sed ob inuolatam uocem nouitatem obscurus eloquio, & ob id quoque in quibusdam hæresibus notatus.

Atus, & à D. Bernardo reprehensus, in concilio Remensi sub Eugenio Pontifice renunciauit errori. Scripsit autem in diuinas scripturas multa erudita opuscula: in quibus non infimum locum habent commentaria in Psalterium, in Ioannem, & in omnes Pauli epistolas. Claruit anno domini 1140.

GILBERTVS Parisiensis, Sorbonæ doctor, aptauit in Prouerbia Scholasticam Postillam, cuius mentionem facit Vincentius Bandellus in tractatu De conceptione.

GILBERTVS, Monachus ordinis Cisterciensis, & cœnobij cuiusdam in Anglia abbas, piè doctus, & eloquio dulcis, stylo & spiritu utque ad eò Bernardo similis, ut eodem uisus sit ore ac lingua eloqui, scripsit in tria Canticorum capita quadraginta octo suauissimos & elegantissimos sermones, incipiens, ubi Bernardus morte præuentus finierat, hoc est ab eo loco tertij capitis, *In lectulo meo quasi per noctes*, usque ad locum illi quinti capitis, *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, &c.* ad quem cum explanando peruenisset, ne ulterius progrediretur, mors uetuit, quæ illum ex humanis abstulit anno domini 1200. Opus incipit, *Varij sunt amantium affectus.*

GYMNASIVS, uetustus auctor, scripsit in Exodum commentarios, qui ab Alberto Magno in Summa sua citantur.

GISELBERTVS, Præpositus monasterij Vuest in Anglia, ordinis sancti Benedicti, Anselmi Cantuariensis auditor, in diuinis & humanis literis eruditus, & in sæculari philosophia non infimè doctus, sermone satis polito, librum Canticorum pluribus homiliis exposuit, & in Esaiam commentarios ad B. Anselmum episc. conscripsit. Claruit sub Henrico Imper. IIII. anno domini 1090.

GODEFRIDVS Tilmannus, Cartusiæ Parisiensis monachus, antiquorum uoluminū peruestigator diligentissimus, emisit anno domini 1550. ex uetustis Cartusianæ bibliothecæ monumentis uolumen sanè aureum & dignum, quod ab omnibus studiosis magna cum ueneratione excipitur, sed sine auctoris, uel collectoris eius nomine: in quo sunt Allegoriæ simul, & Tropologiæ in locos utriusque testamenti, selectiores optimo iudicio collectæ, ac propensiore studio depromptæ, & in ordinem diuinorum uoluminum digestæ è monumentis unius & triginta auctorum. quorum nomina, & cognomina per ordinem alphabeti collectæ hæc sunt:

| | |
|----------------------------|--------------------------|
| Adam de Perfenia, | Hugo Victorinus, |
| Ailredus, | Hugo de Foilleto, |
| Aithardus, | Isaac, |
| Balduinus, | Odo de Morim, |
| Bernardus, | Odo Tusculanus, |
| Bruno, | Othomarus Luscinius, |
| Casianus, | Petrus Rauennas, |
| Cantica sine titulo, | Petrus Damianus, |
| Drogo, | Petrus Lombardus, |
| Ernaldus, | Petrus Cantor, |
| Galfridus, | Radulfus, |
| Gillebertus, | Richardus Victorinus, |
| Gregorius, | Sello, |
| Guillelmus de Cailloc, | Stephanus Cantuariensis, |
| Guillelmus de S. Theodoro, | Verricus. |
| Hidelbertus, | |

D Operis initium est, *Richardus de S. Victore. Quomodo prima mundi creatio moraliter agatur in nobis.*

GODEFRIDVS Presbyter, natione Italus; patria Viterbiensis, professione scholasticus, scripsit ad Gregorium Papam octauum in utrunque Testamentum opus Profocarmineum, hoc est prosa ac leonino carmine, rythmoque iuxta scholasticorum consuetudinem intertextum, cui PANTHEON titulus est: in

quo unâ cum his, quæ in sacris Bibliis continentur, exteras quoque gentium historias complexus est, hunc in modum uolumen exordians, A

O uos, qui me legitis uiri literati,
Super hoc uolumine iudices uocati.

CLARUIT anno domini 1185.

GO DELBERTVS Presbyter, non minus sanctimonia uitæ, quàm scientiâ clarus, prosa & carmine ualens, conscripsit heroicis uersibus iocundissimum poema: in quo historias & allegorias ab initio mundi usque ad partum uirginis elegantissimè cantauit. titulus poematis est, ALLEGORIAE SCRIPTURARVM LIBRI IIII. Claruit sub Anastasio Imper. anno domini 500.

GOTSCALCVS Holem, natione Germanus, ex ordine Eremitarum, professione Scholasticus, composuit in Decalogum expositionis uolumen ingens, quod PRÆCEPTORIVM DIVINAE LEGIS inscribitur: cuius initium est, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata.

GREGORIVS Ariminensis, Prior generalis Eremitarum sancti Augustini, Scholasticorum sui ordinis subtilissimus, uita & eruditione celeberrimus, scripsit scholastico methodo ac stylo, Augustini patris sui mentem sensumq; secutus, in epistolas Pauli libros quatuordecim anno domini 1350.

GREGORIVS, Corinthius episcopus, scripsit in Ioannis caput 21. de Thoma contrectante dominum, cum resurrexisset, luculentum sermonem; qui unâ cum nonnullis homiliis eius græcè scriptis in bibliotheca Vaticana seruatur.

GREGORIVS, primùm Salimæ, uilis Cappadocum ciuitatæ, deinde Nazianzi in Cappadocia, & demum Constantinopoleos episcopus; qui ab omnibus græcis ob singularem autoritatis suæ excellentiam primus post D. Ioannem Euangelistam Theologi ac Magni cognomentis illustratus est, uir fuit tam philosophiæ, quàm theologiæ opibus affluens, & omnium sui temporis soluta ac pedestri oratione eloquentissimus: quippe qui Polemonis Laodiceni, sophistæ celebratissimi, sublimem dicendi cothurnum esset assecutus. Hic Basilio Magno arctissima fuit necessitudine coniunctus, & diuum Hieronymum in diuinarum scripturarum studiis auditorem ac discipulum habuit. obtinuit etiam in ecclesiâ græcâ tantum autoritatis pondus, ut quicumque testimonio eius refragari auderet, statim uel hæreticus haberetur, uel hæreseos suspicione notaretur. Composuit autem omnia opera sua tam prosa, quàm carmine ad triginta uersuum millia. ex quibus sunt in primum caput Ezechielis annotationes, & in agonem Maccabæorum concio, item in Matthæi 19. De quæst. Phariseorû super diuortio & repudio homilia una, quæ incipit, *Iesus, qui piscatores*; item in passionem & mortem Christi ex quatuor euangelistis Tragœdia, cui titulus est, ΧΡΙΣΤΟΣ ΠΑΣΧΩΝ. scripsit item in gratiam Christianæ iuuentutis, cui Iulianus Apostata omnes græcas disciplinas interdixerat, etiam alia in sacras literas poemata; ut adolescentes, pro græcis poetis illa ediscerent, & græcæ linguæ & carminum peritiam consequerentur. In his est Canon librorum diuinæ scripturæ, quos græci patres ætate sua pro canonicis habebant, à nobis in primo huius operis libro collocatus. Floruit sub Theodosio anno domini 390. scripsit eius uitam Gregorius presbyter Cappadox.

GREGORIVS, Neocæsareæ Ponti episcopus, cognomento Θαυματουργός, hoc est, Rerum mirabilium effector, natione Ponticus, Theodorus antea uocatus, Origenis auditor, admodum adolescens ob studia græcarum & latinarum literarum de Cappadocia Berythum, & inde Cæsaream Palæstinæ transiit, iuncto sibi fratre Athenodoro. quorum cum egregiam indolem uidisset Origenes, hortatus est eos ad philosophiam: in qua paulatim Christi fidem subintroducens, sui quoque sectatores reddidit. quinquennio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem: è quibus Theodorus proficiscens, Πεντηκοντην ευχαριστιας scripsit Origeni; & conuocata grandi frequentia, ipso quoque Origene præsentē, recitauit. elucubravit deinde Μεταφρασιμ, seu Paraphrasim in Ecclesiasten, de qua Suidas, SCRIPSIT, inquit, Gregorius Metaphrasin in Ecclesiasten, breuissimam illam quidem, sed san-

Ecl. 4.

nè

Anè quàm admirabilem. eius initium est, *Hæc Salomon, Davidis regis & propheta filius, apud omnes mortales rex, &c.* Hanc librariorum impudentia bis impressit, primum quidem sub nomine sui autoris, deinde sub nomine Gregorij Nazianzeni. Cæterum Hieronymus in quartum Ecclesiastis caput super illa clausula, *Melior est puer & pauper &c.* proferens expositionem eorundem uerborum ex ea, quæ nunc extat, Gregorij Neocæsarien. Metaphrasi, autorem eius prodit his uerbis: *Vir sanctus Gregorius, Ponti episcopus, Origenis adiutor, in Metaphrasi Ecclesiastis ita hunc locum intellexit: ego uerò intelligo adolescentulum pauperem & sapientem, rege sene meliorem & fulto; cui nunquam uenit in mentem, quòd possibile sit quenquam de his, qui uincti fuerant, ad regnum exire de carcere, & se ipsum denique deinceps de iniqua potestate sua corruere. euenit enim interdum, & cætera quæ sequuntur.* Claruit sub Alexandro Mammææ, & Gordiano anno domini 240.

B **G**REGORIVS, Episcopus Nyfenus, diui Basilij Magni frater, Academicis ac Peripateticis disciplinis excultus, uir eloquentiæ neruosa ac pressa, rogante fratre suo Petro episcopo Sebasteno, scripsit in Hexaameron librum unum, incipientem, *Quid agis homo Dei?* quo in ordinem & concordiam disposuit, quæ à Mose de mundi procreatione primo quidem aspectu disita, & inter se contraria uidebantur; ostendens Mosen sibi ipsi consentientem, & constantem fuisse. Scripsit etiam in illud, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, De hominis opificio sermones duos ad supplendum ea, quæ Basilius de hominis constructione reliquit intacta. quorum prior incipit, *Veteris debiti solutionem.* alter uerò, *Sapiens ille Salomon.* De utriusque operis ratione ac docendi genere ipsemet in fine Hexaameron sic scripsit: *Hæc tibi, uir Dei, ad propositas nobis à prudentia tua quæstiones respondimus nullis orationis pigmentis, morales allegorias conquirentes, nec inexploratum prætereuntes quidquam eorum, quæ nobis opponerentur; sed, propria uerborum significatione seruata, naturæ ordinem disputando persecuti sumus, & nihil eorum, quæ primo aspectu contraria uidebantur, ab aliis discrepare pro uiribus demonstrauimus. In reliquis, ad mundi procreationem pertinentibus, quæ sex dierum spacio facta sunt, immorari superuacaneum duximus; cum sublimis illa præceptoris Basilij uox nihil omiserit, quod ad eam disputationem pertineret, excepto hominis opificio, quod proprio libro, quem tibi, uir optime, ante hunc misimus, nos explicauimus. Te autem, & omnes, ad quorum manus hi libri peruenerint, rogatos uolumus, ut in neutro illorum me studio præceptoris putetis aduersari: sed in priore quidem relicto argumentum suscipientem, addidisse disputationem de homine his, quæ in Hexaameron ab eo fuerant elaborata: in hoc autem propter eos, qui in scripturæ monumentis ordinem requirunt, ad hæc scribenda sic animum appulisse, ut uerborum uis in iis, quæ scripta sunt, seruetur, & naturalis continuatio à uerbis non dissentiret.*

D **F**ERTVR item sub eius nomine liber alter satis prolixus & eruditus de hominis procreatione in idem dictum, *FACIAMVS HOMINEM ET C.* qui incipit, *Hic liber, ait scriptura, generationis cali.*

ITEM De sacrificio Abrahæ in Gen. 22. cap. liber unus; quem Theodoretus in Immutabili, & Damascenus libro 3. contra Icon. citant.

ITEM De enarratione Mosaicæ uitæ, ex Exodo, Leuitico, Numeri, & Deuteronom. liber unus, in quo perfecta Christianæ uitæ forma proponitur: qui incipit, *Quemadmodum qui certamen equorum.*

SCRIPSIT quoque in Psalterium commentarios, qui in bibliotheca Vaticana græcè conscripti seruantur.

IN quintum quoque Matthæi caput De septem beatitudinibus libros septem, quos citat Liberatus in Breuiario de causa Nestoriana, & Theodoretus in Immutabili.

ITEM in mulierem peccatricem ex 7. Lucæ capite sermonem unum, incipientem, *Nemo Phariseus.*

EDIDIT etiam in epistolam ad Philippenfes commentarios, quos Cyrillus in libro ad Enotium fratrem contra Theodoretum profert. Floruit sub Valentiniano, & Valente anno domini 380. Scripsit eius uitam Gregorius Nazianzenus.

GREGORIVS Olympiadas, græca eloquentia clarissimus, & in diuinis literis ualde exercitatus ac doctus, edidit in Parabolas, & Canticum Cant. Salomonis commentaria, quæ nondum typis excusa sunt. extant autem græcè scripta in bibliotheca Saulia Genuæ.

GREGORIVS Pont. Max. eius nominis primus, patria Romanus, ex clarissima fenatorum familia, Felicis Papæ quarti pronepos, monachus quondam & leuita, uir sanctitate ac miraculis clarus, eruditione insignis, & in explanatione diuinorum uoluminum tam inuisibili, quàm uisibili spiritus sancti illustratione edoctus, omnes ferè sanctas scripturas partim per homilias, partim per commentaria explicauit: quorum maiorem summam, non dum in plura exemplaria multiplicatam, statim post mortem eius æmuli flagitiosissimi exusserunt, ueriti, ne sanctitatis & doctrinæ gloria scriptorum monumentis ad posteros perueniret. In Homiliis, atque his potissimum, quas ad populum habuit, inter ipsa Missarum mysteria, breui & succincta diuinæ lectionis elucidatione usus est. Contrà uerò in commentariis Coaceruato explanationis genere delectatus, diuinas literas locupletissima sensuum ac sermonis copia profusissimè enarrauit, ubique ferè obseruans modum & ordinem exponendi talem.

IN PRIMIS, iacto historiæ fundamento, literæ contextum iuxta duplicem editionem ueterem, scilicet quæ Italica dicta est, & nouam Hieronymi breuiter & carptim percurrens edisserit. Secundò ex historiæ uerbis Allegoriæ & Anagogiæ, quæ idem apud eum sunt, uarios fontes, immo copiosissimos amnes deducit. Tertio Allegoriarum sensus ad ædificationem ecclesiæ in exercitium moralitatis inclinat, & allegoricos fluuios ad irriganda moralium uirtutum fata deriuat: tantaque de uirtutibus ac uitiis efficacia loquitur, ut ea uideatur non solum uerbis exponere, sed formis quodammodo uisibilibus & palpabilibus demonstrare. Huius ipse ordinis causam referens, ait, quòd sicut in salute fidelium fides operibus prius est: ita in explanatione scripturarum Allegoria, quæ ad fidem pertinet, super historiæ fundamentis prius debet imponi, deinde uerò supra ipsam Moralis explanatio, quæ rectam pertractat operandi rationem. Quarto ad hac tria expositionum genera quartum quoque adiungit genus, cæteris difficilior, exponens singula scripturarum testimonia, quæ ipse ad elucidationem & confirmationem prædictarum explanationum in commentariis suis assumpserat.

VERBORVM, & orationis genus in omnibus penè scriptis eius continuum est & connexum, incisus quibusdam & membris sibi inuicem correspondentibus currens, & *δμοιότητους*, hoc est similiter terminantibus sententiis fluens, semperque ferè in absolutis perfectisque finiens periodis; non affectatis tamen, nec quæstis, sed ex pristina sæcularis eloquentiæ exercitatione ulro manantibus, citra ullam accuratam dictionis & elaboratam texturam artificium. quod ipse non dissimulans, in præfatione commentariorum in Iob his uerbis excusat: *Q*UÆSO, ut, huius operis dicta perquirens, in his uerborum folia non requiras: ipsam enim artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuauit, seruare despexi. nam, sicut huius quoque præfationis tenor enunciat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem; situs, motusque propositum, casusque seruare contemno: quia indignum uehementer existimo, ut uerba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. Hæc ille.

SVNT qui credant Gregorium præter ea, quæ latino sermone exposuit, multa quoque in explanatione sanctorum uoluminum græco eloquio composuisse. hos autem longè falli ostendit ipsemet Gregorius in epistola ad Eusebium, Thessalonice episcopum. ubi impudentiam accusans Andreæ monachi, qui Homilias græcas Gregoriano titulo inscriptas finxerat, liberè profiteretur se nec aliquid græcè edidisse, neque unquam græcum sermonem didicisse. Quæ uerò nunc extant apud

A apud græcos Pastoralia Gregorij uolumina, Anastasius, Antiochiæ episcopus, græcè uertit; sicut & Zacharias Papa primus græcis auribus dedit quatuor Dialogorum libros, propter quos Ioan. Damascenus, Euthymius, cæteri que græci scriptores horum uoluminum autorem Gregorium Dialogum appellant. Hactenus de methodo explanationum, & genere dicendi, Gregorio propriis; cuius, quæ nunc supersunt, & quæ desiderantur, exegetica scripta hæc sunt:

IN HEPTATEVCHVM libri septem, quos Ioannes Diaconus testatur ab inuidis post obitum autoris concrematos.

IN REGVM libros inchoatæ expositionis uolumina sex; quibus, ut ipsemet Gregorius asserit, primus omnium latinorum aggressus est continuatam expositionem in libros Regum, de quibus duntaxat sexdecim prima primi libri capita exponenda assumpsit, ut ex eo labore periculum faceret, si ultra progredi posset explanando. unde & fusior est in duobus prioribus libris, quàm in cæteris quatuor. Operis initium est, *Post Moysi, & Iesu Naue libros.*

IN IOB ad Leandrum, Hispalensem episcopum, commentariorum libri 35. editi ab eo, cum crebris uiscerum doloribus torqueretur, ad leniendos cruciatus, quos, fracta stomachi uirtute, & continuis lentisque superuenientibus febribus, patiebatur, ita disponente diuina prouidentia, ut uiri à Deo flagellati ærumnas uir à Deo flagellatus exponeret, quòd eas, experientia dictante, certius, copiosius, clarius, & ardentius enarraret. Proinde & cæteros huius libri enarratores tanto post se intervallo reliquit, quanto in omnium rerum cognitione scientia, experientiæ coniuncta, scientiæ sine experientia superior est. Quantum autem existimauerint hos uerè aureos commentarios ueterum patrum iudicia, hinc apparet, quòd adhuc uiuente Gregorio, publicè eos episcopi per diuersas ecclesias legere ceperunt. quod ipse cum rescisset, missis ad eos epistolis, quæ adhuc extant, fieri ueruit. Abbreuiarunt hoc opus Odo Cluniacensis abbas, & Simon Afligemensis monachus: hic in decem paruos libros, ille in exiguum uolumen. Composuit item Gregorius.

IN PSALMOS septem, qui Pœnitentiales dicuntur, breuem & moralem commentarium, secutus in eo Augustini enarrationes. opus incipit, *Si ille rex & propheta.* Item scripsit

IN CANTICVM Canticorum iuxta Anagogen & Ethicen commentarium, strictiori, quàm in cæteris, explanatione usus. eius initium est, *Quia si cæco & c.* Edidit etiam, excipientibus notariis,

IN EZECHIELEM Homiliarum ad populum Rom. libros duos, hoc est in tria prima Ezechielis capita Homilias duodecim, primo libro comprehensas; & rursus in caput 40. De uisione templi in Hierusalem construendi Homilias decem, secundo uolumine contentas. Has ad populum habuit maximis animi curis fluctuans, propter calamitatem urbi imminentem, cum ad eam obsidendam Agiulfus, Longobardorum rex, iam transgresso Pado festinaret. Operis initium est, *Dilectissimo fratri Mariano Rauennati episcopo & c.* Præterea composuit

IN EVANGELICAS lectiones, quæ in sacris Missæ mysteriis leguntur, Homilias quadraginta: quarum quasdam, à se prius dictatas, per notarium ad populum recitauit, quasdam uerò ipse uia uoce pronunciauit notariis ab ore eius excipientibus. has Gregorius, à se prius recognitas, duobus uoluminibus concludit, & Secundino Lauritano episcopo dicauit. Earum catalogus hic est:

IN MATTHÆI caput secundum De aduentu Magorum homilia una.

In Matth. 4. De tentatione Christi hom. 1.

In Matth. 4. De uocatione quatuor Apostolorum hom. 1.

In Matth. 10. De missione XII. Apostolorum hom. 1.

In Matth. 11. De Ioanne in uinculis hom. 1.

In Matth. 12. super illud, Ecce mater tua, hom. 1.

In Matth. 13. De thesauro abscondito in agro hom. 1.

In Matth. 16. super illud, Si quis uult uenire post me, hom. 1.

- In Matth. 20. De uinea hom. 1.
 In Matth. 22. De rege, faciente nuptias filio suo, hom. una.
 In Matth. 25. De decem uirginibus.
 In Matth. 25. De quinque talentis hom. una.
IN MARCI cap. 16. De mulieribus, ad monumentum euntibus, hom. 1.
 In idem De undecim discipulis recumbentibus hom. 1.
IN LVCAE cap. 2. De edicto Augusti hom. 1.
 In Luc. De prædicatione Ioannis hom. 1.
 In Luc. 7. De Mariæ poenitentia hom. 1.
 In Luc. 8. De parabola feminis hom. 1.
 In Luc. 10. De missione 72. discipulorum hom. 1.
 In Luc. 13. De Arbore fici hom. 1.
 In Luc. 14. super illud, Qui uenit ad me, & non odit patrem, hom. 1.
 In Luc. 14. De coena magna hom. 1.
 In Luc. 15. De centum ouibus hom. 1.
 In Luc. 16. De diuite & Lazaro hom. 1.
 In Luc. 18. De cæco hom. 1.
 In Luc. 19. De fletu Christi super Hierusalem hom. 1.
 In Luc. 21. De præliis & seditionibus futuris hom. 1.
 In Luc. 21. De signis in Sole & Luna hom. una.
 In Luc. 24. De discipulis, in Emmaus euntibus, hom. una.
IN IOANNIS caput 1. De legatione sacerdotum ad Ioannem hom. 1.
 In Ioan. 4. De filio Reguli hom. 1.
 In Ioan. 8. super illud, Quis ex uobis arguet me de peccato? hom. 1.
 In Ioan. 10. De bono pastore hom. 1.
 In Ioan. 14. super illud, Si quis sermonem meum seruauerit, hom. 1.
 In Ioan. 15. De mutua dilectione hom. 1.
 In Ioan. 20. De Magdalena, ueniente ad monumentum, hom. 1.
 In Ioan. 20. De Maria, extra monumentum plorante, hom. 1.
 In Ioan. 20. De Christo, ingrediente ad discipulos ianuis clausis, hom. 1.
 In Ioan. 21. De manifestatione Christi ad mare Tyberiadis hom. 1.

HACTENVS exegetica Gregorij scripta, ex quibus Patherius, S. Romanæ ecclesiæ notarius, Beda Anglosaxo, Alulphus monachus, Odo abbas, Simon Afigemensis, Guernerus Parisiensis, ac plerique alij commentaria collegerunt in totam penè diuinam scripturam.

CLARUIT Gregorius sub Mauritio Aug. moriturque anno secundo Phocæ imperat. hoc est anno domini 605. cum Romano pontificatui præuisset annis tredecim, & mensibus sex.

GREGORIVS Primaticius, Senensis, ord. Prædicatorum, theologia, aliarumque bonarum artium professor, digessit literalem expositionem in omnes D. Pauli epistolas, incipientibus ac minus eruditis perutilem: cuius initium est, *Paulus nomine quare sit uocatus*. Viuit usque ad præsentem annum salutis nostræ 1566.

GVERRICVS, Abbas Igniacensis, ingenio facilis, & eloquio dulcis, scripsit opus sermonum in euangelia De tempore & sanctis per anni circum, quos ad fratres suos habuit, librum unum, qui incipit, *Saluatorem expectamus*. Claruit anno domini 1300.

GVERNERVS Parisiensis, cœnobij Victorini apud Parisios subprior, uir uitæ sanctimoniam, & pia eruditione clarus, collegit digessitque decentissimo ordine ex omnibus scriptis D. Gregorij Papæ libros sexdecim De allegoricis typis nominum ac rerum omnium in sacris literis contentarum; quos **ENCLEAMEN- TA BIBLIÆ** inscripsit. opus sanè dignum, quod à studiosis diuinæ scripturæ obuiis uinis excipiatur. eius initium est, *Deus aliquando in sacra scriptura*. Claruit

A ruit sub Ruperto Bauaro, Romanorum rege, anno domini 1400.

GVIDO Ebroicensis, ord. Prædicatorum, theologus insignis, & in declamationibus ad populum facundus ac disertus, addidit ad regulas Ticonij Africi quædam aptissima documenta, ad sacra scripturæ sensum capessendum utilia, ostendens, ex quarum rerum ignorantia in doctrinæ sacra expositione errare sapius contingat. his titulum fecit, **DE CLAVIBVS DIVINÆ SCRIPTURÆ**.

GVIDO, Ferrariensis ecclesiæ episcopus, ord. Prædicatorum, poeta inter sui temporis scholasticos ualde elegans, diuinarum quoque literarum tractator egregius, inter multa ingenij sui opera edidit ad imitationem Petri Rigæ Remensis presbyteri Scholasticum poema, Clementi pontifici eius nominis quinto dicatum: in quo hexametro uersu utriusque testamenti libros historica & allegorica explanatione disseruit. eius titulus est, **MARGARITA BIBLIÆ**. initium uerò *Nobile principium*. Claruit sub Henrico Imp. VII. anno dom. 1310.

B **GVIDO** Perpinianus, natione Hispanus, duodecimus Carmelitarum Prior generalis, ac deinde Maioricensis Eluenfisq; ecclesiarum episcopus, scholasticæ theologiæ professor eximius, scripsit ad imitationem Augustini De concordantia Euangelistarum librum unum anno domini 1320.

GUILLELMVS, Abbas sancti Theodorici, epistolam ad Romanos breuiter elucidauit.

GUILLELMVS de Alcono, ord. Prædicatorum, academiæ Sorbonicæ apud Parisios magister, collegit in Ecclesiasten scholasticam Postillam, cuius meminit Vincentius Bandellus in tractatu De conceptione,

GUILLELMVS, Episcopus Parisiensis, patria Aluernus, uir in diuinis scripturis eruditus, & Aristotelicæ philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, & eloquio scholasticus, composuit in uarios utriusque testamenti multos commentarios, quibus nomen suum ad posteros transmisit. ex his extat explanationis

- C**
- | | |
|-----------------|-------------|
| In Hexaameron | liber unus, |
| In Psalterium | liber unus, |
| In Prouerbia | liber unus, |
| In Ecclesiasten | liber unus, |
| In Cantica | liber unus, |
| In Mattheum | liber unus. |

CLARUIT sub Federico Imp. II. anno domini 1230.

GUILLELMVS, natione Germanus, ex Aquisgrano, metropolitanæ quondam Basileensis ecclesiæ ecclesiastes vigilantissimus, eruditione & conuersatione præclarus, eloquio & genere dicendi scribendiq; scholasticus, elucubrauit expositionis in Ioannem librum unum anno domini 1485.

GUILLELMVS Gregorius, natione Scotus, academiæ Parisiensis theologus, scripsit scholasticos in Dauidem commentarios anno domini 1517.

D **GUILLELMVS** Hamerus, Nonesianus, sacrae theologiæ doctor, ordinis Prædicatorum, doctas, utiles & lectu iocundas in Genesim commentationes composuit, plurimis clarissimorum hebrææ, græcæ & latinæ linguæ sacrorum & profanorum autorum sententiis adeò ornatas, ut ab æquo candidoq; lectore sine magno fructu & uoluptate legi non possint. Harum initium est, *Mundus hic, quem alio nomine Calum*. Floruit anno salutis 1560.

GUILLELMVS, Abbas Hirsaugiensis monasterij in diocesi Spirensi, ordinis S. Benedicti, natione Germanus, ad quem B. Anselmus Cantuariensis archiep. nonnullas conscripsit epistolas, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis nulli suo tempore secundus, uita & conuersatione sanctissimus, scripsit De correctione Psalterij librum unum: cuius initium, *Si quis in hac necessaria*. Claruit sub Henrico Imp. III. anno domini 1090.

GUILLELMVS de Melitona, ord. Prædicatorum, cancellarius Parisiensis, scripsit in XII. prophetas Postillam, quæ Placentiæ in bibliotheca Prædicatorum habetur; itemq; in epist. ad Hebræos, quæ adhuc Bononiæ in bibltothe-

ca Dominicana extat cum hoc initio, *Narrabo nomen tuum.*

GVILLELMVS Pepinus, sacræ theologiæ professor, religiosusq; conuentus A
Ebrouicensis prædicatorij ordinis alumnus & incola, concionator facundus &
ardens, cui parem temporibus suis gallica lingua non habuit, composuit in Ge-
nesim, in Exodum, & in septem psalmos pœnitentiæ iuxta quadruplicem diuinæ
scripturæ sensum scholasticam Lecturam, rudi quidem & inculto sermone, sed arti-
ficiofa industria concinnatam, declamatoribus diuini uerbi utilem. in qua primùm
omnium, diuiso quolibet libri capite in tres, uel quatuor, uel plures clausulas,
quamlibet earum nudè & apertè iuxta historiam explicat, adiectis sub finem eius-
dem historiciæ explanationis multis non contemnendis quæstiunculis. quibus ex-
pletis, eandem iterum clausulam tribus, aut quatuor, uel interdum sex, aut octo
diuersis moralibus expositionibus enarrat. & rursus post has ad eiusdem clausu-
læ expositionem tres, aut quatuor allegoricas interpretationes subnectit. quas tan-
dem in unicam anagogicam explanationem concludit, omnia in Christum, tan-
quam in finem rerum omnium, referens. Scripsit etiam in epistolas & euangelia B
totius anni scholasticos Sermones penè innumeris. Obiit sub Carolo V. Imper.
anno Romanæ direptionis 1527.

GVTIERRVS Treius, Placentia Hispaniæ oriundus, ordinis Minorum,
commentaria in quatuor euangelia elaborauit anno 1550.

H



ADRIANVS Lametius Henencurius, doctor theologus, ex mul-
tis patrum commentariis unum opus construxit; in quo ex dictis
ueterum autorum primos uiginti sex psalmos pulcherrimo ordine
elegantissimè exposuit. Opus incipit, *Beatus uir & c. Sententia C*
Hieronymi. Claruit sub Carolo V. Imper. anno domini 1550.

HAYMO Alberstatensis, tertius in Saxonia episcopus, natione Germanus,
Albini, qui Caroli Magni Aug. præceptor fuit, discipulus, Fuldenſis quon-
dam Benedicini cœnobij monachus, & abbas monasterij Hirsfeldensis eiusdem
ordinis, uir sanctitate & eruditione insignis, composuit in omnes libros utriusq;
testamenti commentarios, pietate, breuitate, dictionis simplicitate, ac perspicui-
tate laudandos. in quibus quæ à ueteribus interpretibus uel erant scripta doctis,
uel apud populum dicta fufius, in compendium redegit adeò perspicua & lucida
breuitate, ut & ab occupatis paruo temporis dispendio legi, & à simplicibus leui-
terq; literatis facillimè intelligi possint. Versatus est autem fermè semper in al-
legoricis & anagogicis sensibus: quos, uelut spiritalis apicula, ex omnium anti-
quorum hortis, ac pratis florentissimis decerpſit, quò legentibus esset parata sa-
luberrimi mellis copia. Inscriptiones & initia commentariorum eius, quos ipse D
legi, hæc sunt:

| | |
|------------------------------------|-------------------------------------|
| In Psalterium liber unus. | <i>Hymni uocantur.</i> |
| In Canticum Canticorum liber unus. | <i>Cum omnium sanctarum.</i> |
| In Esaiam liber unus. | <i>Sciendum, quò diuiso populo.</i> |
| In Ezechielem liber unus. | <i>Dicit beatus.</i> |
| In Euangelia Homiliarum tomi duo. | <i>Contulit dominus.</i> |
| In omnes epistolas Pauli libri 14. | <i>A Corinto.</i> |
| In Apocalypſin libri 7. | <i>Legimus in Ecclesiaste.</i> |

MORITVR sub Ludouico Aug. filio Caroli Magni, sepultus in ecclesia sancti Ste-
phani Alberstatensis anno domini 834.

HECTOR Pinctus, Lusitanus, ordinis D. Hieronymi monachus, scripsit in
Esaiam prophetam nitida cultaq; commentaria: in quibus hebraicum Esaiæ
contextum unà cum uulgata editione diligenter examinat. Theobaldus Paganus
anno 1561. Lugduni excusit.

HELIAS

A HELIAS de Anibaldis, Minorita, theologiæ magister, scripsit Postillam in
Apocalipsyn.

HERICVS, Monachus S. Benedicini cœnobij Antifiodorensis, sæculari lite-
ratura instructus, diuinæ scripturæ peritissimus, & sui temporis declamator
eximius, scripsit circa annum domini 880. in uarios locos euangeliorum homilias
plurimas, de quibus xxxvii. insertæ sunt in Homiliario Alcuini.

HENRICVS Arnoldi, Cartusianus, monachus domus Basileensis, in sacro
quondam Basileensi concilio notarius, uir omniliterarum genere instructus,
scripsit stylo aperto ac simplici de Concordantia Euangelistarum circa passionem
domini librum unum, anno 1440.

HENRICVS Consuelidius, Germanus, Cartusianus, Prior domus S. Mariæ
propè montem B. Gertrudis in Hollandia, professione scholasticus, scripsit in
Exodum, & in epistolam ad Romanos. Claruit anno domini 1410.

B HENRICVS Harphius, ordinis Minorum regularis obseruantia, guardia-
nus in Meclina, uir contemplatiuus & undecunquē non minus doctus, quàm
illuminatus, scripsit de theologia Mystica tum speculatiua, tum præcipuè affecti-
ua, quæ non tam lectione iuuatur, quàm exercitio puritatis, & amoris obtinetur,
libros tres; quorum primum in expositione Canticorum exhibuit, qui Theologiæ
Mysticæ, uel Diuini amoris Christiformiumq; Soliloquium, aut In Cantica Canti-
corum Paradoxa inscribitur. in quo abrupto ordine uarias huius libri sententias
piis affectibus, & flammigeris uerbis luculentissimè exposuit. Transtulit hoc opus
è Teutonico idiomate in latinam linguam Petrus Blomeuenna Leydenſis Cartusia-
nus. Opus incipit, *Osculetur & c. Dic, queso, nobis, de quo, à quo, & ad quem di-
catur, Osculetur me, & c.*

C HENRICVS Helmesius, Germipolitanus, ordinis Minorum, uir planè do-
ctus & pius, & summæ Colonienſis ecclesiæ concionator, conscripsit in om-
nes epistolas & euangelia festiua Homiliarum in genere Εὐαγγελισμῶν, hoc est Se
ipsum exponente, tomos quinque, ex meris diuinæ scripturæ sententiis miro ar-
tificio ac eruditione concinnatos, anno domini 1550.

HENRICVS Hafsius Iunior, Cartusianus, Prior domus monachorum S.
Mariæ, in scripturis sanctis nobiliter eruditus, sæcularis literaturæ non igna-
rus, professione scholasticus, & sermonis elegantia ad illuminandum intellectum
& inflammandum affectum satis accommodatus, scripsit in Genesim commenta-
riorum librum unum, in Exodum librum unum, in Prouerbia librum unum, in Apo-
calypſin librum unum. Claruit sub Sigismundo Imper. 1428.

HENRICVS Kaltisenus, patria Confluentinus, prædicatorij ordinis, Ni-
droſienſis & Cæsariensis ecclesiarum episcopus, lector quondam sacri palatii,
& antea sanctæ Crucis prædicator, & hæreticæ prauitatis inquisitor, theologus &
philosophus excultus, scripsit scholastico eloquio in Canticum Mariæ librum unum
anno domini 1460.

HENRICVS Langesteinus, Germanus, ex Hafsia, Vormaciensis ecclesiæ
canonicus, Parisienſis academiæ doctor, sub Bonifacio Papa nono, anno sa-
lutis nostræ 1400. ob singularem philosophiæ ac theologiæ eruditionem ad illu-
strandam Viennensem academiā, tum primùm conditam, publico eruditorum
omnium fauore accitus, tanta in dicendo ac scribendo rerum copia abundauit, ut
more Demosthenis cogitandum ei fuerit semper, non quid adderet, sed quid de-
meret orationi. ex qua abundantia effectum est, ut, consumptis multis annis in
publica enarratione Geneseos, uix ad quartum libri caput, editis totidem com-
mentariorum libris, pertingere potuerit, facturus sanè immensum opus, & mul-
to papyro damnosum, si ad finem usque Geneseos enarrando peruenisset. scripsit
igitur scholastico interpretandi genere Prologi in Genesim librum unum, in pri-
ma quatuor Geneseos capita libros quatuor, in Canticum Cant. librum unum.

HENRICVS Logen, Cartusianus, Prior domus iuxta Brucellas, scripsit ex-
planationes in Psalterium.

Bbb 2 HENRI-

HENRICVS Vichingan, Anglus, scripsit in Esaiam scholasticam Postillam anno domini 1447. **A**

HENRICVS Vrimaryus, Eremitanus, natione Germanus, gymnasii Parisiensis doctor, uita & doctrina clarus, scripsit in Decalogum librum unum: cuius initium, *Audi Israel præcepta*. Claruit anno domini 1340.

HERACLIVS sub Commodi Seueriq; imperio anno domini 200. composuit in Apostolum commentariorum libros quatuordecim.

HERMANNVS, Archiepiscopus Coloniensis, sacri imperij elector, uir undecunque eruditissimus, scripsit in Decalogum nobilissimam explanationem, quæ in Compendio Coloniensis concilij unâ cum expositione Dominicæ orationis, ac symboli continetur. Claruit anno domini 1540.

HERMANNVS, Contractus nuncupatus, eo quod membris totius corporis contractus esset, monachus Benedictinus, cœnobij S. Galli, natione Teutonicus, filius Comitum Veringensium in Sueuia, philosophus, mathematicus & historicus, græcè, latinè, & arabicè peritissimus, inter multa præclara scripta sua reliquit opusculum insigne chronicon, *DE SEX MVNDI AETATIBVS* inscriptum; in quo ad imitationem Bedæ omnes ætates, generationes, annos, & tempora, in sacris literis contenta, aptissimo ordine digessit. Claruit sub Henrico II. anno domini 1040. **B**

HERMANNVS Petra Studorpoæus, natione Germanus, professione Cartusienfis, rector domus S. Annæ Sanctimonialium sui ordinis iuxta Brugas in Flandria, uita & eruditione & declamandi studio uenerandus, edidit in orationem Dominicam stylo scholastico sermones 50. Claruit anno domini 1428.

HERMANNVS Schildius, Eremitanus, philosophia imbutus, & in diuinis literis assidua exercitatione consummatus, scripsit stylo scholastico in Genesim & in Canticum Canticorum; item de quatuor sensibus scripturæ librum unum. Claruit sub Ludouico Imp. IIII. anno domini 1340. **C**

HESYCHIVS Monachus, & in Palæstina multorum monachorum pater, Hilarioni sanctissimo eremita ætatis amore iunctus, & ad quem ipse beatissimus Hilarion moriens quasi testamenti uice breuem manu propria scripsit epistolam, omnes diuitias suas ei derelinquens, euangelium scilicet, & tunicam facream, cucullam, & palliolum, uir græcæ linguæ peritissimus, & diuinarum scripturarum lector assiduus, nouam græcam translationem totius scripturæ publicauit, partim à se de Lxx. interpretibus in ueteri testamento emendatam, partim uerò propria industria in nouo testamento ad antiquam fidem restitutam. Sunt qui eandem hanc translationem tribuant Hesychio Hierosolymitano presbytero, uiro doctissimo; quem Nicephorus temporibus Theodosii iunioris floruisse scribit. quod mihi non uidetur uerisimile; cum Hieronymus scribat hanc Hesychianam editionem omnibus per Alexandriam & Aegyptum ecclesiis tempore suo, hoc est Theodosio seniore imperante, fuisse usitatam. Claruit autem Hesychius sub Constantio Augusto anno domini 360. **D**

HESYCHIVS, Hierosolymitanus presbyter, uel, ut in Glossa ordinata super Leuiticum scribitur, Hierosolymorum episcopus, B. Gregorij Nazianzeni episcopi auditor & discipulus, uir in diuinis scripturis eruditissimus, exemplo præceptoris sui admonitus fertur in diuinos libros multa explanationum scripsisse opuscula: de quibus extant in totum Leuiticum ad Eutychianum diaconum libri septem; in quibus mysticam Moysi intentionem spiritualiter interpretatur, secutus editionem ita temperatam, ut cum Lxx. conueniat, & à nostra uulgata non discrepet. habet genus quoddam dictionis insuetum, atque affectatius, & à communi dicendi consuetudine abhorrens. Opus incipit, *Venerabili diacono Eutychiano peccator Christi seruus Hesychius presbyter in Christo salutem*. Scripsit etiam consimili explanationis studio in Ezechielem commentarios, quorum in præfatione primi libri in Leuiticum mentionem facit: item in epistolam ad Hebræos. Claruit sub Honorio Augusto anno domini 400.

HIERO-

A **H**IERONYMVVS Fracastorius, Veronensis, medicinæ artis ac poetici studij illustrator nobilissimus, edidit in decem postrema Geneseos capita De uita Ioseph heroicum poema, carminis uenustate admirandum; quod quidem absolute non potuit morte præuentus anno domini 1548.

HIERONYMVVS Leopolitanus, ex prouincia Rutheniæ, ord. Minorum regularis obseruantia, ecclesiastes & lector metropolitanæ ecclesiæ in urbe Cracouia, Polonici regni regia, qui aduersus Lutheranos usque ad mortem strenuè dimicauit, omnes Bibliæ libros in Polonicam linguam conuertit. Claruit sub Carolo V. Aug. anno domini 1536.

HIERONYMVVS ab Oleastro, Lusitanus, ord. Prædicatorum, sacre theologiae professor, & hæreticæ prauitatis apud inclytam Vlyssipponem Inquisitor, edidit commentaria in Moysi Pentateuchum iuxta Sanctis Pagnini editionem: in quibus primùm hebraicam ueritatem exactissimè explicauit; deinde uerò, quæ ad morum compositionem aptari possunt, ex ipsius literæ penetralibus seorsum adiunxit. Claruit anno domini 1556. quo & hoc ipsum opus Vlyssipponem excusum emisit. **B**

HIERONYMVVS Patauinus, carmine excellens & prosa, scripsit ad Petrum Donatum, Patauinæ urbis episcopum, De passione domini ex quatuor euangelistis heroico pede librum unum, qui incipit, *Maxime calicolum*, anno domini 1494.

HIERONYMVVS Sauonarola, Ferrariensis, ordinis Prædicatorum, excellentis ingenij uir, multarumque scientiarum copia præditus, declamator fuit sermone quidem simplex & incomptus, sed sensu acris, & actione uehemens; sanctitatis uerò opinione ita omnibus admirandus, ut Florentinæ urbis populus, apud quem septem annis in magna & assidua auditorum frequentia conciones habuit, existimaret eum cum Deo loqui, & ab eo futurorum euentuum prophetiam accipere, & ob id nollet rempublicam, & communia totius ciuitatis imperia, nisi eius nutu, administrari. quæ cum aliquibus primariis ciuibus non satis placerent; data opera, ut magistratus urbis crearentur ex eorum numero, qui minimè eum sequebantur, Hieronymus non sine tumultu & sanguine multorum captus, & in carcerem coniectus, & ad mortem damnatus, paulò post sacerdotali honore exauctoratus, medio foro uiuus exustus est. cineresque eius, ne à suis, qui iam eos colligere cœperant, religiosè seruati colerentur, in profluentem Arnun proiecti sunt. Hic igitur elaborauit in diuinis scripturis plurima; de quibus *infra scripta feruntur*: **C**

De arca Nohe in 6. Gen. cap. sermones 10.

In 6. priora Exodi cap. sermones 14.

In historiam Ruth ferm. 5.

In duo prima Iob capita ferm. 40.

In Ezechielem ferm. 46.

In Amos ferm. 40.

In Zachariam ferm. 20.

In Michæam ferm. 30.

In Aggæum ferm. 5.

In 7. psalmos pœnitentiales commentaria.

In psalmum 72. sermones 24.

In psalmum 79. expositio.

Item in uarios psalmorum uersiculos sermones 20.

In orationem Dominicam triplex expositio.

In canonicam primam Ioann. sermones 19.

D **D**ENIQUE pridie, quàm duceretur ad mortem, scripsit inter metuendos carceris horrores, & imminentis supplicij angustias latino sermone in psalmum trigessimum primum & quinquagesimum Meditationes, uiuis uerbis, animatis sententiis, & spiritus feruore flagrantissimas. harum prior, in qua spei ac desperationis lucta

Bbb 3 expri-

exprimitur, incipit &c. *Tristitia obsedit me*: posterior uerò incipit, *Infelix ego A homo &c.*

AMBROSIVS, Compſæ episcopus, multarum annotationum librum edidit aduersus prædicta Hieronymi uolumina; ex quibus sancta synodus Tridentina uetuit infraſcriptas conciones legi, donec à sanctæ Romanæ Inquisitionis ſenatu emendati prodeant:

| | |
|--------------------------------------|--|
| In Exodū sermo primus, incipiens, | <i>Domine quid multiplicati sunt.</i> |
| In Exod. sermo secundus, incipiens, | <i>Cum simus à domino positi.</i> |
| In Exod. sermo tertius, incipiens, | <i>In exitu Israel de Aegypto.</i> |
| In Exod. sermo sextus, incipiens, | <i>Quanto magis opprimebat eos.</i> |
| In Exod. sermo decimus, incipiens, | <i>Clamor ergo filiorum Israel.</i> |
| In Exod. sermo uigefimus, incipiens, | <i>Palpebræ eius interrogant filios.</i> |
| In Ruth caput 3. sermo incipiens, | <i>Et ecce nocte iam media expauit homo.</i> |
| In Iob cap. 5. sermo incipiens, | <i>Beatus uir, qui corripitur à domino.</i> |
| In Ezechielem sermo 21. incipiens, | <i>Dixit dominus, Audite me, transite per.</i> |
| In Ezechielem sermo 32. incipiens, | <i>Et post omnes abominationes tuas.</i> |
| In Ezechielem sermo 41. incipiens, | <i>Et factus est sermo domini ad me.</i> |
| In Amos cap. 4. sermo 12. incipiens, | <i>Audite uerbum hoc. Vacca pingues.</i> |

In 3 Regum 18. super igneo Helicæ experimento, Adhortatio ad populum habitata anno domini 1498. die septima Aprilis, cum ad explorandam ueritatem rerum, ab autore prædictarum, ardentem rogum ingressuri essent Dominicus Piscienſis Dominicanus, Hieronymi defensor, & Iulianus Florentinus Franciscanus, eiusdem accusator. Sermonis initium est, *Cum præter eas, quæ peractæ sunt, preces, multa adhuc agenda sint.*

THOMAS Neriſ, ex ordine Prædicatorum, uir & pius & doctus, nuper Apologeticum librum scripsit pro doctrina autoris huius, qui sextum & quadragesimum ætatis suæ annum agens occisus est, anno uidelicet humanæ salutis 1498. die 14. Iunij.

SCRIPSIT eius uitam Ioannes Franciscus, Mirandulæ princeps.

HIERONYMVS Stridonensis, quem Seuerus Sulpicius Bethlehemicæ pæreæ rector, Græci omnes Hierosolymitanum presbyterum appellant, Eusebij filius, ex oppido Stridonis, quod à Gothis euerſum, Dalmaciæ quondam Pannoniæque confinium erat, uir fuit in omni doctrinarum genere absolutissimus: quippe qui splendore sermonis, & eloquentiæ uiribus, in quibus sub Donato Grammatico & Victorino Rhetore, clarissimis uiris, profecit, omnes latinæ ecclesiæ scriptores multo post se interuallo reliquit. Linguarum quoque tantam habuit peritiam, ut Græcam, Hebræam, Syram, Chaldaeam, & Latinam omnes æquè, ac Dalmaticam sibi maternam linguam teneret. sed & in scholis philosophorum nihil de Aristotelis, Platonis, ac Zenonis, hoc est de Peripateticis, Academicis, Stoicis, reliquit intactum. quibus instructus apparatus, contulit se ad sacrarum literarum studia, D usus in his Apollinari Laodiceno, Didymo Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno præceptoribus. sub quibus tantam sibi diuinarum rerum eruditionem, & eruditionis nomen comparauit, ut in obscuris sanctorum uoluminum difficultatibus Romanus pontifex Damasus, doctissimus Augustinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus, multiq; alij passim per Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Palæstinam, & Græciam eruditissimi episcopi ad hunc unum confugerent, tanquam ad eum, qui multiplici linguarum uarietate adiutus, omnes legisset diuinæ scripturæ interpretes, græcos, hebræos, & Latinos. Quod & Augustinus libro primo aduersus Iulianum palàm his uerbis ostendit, inquit: SANCTVS presbyter Hieronymus, græco, latino, & hebræo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem transiens ecclesiam, in locis sanctis atque in literis sacris usque ad decrepitam uixit ætatem. Hic omnes, uel penè omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina ecclesiastica scripserunt, legit.

ELABORAVIT itaque admirabilis hic uir, præter exoterica scripta, quæ multa sunt,

A ta sunt, tot tantaque in sanctas scripturas exegetica uolumina, ut nulla pars sit seu ueteris, seu noui testamenti, in quam ille non ediderit aut translationes, aut annotationes, aut commentarios, aut epistolas. nam his quatuor ordinibus distinguuntur omnia eius opera, quæ ad sacrorum uoluminum intelligentiam pertinent. In primo transferendi ordine uniuersum scripturæ corpus in uarias uertit linguas. In secundo annotandi ordine multa ex utroque testamento, sparsim adhibitis breuibus scholiis, illustrauit. In tertio epistolari ordine scripsit innumeras penè epistolas; in quibus satisfecit quæstionibus illorum, qui, datis ad ipsum literis ex diuersis mundi partibus, eum de abstrusis diuinæ scripturæ quæstionibus consulebant. In quarto & ultimo Hypomnematico, hoc est Commentariorum ordine diuinas scripturas iuxta uarias græcorum editiones, sed præsertim Lxx. ac suam, à se ex hebraico fonte conuersam, exposuit ad literam; primusque omnium latinorum historicum sensum, quem propter eius difficultatem nullus ante eum uel attigerat, uel plenè explicauerat, solertissimè inuestigauit, apertissimeque differuit, adiectis quoque breuibus allegoricis, ac tropologicis explanationibus; quæ ueluti appendices & ornamenta essent intelligentiæ literalis.

B HORVM autem Commentariorum ipse manu sua plura scripsit, plurima per notarios dictauit, tanta facilitate ac celeritate, ut singula quaq; die mille uersuum numerum dictando excederet. qua de causa, ut ipsemet de se ipso in epistola ad Eusebium refert, multi existimarunt eum magis aliena legere, quam sua condere.

SÆCVRVS est autem Hieronymus inter cæteros græcos expositores, quorum scripta apud in morem deflorauit, potissimum Origenem, non quidem ut dogmatisten, sed ut interpretem: ex cuius immensis uoluminibus innumera penè in sua transfudit opera. qua de re cum ab æmulis suis accusaretur; multis in locis se excusauit, præsertim uerò in præfatione secundi commentarij in Michæam, ubi ex Terentianis uersibus huiusmodi centonem pro defensione sua aptauit:

C *Moneo tauros pingues, qui circumdederunt me, ut quiescant & desinant
Maledicere, malefacta ne noscant sua.
Nam, quod dicunt Origenis me uolumina compilare, &
Contaminari non decere ueterum scripta:
Quod illi maledictum uehemens existimant,
Eam laudem ego duco maximam; cum illum uolo
Imitari, quem uobis, & cunctis prudentibus placere non dubito.
Si enim criminis est græcorum benedicta transferre; accusetur
Ennius, Maro, Plantus, Cæcilius, & Terentius,
Tullius quoque. sed & Hilarius noster furti reus sit: qui in
Psalms quadraginta ferè millia uersus supradicti Ori-
genis ad sensum uertit.
Quorum omnium æmulari exopto diligentiam
Potius, quam obscuram istorum negligentiam.*

D SOLET autem Hieronymus in colligendis ueterum explanationibus sæpenumero illorum sententias, & interdum quoque nonnullas aberrantes & absurdas opinioniones referre, suppressis nominibus autorum, quos ad euitandum lectoris tædium semel in præfationibus librorum nominare consueuit, omisſis etiam aliquando modestiæ gratia confutationibus earum opinionum, quod eas alibi plenissime confutasset. quo fit, ut dum sine discrimine permisset aliena suis, uideatur nonnunquam aliorum errores recipere, & ex animi sui sententia pronunciare. atque hinc occasionem utcunque nacti sunt Hieronymiani obrectatores infectandi eum, quod hæreticorum dogmatibus omnia penè commentaria sua resperſerit. quorum calumniæ occurrens Hieronymus, hæc in quarto super Ieremiam uolumine scripta reliquit:

SOLEO in commentariis & explanationibus, sicut mos est, diuersas sententias ponens interpretum, huiuscemodi miscere sermonem, Quidam hoc dicunt, Alij hoc autumant, Nonnulli sic sentiunt. quod & ipse miserabilis Grunnius, & post multos

A multos annos discipulus Ioniniani, & illius calumniatur me sub alienis nominibus proprias sententias ponere: quod ego causa benevolentiae facio, ne aliquem certo nomine uidear lacerare. Sed benignitas mihi uersa est in calumniam.

STYLVS Hieronymi in quouis horum ordinum longè diuersus est ab eo, quo in cæteris operibus utitur. nam in exotericis opusculis, quæcunque ea sint, siue Parænetica, quæ uitæ institutionem continent, siue Apologetica, quæ ad refellendos hæreticorum errores, & maleuolorum calumnias spectant, habet dicendi genus, uaria quadam & admirabili omnium rerum mistura compositum, & ornamentis & pigmentis ex omni scriptorum uarietate undequaque decerpitis excultum, rhetorum coloribus, dialecticorum argutiis, poetarum flosculis, philosophorum sententiis, omnigenis omnium artium, ac scientiarum allusionibus pictum, & peregrinarum uocum diuersitate, græcis scilicet, hebrais & chaldæis, dictis uariiegatum instar emblematis, ut Ennius ait, uermiculati, & Musei operis multicoloribus lapillis intertexti. Contrà uerò in exegeticis, seu enarrationibus diuinæ scripturæ, sprete uniuersa literarum sæcularium pompa, ab omni eloquentiæ furo, & ab omni difficilium quæstionum ambitione abstinet, nolens, ut ipse inquit, sub occasione diuinorum uerborum eloquentiam & eruditionem suam ostentare, & in his à lectoribus laudem & admirationem aucupari. Vtitur autem ubique dictione succincta, simplici, & aperta, uerbisque, ut ipse ait, è triuio desumptis; dictum illud in omnibus commentariis suis, & in singulis penè librorum præfationibus repetens, uidelicet, QVI flumina eloquentiæ, & concinnas declamationes desiderant, ista non legant. hoc enim solum mihi propositum est, diuinæ scripturæ uerba declarare: & hæc sola est laus mea, ut per me lector diuinæ scripturæ uerba intelligat. cuius propositi ipse rationem reddens, in quæstionibus ad Damasum Papam sic scribit: DE SCRIPTVRIS disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere; nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducenda: pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ uerborum compositione frondeat. sint alij disertis; laudentur ut uolunt; & inflatis buccis spumantia uerba trutinant: mihi sufficit sic loqui, ut intelligar; ut de scripturis loquens, & disputans scripturarum imiter simplicitatem. Atque hæc pauca nunc de exegeticis operibus Hieronymi à nobis uniuersaliter perscripta sint: particulariter uerò, quæ sub ipsius nomine uel in omnes, uel in singulos diuinæ scripturæ libros edita feruntur, duplici Indice distinguemus: in quorum primo indubitatos Hieronymi labores collocabimus; in secundo ea scripta numerabimus, de quibus, an eius sint, apud eruditos maximè dubitatur.

EXEGEMATICORVM VOLVMINVM,

quæ omnes absque ulla hæsitazione Hieronymi esse affirmant, Index primus.

IN TOTVM uetus testamentum ex hebraica ueritate in latinam linguam Translatio; quam, ut cæteris præstantiorem, omnis latinorum ecclesia suscepit, & peruecti patres autoritate sua comprobarunt, in primis uerò Augustinus, libro de ciuit. Dei 18. sic scribens: Non defuit temporibus nostris Hieronymus presbyter, homo doctissimus, & trium linguarum peritissimus, qui non ex græco, sed ex hebræo in latinum diuinæ scripturas conuertit: cuius tantum literarum laborem etiam hebræi fatentur esse ueracem. Huic subscribens Gregorius libro undecimo Moralium, sic loquitur: Nova Hieronymi translatio ex hebræo nobis eloquio cuncta uerius transfudisse perhibetur: propterea credendum

- A dum est, quicquid in ea dicitur; & oportet, ut uerba illius nostra expositio subtilius rimetur. Isidorus, Hispalensis episcopus, libro secundo Etymologiarum hæc addit: Hieronymus, trium linguarum peritissimus, ex hebræo in latinum eloquium diuinæ scripturas conuertit, eloquenterque transfudit. cuius interpretatio meritò cæteris antefertur: nam est uerborum tenacior, & perspicuitate sententiæ clarior, atque utpote Christiana interpretatio uerior. Hæc illi. Nec prætereundum est, quòd Hieronymus Lxx. interpretum editionem, ab incerto autore multis iam antea sæculis latinè uersam, & iniuria temporum corruptam, emendauit, & ad græcam ueritatem restituit: sicut ipsemet in præfatione Paralipomenon testatur. Transtulit autem tanta facilitate ac uelocitate pleraque ueteris instrumenti hebraica uolumina, ut tridui labore tres libros Salomonis, Prouerbia scilicet, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum, ex hebræis latinis fecerit, & librum Tobie ex chaldæo in latinum unius diei opera uerterit.
- B PRAETER hæc etiam nouum omne testamentum, iam ab aliis in latinum uel malè uersum, uel scriptorum negligentia corruptum, diligenter castigauit, & iuxta græcam ueritatem summa cura emendauit. de qua emendatione Augustinus in quadam ad Hieronymum epistola iudicium suum protulit his uerbis: PROINDE non paruas Deo gratias agimus de opere tuo, quòd euangelium de græco in latinum interpretatus es; quia penè in omnibus nulla offensus est, cum scripturam græcam contulerimus. unde si quisquam ueteris falsitatis contentiosus fuerit, prolatis collatisque codicibus, uel docetur, uel refellitur; & si quædam rarissimè meritò mouent: quis tam durus, qui labori tam utili non facilè ignoscat, cui uicem laudis referre non sufficit? Hæc Augustinus.
- C TRANSTVLIT quoque Hieronymus, ut ipsemet in epistola ad Sophronium testatur, uniuersam totius diuinæ scripturæ corpus in Dalmaticam linguam ad utilitatem nationis suæ gentium: quæ usque in hanc diem huius translationis lectione summa cum ueneratione utuntur.
- D VERTIT etiam ex Philone & Origene De interpretatione hebraicorum nominum, quæ utroque testamento comprehenduntur, librum unum, incipientem, *Philos uir disertissimus*.
- POST hos translationum labores scripsit Epistolarium præfationum in singula Bibliorum uolumina librum unum, cuius initium est, *Frater Ambrosius*, Scripsit quoque. IN OMNEM sanctam scripturam Traditionum, siue Quæstionum hebraicarum inchoatæ expositionis librum unum, ab initio uidelicet Geneleos usque ad finem eiusdem uoluminis. quo opere illorum confutauit errores, qui uaria de sacris literis testimonia perperam proferebant, existimantes ea sic in hebraicis codicibus legi, ostendens quæ uerba tam in græcis, quam in latinis beatæ scripturæ codicibus superfluerent, uel deessent, singulis ueritati suæ restitutis. Etymologias præterea rerum, nominum, atque regionum, latinis incognitas, latinè explanauit, promittens se labore consimili in omnem ueterem scripturam annotationes editurum. quod an postea præstiterit, mihi ignotum est.
- SCRIPSIT præterea in Genesim ad Damasum quæstiones tres, uidelicet in Gen. 4. De uindicta occidentis Cain quæstionem unam. IN Gen. 15. De filiis Abrahæ quarta progenie ex Aegypto reuersuris quæstionem unam. IN Gen. 27. Cur Isaac non illi, cui uoluit, sed, cui noluit, filio benedixit, quæst. 1. ITEM in Gen. 14. De Melchisedech ad Euagrium epistolam unam. IN Exodi caput 39 De uestitu sacerdotalis epistolam unam. IN 33. caput libri Numerorum De 42. mansionibus filiorum Israel in deserto, ad Fabiolam epist. 1. IN idem De terra promissionis ad Dardanum epist. 1. IN idem libellum paruam De terra repromissionis, cuius meminit libro primo in Ieremiam.

IN Regum 3. De Ephod ad Marcellam epistolam unam.
IN 4. Regum 17. De Achaz filium generante, cum esset annorum undecim, epist. 1. ad Vitalem.

IN PSALTERIVM exhibuit epistolas, ac triplicem translationis uarietatem, Primam quidem, cum Romæ esset, iussu Damasi Papæ: quæ correctio magis dici debet, quàm translatio. correxit enim, & magna ex parte emendauit uulgatâ Psalterij editionem, innumeris mendis contaminatam, secutus in hoc græcam Lxx. interpretum uersionem. Hæc cum, Damaso mandante, in ecclesia Romana legi, cantariq; cœpisset; ROMANVM PSALTERIVM appellata est. uerum, cum hæc emendatio rursus deprauata esset uitio scriptorum, apud quos plus antiquæ translationis error, quàm nouæ correctionis fides ualebat; Hieronymus hortatu Paulæ, & Eustochij Secundam editionem ex græca Lxx. interpretum uersione emisit. in qua appositis obelis, hoc est iacentibus lineis, signauit quæ apud Lxx. essent superflua, & insertis pariter huiusmodi asteriscis *, notauit quæ ipse ex hebraica ueritate addidisset. Quod opus cum Damasus in ecclesiis Galliarum cani concessisset, PSALTERIVM GALLICANVM uocatum est. Tertiam editionem ex hebraico ueritatis fonte in latinum eloquium transfudit, postulante Sophronio: à quo cum Iudæi, prolatis psalmorum testimoniis, disputatione urgerentur; iridentes singulo penè uerbo respondebant, non ita haberi in hebræo, ut ipse de Lxx. interpretibus oponebat. Hanc editionem, rursus à Sophronio in græcam conuersam, nulla, quod sciam, ecclesia cantare consueuit. Scripsit quoque in secundam à se editam Psalterij uersionem libellum, seu epistolam ualde prolixam ad Sunniam & Fretellam, ostendens, quibus in locis editio Lxx. interpretum distaret ab hebraica ueritate, & quomodo restitui deberent deprauata in psalmis iuxta hebraicam fidem, & Lxx. editionem à se prius in latinum conuersam, & asteriscis obeliscisq; distinctam.

FERTVR item in rotum Psalterium scripsisse commentarios; ex quibus Gregorius, edisserens psalmos, qui Pœnitentiæ dicuntur, testimonium affert ex expositione psalmi 50. & Augustinus ex explanatione psalmi 93. in epistola ad Fortunatum, Sicæ episcopum, sententiam profert.

PRÆTER hæc elucubrauit epistolares explanationes in tres psalmos, hoc est
IN psal. 44. ad Principiam uirginem epistolam unam,
IN psalmum 99. ad Cyprianum epist. 1.
IN psalm. 126. ad Marcellam epist.

VERTIT item ex commentariis Origenis super psalmos tractatus septem, à psalmo decimo usque ad psalmum decimum sextum, in singulos psalmos tractatus singulos. Scripsit quoque

IN ECCLESIASTEN ad Paulam & Eustochium librum unum iuxta sensum literalem & spirituales, mira breuitate miraq; facilitate conspicuum. in quo nullius editionis secutus auctoritatem, magis se Lxx. interpretum consuetudini coaptauit, in his duntaxat, quæ non multum ab hebraica ueritate discrepabant. interdum Aquilæ quoque, & Symmachi, & Theodotionis translationes explicauit. Operis initium est, *Memini me*. Scripsit præterea ad Marcellam epistolam unam, cuius initium, *Nuper cum Rethicij*. in qua taxat Rethicium, Heduorum episcopum, quod perperam interpretatus esset Aurum ophez, pro quo capite quinto legimus Aurum optimum. & declarat ipse quid sit. Edidit post hæc

IN PROPHEAS omnes tam maiores, quàm minores commentariorum libros 63. in quibus iuxta utranque editionem primus omnium latinorum expositionem historicam & ad literam super singulis prophetarum uerbis à primo usque ad ultimum aggressus est, & perfecit. quod propter ingentem rei difficultatem nullus ante eum nec incipere, uel inceptum persequi ausus erat. Quibus iactis fundamentis, anagogicos & tropologicos sensus historiarum superadificauit, secutus in his græcos autores, maximeq; Origenem suum. Enarrauit autem solerti diligentia prophetas singulos stylo succincto & simplici, sed quammaximè facili & aperto; hanc sibi summam esse laudem arbitratus, si per eum omnia prophetæ uerba

ba clarissimè explicarentur. Partitus est autem cōmentarios suos in multos libros, ut longum explanationis iter, certis spatiis separatim, faciliorem faceret dictantis, scribentis, ac legentis laborem per partes diuisum. præposuitq; singulis libris argutas quasdam præfatiunculas; in quibus argumenta explanationum breuiter explicat, & æmulum suorum maledicta acriter confutat. Dictauit autem in extrema senectute hos commentarios non eodem ordine, quo in Canone leguntur, sed prout potuit, & ut rogatus est, excipientibus notarijs dicta sua, cum iam caligantibus oculis, & trementibus digitis laborem propria scribendi manu ferre non posset, tanta insuper celeritate, ut penè relegendi emendandiq; spatium non habuerit. Horum librorum catalogus hic est:

IN ESAIAM prophetam commentariorum ad Eustochium libros 18. incipientes
Expletis longo uix tempore.

ITEM IN ESAIÆ caput 6. de mysterio Seraphin ad Damasum Papam, ut in uulgatis codicibus legitur, epistolas duas; quæ tamen epistolæ non sunt, nec ad Damasum scriptæ, sed unus tractatus à nescio quo in duas sectiones diuisus. de quo Hieronymus libro commentariorum in Esaiam tertio sic scribit: De hac uisione ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli, & apud uirum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc eiusdem urbis episcopum, sanctarum scripturarum in studiis erudirer, scio me dictasse breuem subitumq; tractatum, ut experimentum caperem ingenio mei, & amicis iubentibus obedirem. ad illum itaque libellum remitto lectorem.

IN IEREMIAM commentariorum ad Eusebium libros 20. quos Rabanus in præfatione commentariorum Ieremiæ, & Tritemius, & Casiodorus citant. sed tamen ex his non nisi sex in duo & triginta huius prophetæ capita inueniri potuerunt. Horum initium est, *Post explanationem.*

ITEM Lamentationes Ieremiæ latinis carminibus reddidit, sicut ipsemet in præfatione Ieremiæ, à se translata, testatur.

IN EZECHIELEM ad Eustochium libros quatuordecim. *Finitis in Esaiam decem & octo explanationum uoluminibus.*

IN DANIELEM ad Pammachium & Marcellam expositionis interpolatæ, seu per interualla librum unum. *Contra prophetam Danielelem.*

IN OSEE ad Pammachium lib. 3. *Si in explanationibus.*

IN IOEL ad Pammachium lib. 1. *Non idem est ordo.*

IN AMOS ad Pammachium lib. 3. *Amos propheta.*

IN ABDIAM ad Pammachium lib. 2. quorum alterum scripsit in senectute, cuius initium est, *Cum essem paruulus*. alterum scripsit in adolescentia allegoricè, cum nondum intelligeret historicum scripturarum sensum, qui temporis iniuria interiiit.

IN IONAM ad Chromatium lib. 1. *Triemium circiter fluxit.*

IN MICHAËAM ad Paulam & Eustochium libros duos. *Micheas, in quem nunc.*

IN NAHVM ad eosdem librum unum. *Iuxta Lxx. interpretes.*

IN ABACVCH ad Chromatium lib. 2. *Primum Chromati.*

ITEM annotationum in eundem prophetam librum alterum. *Onus quod.*

IN SOPHONIAM ad Paulam & Eustochium lib. 1. *Antè, quàm Sophoniam aggrediar.*

IN AGGÆVM ad eosdem lib. 1. *Secundo anno Darij.*

IN ZACHARIAM ad Exuperium Tolosanum episcop. lib. 3. *Ultimo iam autumnus.*

IN MALACHIAM ad Minerium & Alexandrum librum unum. *Ultimum 12. prophetarum.* Atque hæc in uetus testamentum elucubrauit: nunc sequuntur quæ in nouum testamentum composuit.

IN MATHÆVM commentariorum ad Eusebium libri quatuor: in quibus, omissa ueterum auctoritate, quos nec legendi, nec sequendi ob angustiam temporis facultatem habuit, historicam interpretationem breuiter digessit, interdum spiritualis intelligentiæ flores miscens, iaciensq; in his fundamenta futuro operi,

quod postea in Matthæum fusius ac exactius absoluit. Distant autem hos quatuor A
libros tanta celeritate, ut intra duarum hebdomadarum spacium, & imminente
Paschatis festiuitate, qua maximè spiritualibus occupationibus detinebatur, totum
opus perfecit. eius initium est, *Plures fuisse.*

SCRIPSIT & alia quædam in Matthæum, de quibus habemus

In Matth. 6. super illud, Nolite solliciti esse de crastino, ad Amandum epi-
stolam unam.

In Matthæi 11. De discipulis, quos Ioannes misit ad Christum, ad
Algasiam quæst. 1.

In Matth. 12. super illud, Arundinem quassatam non confringet, ad Algasiam
quæst. 1.

In Matth. 16. super illud, Qui uult uenire post me, ad Algasiam quæst. 1.

In Matth. 20. super illud, Osanna benedictus, ad Damasum epist. 1.

In Matth. 21. super illud, Si uis perfectus esse, ad Nedibiam quæst. 1. B

In Matth. 24. super illud, Vah prægnantibus & parturientibus, ad Algasiam
quæst. 1.

In Matth. 26. super illud, Non bibam amodo de hoc genimine uitis, ad Hel-
dibiam quæst. 1.

In Matth. 28. De tempore resurrectionis Christi, & quæ in eo con-
tigerunt, ad Nedibiam quæst. 3.

In Luca cap. 15. De filio prodigo ad Damasum Papam epistolam unã,
quæ incipit, *Beatitudinis tuæ.*

IN EPISTOLAS Pauli duplex attulit expositionis genus, Hypomnematicum
scilicet, ac Epistolare. in primo quidem genere collegit ex explanationibus Orige-
nis, Victorini, Didymi, Alexandri, Theodori, & Apollinarij in epistolam ad Ga-
latas, ad Paulam, & Eustochium lib. 3. quorum primus incipit, *Pauci admodum.*

IN epist. ad Ephes. ad eosdem libros 3. quos tanta se festinatione edidisse testa- C
tur, ut per singulos dies usque ad numerum mille uersuum dictaret. Horum
initium est, *Sapientem uirum.*

SCRIPSIT item eodem stylo in epist. ad Titum lib. 1. incipientem, *Licet non sint.*
ITEM in epist. ad Philemonem lib. 1. incipientem, *Qui nolunt.*

EXARAVIT præterea in uarios Pauli libros quæstiones & epistolas uarias, de
quorum numero sunt

In illud Rom. 5. Vix pro iusto quis moritur, ad Algasiam quæstio una.

In illud Romi. 7. Occasione accepta peccatum reuixit, ad Algasiam quæst. 1.

In illud Rom. 9. Optabam anathema esse, ad Algasiam quæst. 1.

In illud 1. ad Cor. 6. Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est,
ad Amandum epist. 1.

In illud 1. ad Cor. 8. Quæ sint illa, quæ oculus non uidit, ad Marcellam.

In illud 1. ad Cor. 15. Oportet illum regnare, ad Amandum quæst. 1. D

Itē in illud 1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus, ad Minerium & Alexan-
drum epist. 1.

In illud 2. Cor. 2. Aliis odor mortis, aliis odor uitæ, ad Hedibiam quæst. 11.

In 2. cap. ad Galatas De simulatione Petri & Pauli ad Augustinum epist. 1.

In illud Coloss. 2. Nemo uos superet, ad Algasiam quæst. 1.

In illud 1. Thess. 4. De raptu uiuentium in occurso domini, ad Marcellam
quæst. 1.

In 2. Thess. 2. De homine peccati ad Algasiam quæst. 1.

In 1. Tim. 3. De episcopi conditionibus ad Oceanum epist. 1.

ATQUE hæc sunt indubitata Hieronymi scripta: quæ uerò dubia sunt, sequenti
indice annotantur.

EXEGE-

A EXEGEMATICORVM INDEX SECVNDVS;
in quo sub incerto Hieronymi titulo hæc habentur;

| | | |
|---|-------------|----------------------------------|
| In tres libros Regum | liber unus, | <i>Fuit uir unus.</i> |
| In duos libros Paralip. | liber unus, | <i>Heber nati sunt.</i> |
| In Iob | liber unus, | <i>Iob qui dolens.</i> |
| In Psalterium. | liber unus, | <i>Proximè cum Origenes.</i> |
| In Prouerbia | libri tres, | <i>Parabolæ Salomonis.</i> |
| In Lamentationes | libri tres, | <i>Habes in lamentationibus.</i> |
| In Marcum | liber unus, | <i>Omnis scriba doctus.</i> |
| In Luca cap. 15. de filio prodigo | liber unus, | <i>Omnium quidem.</i> |
| In Actus Apost. de interpreta- tione nominum | liber unus, | <i>Acheldemach ager.</i> |
| In omnes Pauli epistolas | lib. 14. | <i>Literis tuis.</i> |

De his omnibus, quid ipse, meliori semper iudicio acquieturus, censeam, pau-
cis indicabo.

DE ANNOTATIONIBVS IN LIB. REGVM, ET PARALIP.

ANNOTATIONES in tres libros Regum, & duos Paralipomenon Nicolaus
Lyranus in commentariis eorundem uoluminum negat esse Hieronymi, affirmans
autorem earum fuisse neophytum quendam Iudæum; qui ex hebraicis fabulis mul-
ta non minus ficta, quam ridicula annotauerit. quam Lyrani sententiam illud etiam
comprobare uidetur, quòd Hieronymus in Annotationibus, quas scripsit, in Ge-
nesim hebræa passim & græca diuinæ scripturæ testimonia profert hebraicis & græ-
cis uerbis expressa, expendens ubique uarias diuersorum interpretum translatio-
nes: quarum rerum nullam in his annotationibus mentionem reperies.

DE COMMENTARIIS IN IOB.

COMMENTARIVS in Iob, quem auctor, ut ex fine uoluminis apparet, in
gratiam Vesterij episcopi collegit, ideo suppositicius existimatur, quia nec Septua-
ginta interpretum editionem, nec hebraicam ueritatem sequatur, neque ullum ci-
tet ueterum expositorum; sed mystica tantum sensa, omisso prorsus literæ intelle-
ctu, pertractat. quæ omnia longè absunt ab Hieronymi consuetudine. Coniici po-
test (si quid tamen huiusmodi coniecturis tribuendum est) opus hoc esse Bedæ pres-
byteri, utpote Angli ad Anglum scribentis. Vesterium enim apud Anglos episco-
parum gessisse, & Bedæ temporibus uixisse, testatur uolumen illud Chronicum,
quod uulgò CHRONICA ANGLICANA appellatur. negandum tamen non est ple-
raque in his commentariis esse ex Hieronymi scriptis mutuata. nam, ut cætera omit-
tam, Faustus, Galliarum episcopus, circa annum ab ortu Christi 430. in principio
libri De creaturis testimonium ex tractatu quodam Hieronymi citauit; quod nunc
habetur hîc ad uerbum in fine explanationis uigesimi quinti capitis in Iob.

DE COMMENTARIIS IN PSALTERIUM.

COMMENTARIA Annotationum in psalmos per interualla dispositarum mul-
ta indicia significant non esse Hieronymi. primùm, quòd auctor hic, posthabito
historiæ sensu, in solis allegoricis ac tropologicis expositionibus uersatur, nulla
usus editionum uarietate. græcam deinde & hebraicam eruditionem, quam in
omnibus exegeticis afferre solet Hieronymus, nullam habet. multa quoque scri-
psit cum Hieronymianis placitis ex diametro pugnantia, ceu in interpretatione

Ccc 3 psalmi

psalmi 77. ubi Cynomiam esse dicit muscam caninam, reclamante Hieronymo in **A** epist. ad Suniam & Frētellam. In psalmo 86. annotat secundum hebraicam ueritatem legendum fore, *Nunquid Sion dicit homo*, contra Hieronymi translationem; qui iuxta id, quod in hebræo habetur *יְהוָה לֵב זִיּוֹן*, transtulit, **AD SION DICET HOMO**. Psalmum 89. quem Hieronymus Moyfi ascripsit, Mosis non esse contendit. Et in explanatione psalmi 13. testimonium illud Pauli in tertio capite epistolæ ad Romanos, quod Hieronymus ex Efaia usurpatum demonstrat, hic ex Deuteronomio sumptum asseuerat. His accedit, quod ineptia sermonis, battologiis & solœcismis ubique scatens, ab Hieronymiana tam phrasi, quam scribendi genere abhorret; sæpeq; in homiliarum & concionum formulas excurrit, repetens ad fastidium usque ineptas quasdam excitatiunculas: in quibus illæ sunt, Hoc totum quare dico? Vultis scire, quid hoc sit? Et uidete, quid dicat. Constat ex expositione psalmi 89. & 111 & 115. autorem operis fuisse monachum; qui astantibus monachis, ad constitutæ horæ mensuram dicere consueuerit, allatis hinc inde **B** rapsodiis ex commentariis diuerforum doctorum, & præsertim Hieronymi: sicut uidere licet in enarratione psalmi 93. cui ad uerbum inseritur fragmentum Hieronymianæ expositionis ab Augustino citatum in epistola ad Fortunatum episcopum Siccensem, & in expositione psalmi 50. ubi referuntur uerba Hieronymi allegata à D. Gregorio in explanatione quarti psalmi pœnitentialis. Sunt qui existiment commentarios istos esse Hieronymi, sed ab incerto impostore naniis, nugisque innumeris contaminatos.

DE COMMENTARIIS IN PROVERBIA SALOMONIS.

LIBRI tres commentariorum in Proverbia negantur fuisse Hieronymi tum propter sententiarum & eloquij dissimilitudinem, tum quod in iis citantur non semel Gregorius & Augustinus. nam & testimonium Augustini ex libro de mendacio ad **C** Cosentium adducitur in explanatione sexti capitis. & iterum in explanatione capituli uigesimali citatur eiusdem distichon ex sermonibus ad Eremitas, hoc est,

*Si quis amat dictis absentum rodere uitam,
Hanc mensam indictam nouerit esse sibi.*

& in expositione 21. capitis citat beatum Papam Gregorium in homiliis euangelij. & in annotationibus 30. cap. allegat nominatim ipsius D. Hieronymi sententiam ex commentariis in Ieremiam. Tritemius hos commentarios Bedæ tribuit, cuius etiam titulo in antiquissimis exemplaribus prænotantur.

DE COMMENTARIIS IN THRENOS.

IN Commentationibus Threnorum præter præfationes quasdam ad Eusebium, partim ex epistola Hieronymi de interpretatione alphabeti hebraici ad Paulam **D** Urbicam, partim ex aliis eiusdem scriptis collectas, nihil habetur, quod Hieronymianum ingenium spiret. nam præterquam quod nullum his insit uel græcæ, uel hebraicæ intelligentiæ uestigium; structura quoque sermonis, ubique inæqualis, apertè clamat, nihil aliud esse hoc opus, quam farraginem centonum, à studio collectore, ex uariis diuerforum autorum dictis, & ex Gregorij potissimum sententiis, atque integris capitulis coaceruatam. Nec uereor affirmare coaceruationis huius adunatorem fuisse Rabanum Maurum; in cuius operibus, Basileæ excusis, hi tres libri habentur. hos typographi, ut Hieronymi scripta, in maiorem molem aucta, plausibilius publicarent, & maiori precio uenditarent, Hieronymi tomis inferuerunt, recisis ex initio præfationis Rabani aliquot lineis, quo minus impostura à cæcis emptoribus deprehenderetur.

DE

DE COMMENTARIIS IN MARCVM.

COMMENTARII Mysticæ explanationis in Marcum magis abhorrent à stylo Hieronymi, quam ignis ab aqua. hos esse hominis, qui non multum latine, minus etiam græcè & hebraicè nouerit, argumento sunt orationis barbaries, & inepta peregrinarum uocum interpretatio: cuius exemplum habes in expositione capituli 14. ubi autor annotauit hanc dictionem Pascha latine significare transitum, Phase uerò immolationem; & Nardum pypticam idem ualere, quod Mysticam. sed & eodem loco affirmat Mariam, quæ in domo sua unxit caput Christi, fuisse peccatricem illam, quæ in domo Pharisei, eiusdem pedes lacrymis lauit: & capite 15. scribit arietem pro Isaac immolatum ab Abraham in monte Caluarie. quarum **B** sententiarum priorem Hieronymus improbat capite in Matthæum 26. posteriorem uerò in epistola ad Marcellam, affirmans idem arietis sacrificium oblatum in monte Moria. Rursum in explanatione capituli 15. inserit uersus quosdam de figura crucis, mutilatim reuulsos, ex quarto libro carminum Sedulij, quem quidem constat fuisse annis aliquot Hieronymo posteriorem.

DE FILIO PRODIGO.

HVNC quoque tractatum non esse Hieronymi, si parum liqueret ex orationis caractere, uel illud arguere poterat, quod uerisimile non sit Hieronymum, qui expositionem huius parabolæ ad Damasum scripserat, iterum, mutata sententia, tractatum alterum contrario explanationis sensu edidisse; & quod ipsum omnes typographi inter homilias Ioannis Chrysoptomi excuderint. quanquam neque Chrysoptomi sit, sed incerti scriptoris, ut in censuris operum eius annotauimus.

DE ANNOTATIONIBVS IN ACTA APOSTOLORVM.

ET harum Annotationum libellum studiosus quidam collegit ex D. Hieronymo; cuius & nomen, & librum De nominum interpretatione citauit in fine uoluminis. Credibile est collectorem fuisse Bedam, in cuius operibus hic idem libellus adhuc extat.

DE COMMENTARIIS IN PAVLVM.

ANNOTATIONES in tredecim Pauli epistolas, quanquam in fronte præferant præfatiunculam Hieronymi ad Heliodorum scribentis, styli tamen diuersitas, & dogmatum discrimen, ipsius non esse indicant. Ambrosius, Compse archiepiscopus, autumat scriptorem operis fuisse Pelagium; quia in expositione octauæ & noni capituli epistolæ ad Romanos doceat prædestinationem æternam esse ex meritis electorum diuina præscientia præuisis. Ego uerò, ut liberè pronunciem quod sentiam, nihil dubito autorem, quisquis ille fuerit, Pelagiana peste laborasse; sicut apertissimè deprehendi potest ex annotationibus septimi capituli epistolæ ad Rom. ubi edisserens illud, *Sine lege peccatum erat mortuum*, insanire eos putat, qui credunt peccatum Adæ ex traduce parentum in nos deriuasse; affirmans idem peccatum non propagatione, sed exemplo duntaxat ad posteros transfusum. Ex quo satis liquet Hieronymum, Pelagiani dogmatis hostem acerrimum, non fuisse huius operis autorem. Sunt & alia quædam in his commentariis asserta, hæreseos suspicione non carentia; quæ nos unà cum prædictis erroribus sequenti uolumine annotauimus.

PRAETER hæc asserit Tritemius Hieronymum scripsisse in quatuor euangelia iuxta anagogiam libros 4. quorum initium est, *Primum querendum* item in epistolas canonicas lib. 7. & in Apocalypsin lib. 4. de quibus quid certi afferam, nihil habeo

habeo, nisi quod Hieronymus in præfatione commentariorum Victorini ad Anato- A
lium se in Apocalypsin scripturam promisit.

HAEC igitur sunt Exegetica scripta Hieronymi, qui post innumeros studio-
rum suorum labores moritur sub Honorio & Theodosio principibus anno ætatis
suæ 91. circa annum salutis nostræ 422. cuius uitam Eusebius Cremonensis, di-
scipulus eius, literarum monumentis mandasse creditur.

HIERONYMVS, Veronensis episcopus, patria Venetus, ex nobili fami-
lia Triuifana, ordinis Prædicatorum, in sacris declamationibus tota Italia
celeberrimus, ostendit mihi in epistolam ad Hebræos explanationem à se editam eru-
ditionis, & iudicij singularis. Moritur anno domini 1562.

HIERONYMVS Varlenius Syluius, sacrarum literarum Ultraieci apud
Ioannitas professor, composuit commentariorum libros tres in omnes Dau-
dicos psalmos, in quibus ueterum interpretum uarias editiones afferens, obscurio-
res locos elucidauit. Horum initium est, *Antequam enarrationem*. Claruit an-
no domini 1550. B

HIERONYMVS Vida, Cremonensis, ex canonico regulari Lateranense
Albæ episcopus, poeta Virgiliani carminis incomparabilis imitator, primus
ferè omnium latinorum poetarum uitam, mortem, resurrectionem, aliaque serua-
toris nostri gesta, ex quatuor euangelis collecta, sublimitate carminis Virgi-
lianæ maiestati proxima, felicissimè cecinit. quod etiam ipse, non ineptus sui
ipsius existimator, his uersibus fatis modestè indicauit:

*Ipsè ego tentatum multis opus antè, Camænas
Vertice ab Aonio duxi Jordanis ad undas;
Perquæ Palestinos salius super ardua sisto
Montis Idumæi.*

& post pauca,

*Nulla erat uia: prærupta, atque aspera saxa,
Et densi latè obducebant omnia uepres.
Ipse, manu ualidam quatiens utraque bipennem,
Latum limitem ago, fructicum cedentibus umbris.
Iamquæ aditus datur, atque uia licet ire patenti.
Spero etiam fore, cum, quæ nos extundimus ipsi,
Olim aliquis diuis & musis charior ipsis
In melius feret, atque impensius arte polibit:
Et, quæ iam nostra primo patefacta labore est,
Mollius ille uiam solidabit marmore seeto.
Mi sat erit specimen clari monstrasse laboris,*

C COLLEGIT igitur eruditissimus hic uir ex quatuor euangelis Christiados libros
sex, quorum initium est,

Qui mare, qui cælum, qui terras numine complex.

Viuit adhuc usque ad præsentem annum 1566.

HILARIVS, Episcopus Arelatensis, ad quem eremi deserta petentem D
Eucherius, Lugdunensis antistes, librum, edidit de laude Eremitæ, uir in scriptu-
ris diuinis uersatus, & fatis disertus eloquio, cuius merita sanctitatis catholica
personat ecclesia, tantæ pietatis extitit in pauperes, ut omnibus suis in eorum usus
hilariter dispersis, pater pauperum deinceps uocaretur, & esset. scripsit inter cæ-
tera ad Leonem Papam heroico carmine historiam Geneleos quambreuissimè, à
principio uidelicet usque ad septimum caput. eius initium est,

Paruimus monitis tua dulcia iussa secuti.

Moritur anno domini 440.

HILARIVS, Pietauiorum in Gallia Aquitanica episc. uir eruditione, sancti-
tate, ac miraculis illustris, quæ Hieronymus ob insignè eloquentiam uocat Ro-
mani sermonis tubam, latinæq; eloquentiæ Rhodanum, elaborauit in diuinas scriptu-
ras multa laudatissima Mysticæ explanationis opuscula, hoc est, in Iob tractatus,
hec homilias plurimas, quas Hieronymus in epistola contra Vigilantium ex Orige-
ne

A ne collectas testatur. ex his Augustinus in 2. libro contra Iulianum testimonia pro-
fert aduersus Pelagianorum hæresin.

SCRIPSIT & in psalterium iuxta Lxx. editionem commentaria: de quibus re-
fert Hieronymus legisse se in psalmum primum & secundum, & in psalmum 51. us-
que ad 62. & à 118. usque ad extremum. Ego ultra hos legi etiam alios com-
mentarios in psalmos septem, hoc est à 62. usque ad 70. typis excusos. Sunt qui
asserant eum edidisse tractatus in integrum corpus Psalterij, extareque in Hispania.
sed utcumque sit, Hieronymus, in Rufinum scribens, affirmat Hilarium hanc psal-
morum explanationem uertisse ex commentarijs Origenis in Psalterium; ex quibus
ad quadraginta millia uersuum eodem sensu transtulit, paucis quibusdam de suo in-
terpositis. & cum ipse hebraei sermonis ignarus esset, & græcarum literarum uix
quandam tenuem auram accepisset; usus est opera Heliodori presbyteri, sibi amicis-
simi, græcè docti, petens ab eo quæ in Origenis lectione intelligere non ualebat.

B Verum, cum Heliodorus hebrææ linguæ esset expertus, & nonnunquam græcorum uer-
borum ambigua significatione falleretur; in causa fuit, ut Hilarius, errorem eius
secutus, in aliquibus psalmorum locis longè à puro ac germano literæ sensu expo-
sitiones suas ad allegoricos & anagogicos sensus detorserit. Stylus eius tam in Psal-
terij, quàm in Matthæi commentarijs est absque ulla artis affectatione pressus, so-
lidus, interdum suboscuro, sed ab omni tumore fastuque alienus. tametsi diuersum
sentire uisus sit Hieronymus: qui, ad Paulinum scribens, HILARIUS, inquit,
Gallicano cothurno attollitur; & cum græcæ floribus adornatur, longis interdum
periodis inuoluitur; & ob id à simplicium fratrum lectione procul est. Quæ sa-
nè Hieronymi uerba referenda sunt ad libros duodecim De trinitate; in quibus, ut
idem Hieronymus in epistolam ad Magnum oratoricè scribit, duodecim Quinti-
liani libros & stylo imitatus est, & numero, Operis exordium est. *Diuersas esse
plurimorum & c.*

C EDIDIT quoque in Canticum Canticorum commentarios, quos tamen Hiero-
nymus se ignorare fatetur.

PRÆTEREA distinxit euangelium Matthæi in 33. Canones: secutusque huius
partitionis ordinem, succincta, sed erudita ac solida explanatione totum serè euan-
gelium differuit, allegorico magis quàm literali sensu delectatus. Operis initium
est, *Gressus, quem Matthæus & c.*

MULTA hic incomparabilis episcopus ab Atrianis sustinuit, nam & Saturnini,
Arelatensis episcopi, de synodo Biterensi Phrygiam relegatus, quatuor annis con-
stanti animo durum passus est exilium; à quo reuersus, moritur Pietauis, Valenti-
niano & Valente regnantibus, anno domini 370.

SCRIPSIT eius uitam hexametro carmine Fortunatianus, Pietauiensis episcopus,
anno domini 570.

HILDEGARDIS, Abbatissa cœnobij sancti Ruperti, Bingenensis oppidi
Moguntinæ dioceseos, ordinis Benedictini, uirgo sanctissimæ conuersionis,
& à pueritia sua diuinis reuelationibus illustrata, & miraculis comprobata,
scripsit latino sermone in euangelia totius anni; de quibus Tritemius recenset homi-
lias quinquaginta octo. Moritur anno domini 1180. Huius uenerandæ uirginis ui-
tam Theodoricus Teuto, abbas Benedictinus, quatuor uoluminibus complexus est,
anno domini 1200.

HIPPOLYTUS, ut Hieronymus scribit, incertæ urbis episcopus, uel, ut
Geladius Papa primus in libro aduersus Eutychem testatur, Arabum metropo-
lis episcopus, siue, ut refert Zonara, Romani Portus episcopus & martyr, uir
in diuinis scripturis eruditissimus, & allegoriarum, quantum ex eius fragmentis
apparet, studiosissimus, scripsit in sacras scripturas multa & penè incredibilia
græca uolumina: ita ut Ambrosius ille, quem Hieronymus *Ερροδωτην*, hoc est Ad
opus urgentem, appellat, exhortaretur, & quodam modo Origenem impelleret,
ut ad Hippolyti imitationem in sanctas literas commentaria scriberet, præbens ei
chartas, membranas, & septem notarios, totidemque uelocissimas in scribendo
puellas,

D d d

puellas, & librariorum parē numerum, cum sumptibus eorundem, exigensque ab eo quotidie nouum opus. unde effectum est, ut hi duo clarissimi uiri generoso quodam certamine in editione librorum alter alterum totis uiribus superare contenderent. Scripsit ergo Hippolytus.

In Genesim ex integro commentarios: de quibus Hieronymus Quæstione 3. ad Damasum citat testimonium ex expositione capituli 27.

ITEM in Hexaemeron separatim librum unum.

In Exodum librum unum.

In Numeros librum unum.

In principium libri Regum serm. 1. à Theodoro in Polymorpho citatum.

In Psalterium tractatus, ex quibus Theodoretus in Polymorpho ponit fragmenta ex expositione psalmi 2. 22. & 23.

In Prouerbia Salomonis librum unum.

In Ecclesiasten librum unum.

In Cantica Canticorum librum unum.

In partem Ezechielis librum unum.

In Zachariam librum unum.

In Matthæum librum unum.

In Apocalypsin librum unum.

REPERTI sunt superioribus annis Basileæ commentarij quidam in Apocalypsin, HIPPOLYTO inscripti; de quibus ob eruditionis & styli inopiam ambigitur. Claruit autem sub Alexandro Seuero anno domini 220.

CITATUR in multam græcis, quam latinis commentariis Hippolytus, Romæ episcopus; in quibusdam uero Hippolytus Romæ, uel Romanus tantum: quem quidam suspicantur alium esse Hippolytum ab isto diuersum, latineque scripsisse, eo quod Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem Romanum recenset Hippolytum quendam, Romanæ urbis senatorem, inter eruditissimos ecclesiæ scriptores.

HONORIVS, Augustudunensis ecclesiæ presbyter, in diuinis uoluminibus assidue uersatus, & omnibus liberalibus artibus imbutus, scripsit latino & eloquenti sermone in Hexaemeron librum unum, in Psalterium librum 1. in Cantica Cant. librum 1. qui incipit, *In principijs librorum*. Claruit sub Henrico V. Imp. anno domini 1120.

HVBERTVS Leonardus, episcopus Dariensis, Carmelita, scholæ theologice quondam apud Parisios moderator, & hæreticæ prauitatis inquisitor, scripsit iuxta scholæ suæ consuetudinem in euangelium lucæ librum unum. Claruit anno domini 1490.

HVBERTINVS de Casali, ord. Minorum, uir pius, & diuinæ scripturæ studiosus, cum uideret ordinem suum à prima institutione deficere, nonas quasdam sub specie reformationis separationes incepit, & eas à summo pontifice confirmari obtinuit: quæ tum ad petitionem ministrorum eiusdem ordinis per eundem Papam reuocatae sunt; quoniam in graue scandalum, & schisma ordinis uidebantur præsumptæ. unde commotus Hubertinus, ordinem Cartusiensium ingressus, scripsit ad uniuersos Christi fideles in Apocalypsin commentarium, quem attulauit DE SEPTEM STATIBVS ECCLESIAE iuxta septem uisiones beati Ioannes in Apocalypsi; in quo à nonnullis sui ordinis professoribus quædam prophético spiritu scripsisse putatur. Operis initium est, *Vniuersis Christi Iesu uere fidelibus*. Claruit sub Alberto Imper. anno domini 1300.

HVG O Carensis, uel ex oppido S. Cari, uel de S. Theodorico, Barchinonensis episcopus, professione Dominicanus, titulo S. Sabinae presbyter cardinalis, primus ex ordine Prædicatorum ad cardinalatum assumptus, uir morum sanctitate & literarum copia insignis, quem Umbertus Viennensis, Prædicatorum fratrum quintus generalis magister, auditor eius ac discipulus, ex academia Facultatum disciplinarum ad institutum religionis suæ pertraxit, & paulo post Innocentius

A tius Pontifex IIII. eius dulci & erudita familiaritate summpere delectatus, in collegium cardinalium coaptauit, & in Germaniam ad imperij electores legatum misit; ut eo suafore in abrogati Friderici secundi locum alium imperatorem sufficerent. Hic opera multa edidit: de quibus in uniuersam scripturam habentur commentarij iuxta quadruplicem sensum, Scholastico, id est breui, nudo, & protracto sermone absque ullo fuce secularis eloquentiæ conscripti, à uariis diuinæ scripturæ sententiis more Scholasticorum incipientes. quorum initia, utpote omnibus nota, breuitatis gratia omitto.

POST hos autem commentarios primus omnium excogitauit indicem magnum in sacrosancta Biblia, CONCORDANTIAS BIBLIAE prænotatum, laboriosissimum sanè & immensi tædij ac temporis opus, sed sacrorum uoluminum studiosis magnopere necessarium; in quo singulas diuinæ scripturæ dictiones declinabiles secundum consequentiam literarum accuratissima diligentia digessit, annotatis non solum libris, sed etiam librorum capitulis, & capitulorum lineis, in quibus unaquæque desiderata dictio contineretur. Sunt qui existiment hoc opus ob immensi temporis laborisq; dispendium, cui unius hominis uita satis esse non poterat, hortatu Hugonis iniunctum fuisse quingentis studiosis patribus diuersorum cœnobiatorum, ea ratione, ut singuli singulas dictiones in alphabeticas classes redigerent; sicq; breui tempore multorum sedulitate perfectum fuisse opus. quod postea tam à græcis, quam ab hebræis diligentissimè imitatum uidimus, opera R. Isaac Nathan Iudæi, & Eutalij Rhodij monachi: quorum ille hebraicas Bibliæ concordantias, hic græcas collegit. Has Romæ uidimus in antiquis membranis græca manu descriptas: illas uerò typis Iustiniani Venetiis excusas.

CLARUIT sub Federico II. Imper. & mortuus est Lugduni anno domini 1262. atque ibidem sepulcrum obtinuit in templo Prædicatorum.

HVG O Virley, Anglus, Carmelita, Nordouicensis cœnobij professor, scripsit commentarios in Matthæum anno domini 1344.

HVG O Victorinus, seu de S. Victore, natione Saxo, canonicus Augustiniani instituti, abbas cœnobij B. Victoris Parisiorum, uir diuinarum & humanarum literarum exquisita eruditione clarissimus, & Augustini doctrinæ, ac phrasos usque adeo æmulator, ut AVGVSTINI LINGVA communi eruditorum sui temporis adagio dictus sit. Collegit hic ex lectione ueterum patrum, & præcipuè Augustini in uniuersum diuinæ scripturæ corpus magnum opusculorum numerum, in quinque classes partitum, hoc est in Annotationes, Quæstiones, Homilias, Commentaria, & Miscellanea: de quorum numero, quæ penè totius diuinæ scripturæ explanationem uniuersaliter complectuntur, hæc sunt, uidelicet

IN OMNES ueteris Testamenti libros Allegoriarum libri nouem. *Quicumque sapientia*.

Ex utroque Testamento Miscellaneorum libri quinque. *Spiritualis diiudicat*.

DE scripturis & scriptoribus sacris liber unus: in quo pulchro ordine differuit De præstantia & utilitate sacre scripturæ, De eius materia & diuersitate eius ab aliis scientiis, De triplici eius intelligentia, De ordine, numero & autoritate librorum eius, De sacrorum librorum scriptoribus, De scripturæ translatoribus, eiusdemq; instauratoribus, De scripturis apochryphis, De locis, temporibus, ac numeris scripturæ mysticis, & De difficultatibus in scriptura contentis. Libri initium est, *Lectorem diuinarum scripturarum*.

IDEM composuit in gratiam Raynerij conuersi De Animalibus & plantis, quæ in scripturis leguntur, mysticarum significationum libros tres, magnam utilitatem afferentes iis, qui spiritualis scripturæ sensus aggrediuntur. Liber incipit, *Desiderij tui petitionibus*,

SCRIPSIT etiam in Pentateuchum Annotationum iuxta literalem sensum libros 5. quorum initium est, *Desiderius proprium nomen est*.

IN 4. libris Regum Annotationum literalium librum unum.

IN uarios omnium penè psalmorum uersiculos Annotationum tam secundum

sensum literalem, quàm spiritualem, librum unum: cui exordium fecit, *Quosdam tibi frater charissime.*

- ITEM in 4. prima Ecclesiasticis capita Homilias 19. *Quæ de libro Salomonis &c.*
- IN CANTICA Canticorum mysticè lib. 1. *In principio laboris.*
- IN THRENOS Annotationum iuxta quatuor sensus lib. 1.
- IN EZECHIELEM lib. 1.
- IN IOELEM Annotationum iuxta quadruplicem sensum lib. 1.
- IN ABDIAM Annotationum lib. 1.
- IN MATTHAEVM Allegoriarum lib. 1. *Videns Iesus turbas.*
- IN MARCVM Allegoriarum lib. 1. *Intrauit Iesus in synagogam.*
- IN LVCAM Allegoriarum lib. 1. *Materiam hanc.*
- IN IOANNEM Annotationum ad literam lib. 1. *Inter omnes scripturas.*
- IN IOANNEM Allegoriarum lib. 1. *Primi parentes.*
- IN OMNES Pauli epistolas Quæstionum ac Decisionum lib. 4. quorum initium est, *Paulus nomen appellatum.*
- ITEM in epist. ad Rom. lib. 1. *Omnia fecit Deus.*
- CLARVIT sub Henrico Imp. V. anno domini 1130.

I



ACOBS, Christopholitanus episcopus, natione Hispanus, patria Valentinus, ord. Eremitarum D. Augustini obseruantissimus cultor, humanis & diuinis literis copiosè imbutus, edidit in omnes psalmos Dauidicos scholastico explanationis genere uolumen ingens ac prolixum, allegoricis & anagogicis sensibus refertum, & multis uariarum scientiarum digressionibus redundans, quod Roderico Borgiæ, cardinali Valentino, episcopo Portuensi, dedicauit. eius initium est, *Aperiam in parabolis.* Scripsit etiam in Cantica Canticorum

librum unum, in Cantica ferialiâ, & in Canticum Zachariæ, Mariæ & Simeonis librum unum. Claruit sub Federico Imp. III. anno domini 1490.

ACOBS, frater domini secundum carnem, in euangelium Matthæi, ab ipso Matthæo hebraicè scriptum, & Hierosolymis editum, primus omnium interpretationem & expositionem adhibuit. Athanasius in Synopsi testis est.

ACOBS Furnius, Genuensis, iureconsultus insignis, transtulit psalmum 118. græco. ac latino carmine iuxta similitudinem hebraicorum uersuum: quorum ut singuli octonarij octo continent uersus, ab una litera secundum ordinem alphabeti incipientes; ita græci ac latini octonarij totidem uersus, ab eadem litera incipientes, habent in hunc modum:

A'ν δδ'άμωμοι, μάναρες βάντες ἐν νόμῳ θεῷ.
 Α'πίσται φρεσὶ θεῷ μάρτυροι ἰχνεύοντες ὄλβιοι.
 Α'βαιο γὰρ εἰσι παρανομῶσιν αἱ θεῷ τρέφοι.
 Α'γαρ ἔμενοι φυλακταὶ ἐντολαὶ τὰς σὰς εἶδ.
 Αἱ βάσεις ἐμὲ νομίσαντ' εἰς φυλακὴν τῶν σῶν δίκων.
 Α'ναίσχυντος ἔσομαι ἅπαντα σέθεν ἐφορᾶν προσάγματα.
 Α'ρ μαζῶν δίχης σὺ κρῖσιν τὴν ὄρτ, ἐξομολογήσομαι.
 Αἱ σὰς φυλάξαντ' ἐντολαὶ, μηδ'ἀμάρτε λιμπόνης.

Ambulat in domini quicumque est lege beatus,
 Atque eius sequitur constanti pectore iussa.
 Auius à recto declinat tramite iniquus.
 Arcta, Deus, nimium quæ tu seruanda dedisti:
 Ad mandata tamen tua sit meâ prompta uoluntas.

Alme

A *Alme in te genitor nunquam confundar amando,
 Addictusque tuæ legi te corde fatebor:
 At tu seruantem me ne tua uerba relinquas.*

Claruit anno domini 1500.

ACOBS, Archiepiscopus Genuensis, ord. Prædicatorum, ex oppido Variginis, quod in ora maritima Ligurum non longè à Genua situm est, uir multæ uariæque lectionis propria lingua mirè facundus, & in sacris declamationibus omnium opinione celebris, historiæ quoque non contemnendus scriptor, & Augustini uoluminum ita studiosus, ut ea penè omnia memoria teneret, utriusque instrumenti diuina uolumina primus omnium in Italicam linguam summa fide ac diligentia transfudit. Floruit sub Adelpho Imp. anno domini 1290.

ACOBS Goenschelius Vitodurensis scripsit de tropis, schematibus, & idiomatibus diuinæ scripturæ librum unum anno domini 1536.

ACOBS Lausanensis, Dominicanus, incertæ urbis episcopus, diuinarum humanarumque rerum cognitione clarus, & ecclesiasticarum declamationum fama clarissimus, scripsit sermone scholastico plurima in sacras literas commentaria: de quibus Venetiis in bibliotheca D. Ioannis & Pauli infra scripta legi:

- In Pentateuchum libros quinque. *In principio creauit.*
- In Iob librum unum. *Sustinentiam Iob audistis.*
- In Prouerbia librum unum. *Aperiam in parabolis.*
- In Cantica Cant. librum unum. *Circa principium huius libri.*
- In Sapientiam librum unum. *Sapientia clamat.*
- In Ecclesiasticum librum unum. *Iste liber diuiditur.*
- In Esaiam librum unum. *Non est bonum.*

Claruit imperante Venceslao Augusto anno 1390.

ACOBS Lopis Stunica composuit libros duos pro defensione uulgatæ editionis noui testamenti, priorem quidem aduersus Erasimum, posteriorem aduersus Iacobum Fabrum Stapulensem, Viennæ episcopum. Claruit anno 1530.

ACOBS cognomento Magnus, patria Toletanus, Eremitani ordinis sectator, in palæstra scholasticæ disciplinæ uehementer exercitatus, philosophiæ naturalis scientia illustris, & sacrarum literarum interpret egregius, uniuersa Biblia annotationibus exornauit. Claruit sub Venceslao Imp. anno domini 1400.

ACOBS Martinus, Gallus, anno domini 1536. inuulgauit nobile uolumen, Michaeli Lingonienfi præfule à se dicatum; in quo breuiter continentur omnes Tropologiæ & Allegoriæ Origenis Adamantij in Heptateuchum, ab incerto sed erudito autore selectæ, & in septem libros digestæ. Operis initium est, *In principio &c. Quod homo noster interior.*

ACOBS Naclantus, episcopus Clodiensis, ord. Prædicatorum, philosophus & theologus sui temporis celebratissimus, scripsit ad Iulium III. Pont. Max. piæ ac doctas enarrationes in epistolas Pauli ad Romanos, & ad Ephesios stylo breui, dilucido, & eleganti; in quibus inseruit, & iuxta sacram scripturam, & orthodoxam fidem explicauit omnes fermè difficultates pietatis Christianæ. Claruit sub Iulio III. Pont. Max. anno domini 1554.

ACOBS Paniscotius, Malferanus, Minorita regularis obseruantia, theologiæ ac sacrarum literarum professor, scripsit opus prolixum in expositione psalmi quarti decimi, interrupto dialogo editum inter Salomonem interrogantem, & Dauidem respondentem: in quo multa manifestantur, fidelibus quibuscunque perutilia & necessaria. eius principium est, *Cum calorum ambitus.* Claruit anno 1550.

ACOBS Sadoletus, Carpentoractis in Gallia episcopus, & Rom. ecclesiæ cardinalis, uir planè doctus, & Ciceroniani styli imitator felicissimus, scripsit ad Matthæum Gibertum, episcopum Veronensem, in tres psalmos, uidelicet 50. 93. & 95. piæ explanationes: quarum prior incipit, *Dauid Isai Bethlehemitæ.* secunda uerò, *Multa incumbunt & graua.*

ITEM in epistolam ad Rom. à se latinè uersam, Collationis continuatæ, siue Continentis dialogi ad Franciscum, Gallorum regem, disertos commentarios, tribus uoluminibus digestos: quorum initium est, *Sæpe mihi cogitanti*. Claruit anno domini 1530.

IACOBVS Sanazarius, patricius Neapolitanus, qui & Actius Sincerus Parthenopæus, uir ad illustrandam sacrosanctam Christianorum poesim felicissimo fidei natus, scripsit in secundum Lucæ capitulum De partu uirginis libros tres heroicis carminibus, ita Virgilianum candorem sublimitatemque præferentibus, ut Virgilium ipsum te legere audireque existimes. Operis initium est, *Virginei partus magnoque æqueua parenti*. Claruit anno domini 1530.

IACOBVS Schoepperus, diuinæ theologiæ professor egregius, & declamator facundus, conciones ad populum urbis Tremonia habuit super euangelia, quæ singulis diebus festis tam de sanctis, quam de tempore leguntur; quos postea ipsemet eleganti methodo, styloque succinctissimo conscripsit, & in tres tomos redegit. quibus etiam inseruit conciones super euangelia, quæ in sextis Feriis totius quadragesimæ recitantur. Claruit sub Carolo V. anno domini 1550.

IACOBVS Stralensis, Germanus, scholæ theologorum apud inlytam urbem Coloniam moderator, theologus & philosophus sui temporis nobilissimus, elaborauit scholasticæ expositionis in Apocalypsim Ioannis librum unum. cuius initium est, *Vidit Iacob in somno*. Claruit anno domini 1480.

IANVS Vitalis, politioribus literis excultus, scripsit in psalmum quinquagesimum elegantem commentarium, incipientem, *Cum Davidis exercitus*. Claruit anno domini 1550.

INCERTI, sed uetusti auctoris tractatus latinus, nondum impressus, retinetur ab academicis Venetæ academix, DE THEOLOGICA DAUIDIS POESI inscriptus: in quo ostenditur, quemadmodum regius propheta Dauid in exponendis diuinis laudibus, & exprimentis flagrantissimi cordis affectibus, ad animæ salutem pertinentibus, tantum post se ceteros poetas reliquit, quantum diuinus spiritus omnem humani ingenij uim antecedit.

INNOCENTIUS, Pontifex Max. eius nominis III. natione Campanus, patria Anagninus, à pueritia in celeberrima Parisiorum academia optimis imbutus studiis, eruditione & uitæ sanctimonia celebris, post Cælestinum Papam III. communi omnium cardinalium consensu, quamuis inter eos iunior esset, nutu Dei ad summum pontificatus honorem euectus, multa in diuinis scripturas exarauit: de quibus legi sanctos & doctos in septem psalmos pœnitentiæ commentarios, Scholastico more elaboratos, sed sermone magis conspicuo & ornato; in quibus diuisiones ac distinctiones scholasticas ad certum numerum redigit, sine ullo superflua multiplicationis ac repetitionis rædio, & crebra sanctarum scripturarum testimonia sine ulla extorsionis duritiæ suis locis prudenter accommodat, multas inter hæc pias ac suaues meditauiculas & precatiunculas immiscens, quibus lectoris animum dulcibus affectibus incendit. Opus initium hoc habet, *Ne inter occupationes multiptices &c.*

EDIDIT etiam sermones quosdam ad clerum & populum nunc latina, nunc italica lingua in templo Lateranensi: quos in unum uolumen latinè editos Arnulpho, abbati ordinis Cisterciensis, dicauit. Opus incipit, *Prophetica docet autoritas*. Claruit anno domini 1200.

INNOCENTIUS, Pont. V. dictus antea Perrus de Tarantasia, quod nunc Helueticorum oppidum est, ex ordine Prædicat. sedit in summo pontificatu iuxta numerum nominis sui mensibus tantum quinque; uir certè in diuinis scripturis eruditissimus, & in philosophia Aristotelica nobiliter doctus, qui theologiæ Scholasticam multis annis in gymnasio Parisiensi egregiè docuit. omnia opera D. Thomæ in epitomen redegit, & magnam suæ eruditionis laudem acquisiuit. scripsit in sacrosancta Biblia lecturas more scholastico uarias, præcipuè uerò lecturæ in psalmos librum unum, in Cantica Cantorum librum unum, in omnes epistolas Pauli lib.

A. 14. Vas electionis. In bibliotheca Dominicana Bononiæ uisitur eiusdem Postillæ in totum Paulum manu scripta, cuius initium est, *Illuxerunt corruscationes tue*. Claruit sub Rodulfo Imp. anno 1275.

IOACHIM, Abbas Florentis cœnobij ordinis S. Benedicti, ex Calabria oriundus, uir in diuinis scripturis studiosus & exercitatus, & suo tempore uerissimus propheta creditus, scripsit ad F. Raynerium de Pontio in totum Esaiam prophetam stylo rudi & obscuro commentariorum librum unum: in quibus multa de septem temporibus ecclesiæ, & de oneribus sexti temporis quasi futurorum præsciis disseruit, multas immiscens prophetias ac uaticinia de futuris temporibus: quæ an impleta, uel adhuc implenda sint, alij uiderint. Opus incipit, *Si ad hoc rotarum mysterium centrum*. Scripsit & ad Henricum Imp. in Ieremiam, & in Daniele eiuſdem generis commentarios, similiter & in Ioannis euangelium. Scripsit etiam de concordia ueteris ac noui testamenti libros quinque: in quibus ostendit ita utriusque testamenti tempora concordare, ut nihil in ueteri testamento actum sit, quod in nouo testamento non pariter geratur, aut gestum sit, aut futurum sit in nouissimis diebus. Opus incipit, *Quia labentis ac perituri sæculi &c.* Claruit sub Henrico Imp. VI. anno domini 1200.

IOANNES, Abbas monasterij Niucellensis, theologus inter scholasticos insignis, pontificij iuris consultissimus, & in sacris literis longa exercitatione consummatus, scripsit opus, cui titulus est BIBLIÆ ET CANONVM CONCORDANTIA: in quo secundum ordinem diuinorum librorum collegit ex utroque testamento omnes locos, cum quibus canones & decreta sanctorum pontificum consonant: eisque locos canonum correspondentes apposuit. Opus incipit, *In principio creauit Deus &c.* Claruit sub Pio II. Pont. Max. anno 1460.

IOANNES Adamarius, Lorinchiensis, librum Sapientix Syrach metrica paraphrasi illustrauit anno domini 1540.

IOANNES Alcoch, Anglus episcopus Eligenſis, scripsit in septem pœnitentiæ psalmos anno domini 1490.

IOANNES de Alerio, natione Tholosanus, Carmelita, Prior generalis sui ordinis tertius decimus, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & non minus religionis feruore, quam eruditione uenerabilis, edidit lecturæ scholasticæ in ecclesiasticum librum unum. Claruit sub Carolo VIII. Imp. anno domini 1348.

IOANNES Annius, natione Italus, patria Viterbiensis, Prædicatorij ordinis professor, theologus eximius, historiæ omnium, quot sunt, quotque fuerunt, exactissima cognitione celeberrimus, antiquarius præstantissimus, & uetustissima exactissima cognitione indagator & inuentor admirabilis, cuius in Bersum Babylonium, Methathenem Persiam, Manethonem Aegyptium, aliosque multos antiquissimæ uetustatis historicos accuratè extant commentarij, scripsit in Psalterium commentarios, quorum ipse meminit, Chronographiam Philonis exponens. Edidit itè Quæstionum in Apocalypsim librum unum, quem Xysto Pont. IIII. cæterisque regibus Christianis misit, atque dicauit, ostendens in eo, Bestiam illam, tertio decimo potissimum Apocalypsis capite descriptam, quam communiter enarratores interpretantur Antichristum, esse pseudopphetam Mahumetem; qui quanquam ante plurimos annos mortuus sit, eius tamen secta uiuit etiam nunc, nimiumque graſatur aduersus Dei populum: eaque tandiu durabit, donec, iuxta septimum caput Danielis, regnum detur populo sanctorum altissimi, id est Christianis. Claruit anno domini 1460.

IOANNES Arundineus, Germanus, ordinis Carmelitarum, episcopus Vsbitenus, uir in diuinis uoluminibus exercitissimus, sæcularis philosophiæ non ignarus, & declamator celeberrimæ opinionis, edidit in librum Sapientix, in psalmum 118. & in epistolam ad Rom. scholasticas Lecturas, à se prius in publicis lectionibus explicatas, anno domini 1490.

IOANNES Arboreus, Laudunensis, doctor, theologus Sorbonicæ Parisiorum academix, uir doctissimus & uerè catholicus, edidit uolumen ingens in decem

decem & nouem libros ditissimum, THEOSOPHIAS, hoc est Diuinæ sapientiae titulo inscriptum: in quo iuxta scholæ consuetudinem aperto & non inculto stylo difficillimos cum ueteris, tum noui testamenti locos explicauit, uarias sacrorum doctorum super prædictis locis sententias & controuersias discutiens & examinans, multasque hæreticorum machinationes ualidis argumentationum ictibus destruens. disposuit autem Assertiones operis sui secundum ordinem alphabeticum, quò facilius essent inuenta. Eius principium est tale, *Nobilissimo ac Reuerendissimo Cardinali Ludouico Borbonio*.

SCRIPSIT & ad Henricum, Gallorum regem, in Prouerbia librum unum, incipientem, *Plurimum conducunt*. In Ecclesiasten ad eundem librum unum, incipientem, *Toto conatu*. In Cantica Canticorum librum unum. Edidit quoque commentarios in quatuor euangelia; in quibus sacrorum doctorum sententias discussit, & perniciosas quorundam interpretum assertiones reuincit. Operis initium est, *Sacro opus tibi*. Claruit sub Carolo V. Aug. 1550.

IOANNES de Abbatis Villa, archiepiscopus Bifuntinus, natione Gallus, scripsit commentarios in Cantica Salomonis, impresos Parisiis ab Ascensio anno domini 1521.

IOANNES Bacco, Anglicus, ordinis Carmelitarum, theologorum sui temporis princeps, & in exponendis diuinis scripturis non ignobile nactus ingenium, exposuit uniuersum nouum testamentum, editis scholastico more commentationum libris uiginti septem: qui sunt

| | |
|------------------------|---------------------|
| In euangelium Matthæi | liber unus. |
| In euangelium Marci | liber unus. |
| In Lucam | liber unus. |
| In Ioanem | liber unus. |
| In acta Apostolorum | liber unus. |
| In epistolas Pauli | libri quatuordecim. |
| In epistolas Canonicas | libri septem. |
| In Apocalypsin | liber unus. |

CLARUIT sub Carolo IIII. Imp. anno domini 1350.

IOANNES Balbus, Genuensis, ordinis Prædicatorum, autor latini dictionarij, cui CATHOLICON titulus est, uir scholastica theologia imbutus, latinæ & græcæ linguæ peritus, scripsit secundum scholasticam consuetudinem in quatuor Euangelistas Postillam in quatuor euangelia; quæ incipit, *Cur uoluit Deus non plures, quam quatuor esse Euangelistas?* Habetur Genuæ in bibliotheca Prædicatorum manuscripta. Claruit anno domini 1280.

IOANNES Baptista Foleingus, Manruanus, monachus Casinas S. Benedicti, commentarios in omnes psalmos summa fide, mira luce, grata breuitate ex ipsa hebraica ueritate confecit, & absoluit: in quibus rara eruditione, & spiritus ardore flagrans, & sensum candor, & acumen, & latini sermonis elegantia insimul in sunt. Horum initium est, *Totius uoluminis argumentum*. Scripsit & in omnes epistolas catholicas nitidas explanationes. Claruit anno domini 1550.

IOANNES Bectius, Germanus, instituti Carmelitarum in cœnobio Tenensi addictus, theologus & philosophus egregius, & in scholis theologorum disputator acerrimus, & apud populum in concionibus gratissimus, edidit scholastica præfati explanationis scholasticæ in epistolam Pauli ad Romanos librum unum. Claruit anno domini 1470.

IOANNES Benedictus, doctor theologus in academia Parisiensi celeberrimus, breuissima, sed utilissima scholia ex sanctis ac uetustis patribus nominatim citatis collegit in uniuersam scripturam. Claruit sub Carolo V. Aug. 1550.

IOANNES Benius, Veronensis, sacerdos, in schola Ioan. Matthæi Giberti Veronensis episcopi educatus, scripsit italica lingua Discursus, siue Digressiones in passionem domini ex quatuor Euangelistis septem ac septuaginta.

IOANNES

A **I**OANNES Bertramus, Nuremburgensis, Germanus, in scholasticis disciplinis excellentissimus, academix quondam Moguntinæ publicus theologiae præceptor, scripsit uolumen ingens in Prologum Bibliæ, omnia ad scripturam introductionem necessaria copiosissime complectens; quod incipit, *Cogitanti mihi &c.* Claruit sub Maximiliano Imp. anno domini 1495.

IOANNES Beuerlacius, archiepiscopus Eboracensis, natione Anglosaxo, scripsit in euang. Lucæ commentarios anno domini 721.

IOANNES Buteo, Delphinus, Gallus, mathematicus excellentissimus, scripsit anno domini 1550. ad Franciscum Turnonem cardinalem librum unum eruditissimum de Arca Nohe, cuius formæ & capacitatis fuerit; qui incipit, *In Arcam illam, seminarium mundi*.

IOANNES Catardus, Aquasparanus, edidit enarrationem in Ionam prophetam, concionibus & Christianæ consolationi accommodatam; quæ incipit, *Eò spectat*. Item Paraphrasim mysticam in eundem prophetam, cuius initium est, *Breuis quidem*. Claruit anno domini 1550.

IOANNES Casianus, natione Scythæ, Ioannis Chrysostomi auditor, & ab eo diaconus ordinatus, post aliquot annos ob incertam causam ab eo recedens, apud Masiliam presbyter consecratus est; ubi & duo condidit monasteria uiuorum, ac mulierum; scripsit plano & librato sermone de eo, quod dicit Apostolus, *Non enim, quod uolo, facio bonum, sed, quod nolo, malum*, librum doctum & elegantem, quem postmodum collationibus sanctorum patrum, à se editis, inseruit, & Vigesimum tertium collationum librum prænotauit. Moritur Masiliæ non sine opinionione sanctitatis Theodosio, & Valentiniano regnantibus anno domini 435.

IOANNES, Constantinopolitanæ urbis archiepiscopus, ob auream sermonis præstantiam Chrysostomus, hoc est aureus, appellatus, patria Antiochenus, & Antiochenæ quondam ecclesiæ presbyter, Secundo & Anthusa nobilibus parentibus ortus, in eloquentiæ studiis Libanij Sophistæ, in philosophia Andræthij clarissimi philosophi, & in diuinis scripturis Diodori episcopi Tarsensis auditor ac discipulus, Basilio & Gregorio Magnis ætatis familiaritate coniunctus, edidit in sanctas literas plurima tam commentariorum, quam homiliarum uolumina. quanquam ex commentariis, ut arbitror, nihil extet præter fragmentum expositionis in octo prima capita Esaiæ, & integram in epistolam ad Galatas explanationem.

In Homiliis usus est docendi genere, ecclesiastici præceptoris officio & auditorum utilitati accommodatissimo, diuidens omnes sermones suos quandoque in duas partes, hoc est Exegeticen, & Ethicem; aliquando uerò in tres, hoc est Parasceuen, Exegeticen, atque Ethicem. In Parasceue, id est Præparatoria parte, nunc argumentum, quod tractaturus est, commendans, nunc auditorum docilitatem, frequentiam, alacritatem, & audiendi cupiditatem collaudans; nunc ea repetens, quæ pridie dixerat, auditorum animos ad ea, quæ dicenda sunt, præparat iocundis & sæpe fortuitis exordiis, sed interdum prolixioribus, quam optaret audis auditor moræ omnis impatiens, & ad propositæ lectionis intellectum festinans. quod & ipse Chrysostomus sentiens in præfatione sermonis De ferendis reprehensionibus excusat, inquit: REPREHENDUNT nos amicorum quidam, quod productiora sermonum initia faciamus: quibus, siue iniuste taxent, siue iuste sententiam ferant, ob hanc reprehensionem gratiam habemus.

In secunda homilia parte, quæ Exegetica, id est Expositoria, dicitur, Chrysostomus uersatur in explicatione diuinæ scripturæ iuxta historicam, siue literalem intelligentiam; quam semper pro fundamento subternit, atque ita purè, apertè, germanè, rectè, & appositè exponit, ut alius nemo; expendens singulas quasque allatæ scripturæ uoces, easque dilucidis illustrans paraphrasibus: nec unquam ex ignorantia historici sensus literam aut detorquet durius, aut, ea relicta, confugit ad remotas quasdam allegorias; ad quas Hieronymus & Augustinus fateri non erubescunt se aliquando ex inopia historici intellectus fuisse coactos: sed in uera pro-

E e e priaque

priaque literæ sententia continuò persistens, ad imitationem Eusebij Emeseni episcopi, & Diodori Tarfensis episcopi, quos præcipuè in explicandis sacris voluminibus sectatur, usque adeò allegoricis abstinet inuolucris, ut in omnibus eius explanationibus allegorias, siue anagogias, quæ idem sunt apud eos, non reperias, nisi in paucis rarisque admodum locis, in quibus id urgentissima diuinæ scripturæ necessitas uehementer efflagitat. Edisserit autem in singulis penè homiliis uulgatam suorum temporum translationem, ex Lxx. interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis uersionibus concinnatam. unde & multa scripturæ ueteris loca sæpe aliter explicat, quam in nostris nunc uulgatis codicibus legantur.

QVÆSTIONES curiosas, & ad plebis ædificationem inutiles, pugnas disputationum, & conflictationes de rebus subtilibus & obscuris summo studio deuitat; & quæ nonnulli expositores in diuinis literis ad ostentationem eruditionis, quæ sita disputandi occasione, solent de industria obscurare multis magnisque dubitationum difficultatibus, ipse paucis iisdemque nudis ac simplicibus uerbis expedire solet. Cuius rei qualemcunque uel exiguum gustum possumus exempli gratia sumere ex elucidatione illius sententiæ Pauli ad Romanos, NON EST VOLENTIS,

NEQUE CURRÈNTIS, SED DEI MISERENTIS. quam cum acutissimus Augustinus multis inuoluat subtilibus & abstrusis de Prædestinatione ac Reprobatione, de Gratia & Libero arbitrio disputationibus; Chrysofostomus duobus penè uerbis omnibus se quæstionum ambagibus exoluit, inquit, primùm eam sententiam fuisse à Paulo non ex persona affirmantis, sed ex persona opponentis prolatam; deinde sic Apostoli dictum esse intelligendum, ut cum dicit, *Non est uolentis, neque currentis*, subaudiamus, tantùm; *sed Dei miserentis* simul ac magis. nam cuius potior maiorque est in negotio aliquo pars, illius totum dicimus esse negotium. Verùm si quandoque contingat Chrysofostomum in difficultatem aliquam non dissimulandam, sed necessariò discutiendam incidere; non prius eam aggreditur, quam ostendat se disputationis eius neque occasionem inuenisse, neque inuentam sponte assumpsisse, sed coactum hæreticorum perfidia ad refellendas illorum calumnias in eam descendere, hac scilicet dexteritate se accommodans imbecillitati imperitæ multitudinis: in qua licet essent nonnulli, qui altiores etiam disputationes possent intelligere; plurimi tamen aderant, qui doctrinæ subtilitatem non caperent, utpote homines indocti, atque artifices, & negociis uilibus occupati, & mulieres in eiusmodi disciplinis minimè exercitatae, & puerorum turba, atque prouecti senes, qui omnes oratione facili instituendi recreandique erant. Interdum tamen ad excutiendum torporem audientium quæstionculas quasdam non admodum magni momenti proponit; easque de industria insolutas relinquens, illud statim addit: *CVR AUTEM*, & quomodo id se habeat, uobis inuestigandum relinquo. neque enim uos oportet à nobis omnia discere, sed & ipsos uos elaborare, & exquirere, ne seigniores efficiamini. Atque hæc in secunda parte homiliarum perpetuò seruat Chrysofostomus.

IN tertia uerò parte, quæ semper ethice, siue moralis est, digreditur non solum ad locos illos ethicos, omnibus pro concione loquentibus communes, nempe de diuitiarum contemptu, de luxu, crapula, ira, arrogantia, cæterisque uitiiis fugiendis: sed expatiatur sapissime in selectis quibusdam moralis institutionis paradoxis, sibi uni propriis; quorum hæc præcipua sunt:

VIRTUTEM nec esse rem molestantem, neque acquisitu difficilem.

MULTO facilius esse bene uiuere, quam malè.

PARUA leuiaque peccata maiori studio uitanda esse, quam magna.

NULLVM supplicium mala conscientia atrocius.

NEMINEM lædi posse nisi à semet ipso.

MELIUS esse iniuriam pati, quam inferre.

MULTOS iniustè lædere, neminem uerò iniustè lædi.

IGNOMINIAM huius mundi esse gloriam, gloriam uerò mundi ignominiam.

VITAM hanc non esse uitam, sed mortem.

Mortem

Autem
Chrysofostomi
paradoxa.

- A MORTEM esse uita meliorem.
 MAXIMUM fieri in tribulationibus & tentationibus lucrum.
 QVOD omnia supplicia, mortalibus à Deo immissa, magna sint diuinæ pietatis beneficia.
 ELEEMOSYNAM esse artem omnium quæstuosissimam.
 SOLITVDINIS & monasticæ uitæ commoda omnibus felicitatibus potiora.
 QVOD regno Dei priuari peius sit, quam gehennæ supplicium.
 QVOD nolle omnia scire, summa sapientia sit.
 QVOD Christi diuinitatem etiam absque ullis diuinarum literarum testimoniis clarissimè, ac fortissimè aduersus omnes gentes demonstrare possumus.
 His atque eiusmodi uerè aureis digressionibus auditorum animos mirum in modum inflammas, rapiens, eleuans in amorem diuinarum rerum, & elatos in Deum transformans, denique omnes sermones concludit in breues preces, gratiarum actiones, & laudes benignitatis, & misericordiæ Christi; cui simul cum patre & spiritu sancto honorem, gloriam & imperium precatur in sæcula. Amen.
 B Quanquam autem in cunctis penè homiliis eadem moralia loca sæpius repetita inculcet: ea tamen uerborum & sententiarum uarietate easdem cogitationes tractat, atque retrahat, ut noua semper ac diuersa dicere uideatur. Hactenus docendi modus Chrysofostomo proprius.
 C QUANTVM uerò ad uerborum rationem, & genus dictionis attinet, omnes ei tribuant natiuam, nudam, ac uenustam Attici sermonis puritatem, admirabili docendi facilitate coniunctam, qualem nulli unquam uel græcorum eloquentissimo contigit. Hanc eius discipulus Isidorus, Pelusiaci montis abbas, in epistola ad Ophellium grammaticum describens, sic loquitur: IOANNIS linguam, dictionisque uenustatem, non aliis dico, (paruum hoc enim fortasse apud multos esset) sed ipsi Libanio, qui apud omnes in eloquentia præclarissimus habetur, magnæ admirationi fuisse indicio est Libanij ipsius epistola, ad illum etiam tum iuuenem, cum orationem in imperatorum laudem habuisset, scripta. ea sic habet.

LIBANIUS IOANNI.

ORATIONEM tuam prolixam & pulchram accepi, & uiris, qui & ipsi orationes conscribunt, legi. Nullus in eis fuit, qui non exiluerit, & uoluerit sit, eaque omnia fecerit, quæ per stuporem consternati solent. Me illud delectat, quòd dicendi artem, quam agendis in foro causis exhibere potuisti, ad huius generis orationis conferre malueris: teque beatum iudico, qui tantoperè principes laudibus ornare potueris. nec minus fortunatos illos esse puto, quòd laudatorem talem sint consecuti. Hæc Libanius.

D Plutarchus uerò orationem dilucidam & facilem uerè & germanè Atticam esse censet. SIC enim, inquit ille, prisca oratores dixerunt. Gorgias autem Leontinus primus uitium ambitionis & ostentationis in orationes ciuiles induxit. quòd etiam uitium admirandum Platonem sæpe contingit. Quòd si Plutarcho in hac re credendum est, multis modis omnes alios oratores præclarus superat Ioannes; qui in orationibus suis sic Atticismum refert, & perspicuitatem sermonis retinet, ut nesciam, an alius quisquam magis retineat. Hucusque Isidorus. cui consentiens Anianus, peruetustus Chrysofostomi interpres, collaudat in eo æqualem dicendi mediocritatem, leniter sponteque sua fluentem, sic ad Horontium episcopum scribens: CHRYSOSTOMVS illud quasi peculiare custodit, ac proprium, quòd cum semper sollicitus sit, semper uigilans, & noxij stuporis inimicus; nusquam tamen eius oratio in pompam eleuatur dicenti, sed tota ad utilitatem aptatur audientis. est enim stylus ipse ecclesiæ auribus accommodatus, priscum illud, sed eruditum dicendi genus exprimens; mediis, æqualis, maturus, pudicus, alienus ab omni incuriæ culpa, pompaque luxuriæ; non squalidus quidem, nec tamen floridus; non impolitus, sed neque nimia subtilitate limatus; non asperitate horridus, nec tam

Ecc 2 men

men amœnitate lasciuus; maximam ubique copiam, admirabilemque indicans facultatem, nusquam tamen ambitionem loquendi, eo fit, ut illum magis simplex lector intelligat, & laudet, disertus, denique & S. Basilij admirabilem illam curam loquendi, & plausibilem Antiochi pompam, & sublimem illum Gregorij cothurnum facile intelligas hac Ioannis medietate superata. solæ ab eo forsitan adolescentulorum minus blandè mulcentur aures; quibus in ludo positis literarum non tam placent solida, quàm picta; quique pulchra potius, quàm utilia sectantur; nec tam agentia diligunt, quàm sonantia; magisque gaudent florum amœnitate conspergi, quàm frugum ubertate nutriri. Hæc Anianus.

SOLET etiam Chrysostomus, ut in eius scriptis apparet, supra omnes ecclesiasticos scriptores abundare similibus, collationibus, & metaphoris ad illustrationem & delectationem rerum explicandarum admirabili artificio concinnatis. nusquam tamen delectandi gratia utitur uel sententiarum argutiis, ut Ambrosius; uel poetarum illecebris, & minorum salibus, ut Hieronymus; uel facetiis, & iocis, quem admodum Tertullianus: sed affectu potius paternæ charitatis, & pio quodam iuuandi studio mirificè delectat auditores; quos ut maiori cum attentione detineat, orationis cursum frequentibus dialogismis, percontatiunculis, & excitatiunculis interrumpit, sæpe repetens huiusmodi uoces, Quid nam est hoc? Cuius rei gratia hæc dicta sunt? Audistis quæ hic locutus est? Vidisti, quomodo nihil præcipit graue? Vidisti continentem eius animum? audisti fiduciam? audi etiam ingentem charitatem. Perspexisti celsitudinem philosophiæ? perspice fidem. Intuere, quæso, hominis uirtutem. Vides, quomodo hoc facillimum est? Cogita, obsecro, hæc uerba. Inspice, quòd non simpliciter, ac temere hæc dicta sint. Papæ qualis est hæc doctrina, & quàm est omnibus mortalibus necessaria. Papæ quot bonorum plena est hæc sententia. Magna nobis in his uerbis prudentia & attentione opus est. Considera mihi beatos illos uiros o dilecte. Disce hic quanta sit uirtus. Vbi nunc sunt qui hæc irrident? Audiant hæc qui non credunt. Vellem hic adessent omnes, qui nostra uituperant. Libenter interrogarem eos, qui hæc non credunt, num &c. Ne te conturbet, o dilecte, quæ audis. Ne mireris dilecte quòd hoc dixerit. Ne mihi dixeris te hæc non intelligere. Age & hoc etiam confideremus. Quòd dicere semper soleo, id nunc quoque inculcare non desinam. Quibus sanè tropis attentionem renouans, tardos excitat, fessos adiuuat, & ad finem usque orationis sustentat. Atque hæc de Chrysostomi doctrina, & orationis habitu dicta sint satis.

DE numero uerò Lucubrationum eius Nicephorus Callisti testatur se legisse libros mille. Suidas affirmat eum tot exarasse uolumina, ut ea ne per censere quidem numerando possibile sit. sed nos, prætermisissis exotericis scriptis, exegetica tantum, quæ ad explanationem pertinent scripturarum, duobus separatis catalogis recensebimus. quorum prior uerè germana & legitima Chrysostomi scripta continebit; posterior uerò eiusdem opera pseudepigrapha, hoc est, quæ Chrysostomo sub falsæ inscriptionis titulo tribuuntur, indicabit.

OPERVM, QVAE SINE VLLA CONTRouerſia Chryſoſtomi eſſe creduntur, CATALOGVS PRIMVS.

IN GENESIM scripsit continuæ & integræ enarrationis homilias LXXII. tempore quadragesimalis ieiunij ad populum Constantinop. habitas; quarum prima incipit, Χαιρέμαι, ἢ ἀφαινομαι, ὁρῶν σημερον τὴν τῆ θεῶ ἐκκλησίαν. id est, Gaudeo, & lætor uidens hodie hanc Dei ecclesiam. De his Photius patriarcha Constantinop. in libro, cui titulus est ΜΥΡΙΟΒΙΒΛΟΣ, ita scriptum reliquit: ΑCCEΥΣΑΝΤ non nulli diuinum Ioannem, quòd in Geneseos exegeſi, & in his potissimum, quæ de opificio

A opificio sex dierum enarravit, nimium simplex fit, atque omnino destitutus omnibus illis speculationibus, quibus Origenes, Hippolytus, Eusebius, Basilus, cæteri; ex sanctis nostris patribus eruditissimi in Hexaemero præsertim abundant. qui sanè mihi Ioannis mentem tenere non uidentur. is enim, ad simplicitatem Moisaica narrationis respiciens, relictis intempestiuis theoriis, facilitate & humilitate sermonis maluit sequi Mosem: qui non, ut quidam satis ineptè putant, de mundi opificio scribens, obscurissimas res & obscurissimis uerbis differere statuit; sed rudi hebetiq; populo simplicissimè & clarissimè ea tantum ob oculos ponere uoluit, quæ crassæ multitudinis ingenio cõprehendi possent. sicut & ipse Ioannes in explanatione Hexaemeri hisce uerbis indicauit: ΜΟΥΣΕΣ in exordiis suarum narrationum paruitati nostræ se attemperans, nihil de inuisibilibus differuit uirtutibus. non enim dixit, In principio fecit Deus Angelos & Archangelos, sed, Cælum & terram: quia in principiis & præludiis crassioribus locutus est Iudæis, qui toti præsentibus rebus inhæbant, neque spirituale quicquam comprehendere poterant. itaque eos à sensibilibus, & creaturis ad cognoscendum uniuersum creatorem inducit. non enim decebat, ut solido pascerentur cibo, quibus adhuc lactis alimonia opus erat. nam quemadmodum magistri literarum puerulos, de gremio matris acceptos, & ignaros omnium, atque incapaces sublimiorum, primis tantummodo imbuunt elementis; deinde eos aliis tradunt magistris, qui eos perfectioribus instituunt disciplinis: ita Moses ignaram omnium & rudem hominum naturam, & ut ita dicam, nuper à lacte depulſam primis diuinæ cognitionis imbuit elementis, præparans eam ad præstantiores magistros, Paulum nempe, & Ioannem; qui pueros, primis rudimentis imbutos, ad maiora & excelsiora deducunt, superimponentes iam posito fundamentum celsa totius adificij fastigia. Hæc ille.

EDIDIT etiam Chrysostomus præter has homilias iterum in uarios Octateuchi locos homilias 19. uidelicet

- C In Gen. caput 1. De principio Geneseos hom. 1. quæ incipit, *Iocundum quidem nauis.*
In idem De principio Geneseos hom. 1. *Multa quidem.*
In idem, Cur homines à bestiis lædantur, cum Deus eas homini subesse uoluerit? hom. 1. ex qua D. Augustinus lib. 1. aduers. Iulianum testimonium de peccato originali inducit contra Pelagianos.
In Gen. 3. De Deo, in paradysum deambulante, hom. 1. *Audistis antea.*
In Gen. 11. De confusione linguarum hom. 1. ex qua Theodoretus fragmentum recitat in dialogo, qui inscribitur INCONFVSVS.
In Gen. 14. De Melchisedech hom. 1. cuius meminit Chrysostomus in præfatione enarrationis in psalmum 41.
In Gen. 17. De mutatione nominis Abrahæ hom. 1. *Haud difficile foret.*
In Gen. 37. De Iosephi continentia hom. 1. *Mihi quidem semper.*
In Leuit. cap. 7. De uestitu sacerdotali hom. 1. *Regni Christi euangelium prædicauerunt propheta.* cuius autoritate utitur Epiphanius diaconus in secunda synodo Nicæna, actione 6.
In 1. Reg. cap. 1. De fide Annæ hom. 1. *Nulla profectò res.*
In idem iterum homiliam 1. cuius meminit Chrysostomus in præfatione præcedentis homiliæ.
In idem De Anna & Samuelis educatione hom. 1. *Nisi uideor.*
In 1. Reg. cap. 2. In principium Cantici Annæ hom. 3. uidelicet De prima Cantici particula, Confirmatum est cor meum in domino, homiliam unam.
De secunda Cantici particula, Exaltatum est cornu meum in domino, homiliam unam.
De tertia Cantici particula, Dilatum est os meum super inimicos meos, homiliam unam. *Qui thesaurum effodiunt.* in qua testatur Chrysostomus se primam & secundam homilias, quæ nunc desiderantur, scripsisse.
In Reg. 1. 13. & sequentia capita homilias 4. quarum prima, incipit, *Quo-*

ties diuina. secunda, *Vos quidem*. tertia, *Equidem arbitror*. quarta, *Non* A
parum ciuitatem.

In 2. Par. 26. super, *Elatum est cor Ozia*, hom. 2. quarum prima incipit,
Benedictus Deus. secunda uerò, *Age expositioni de Ozia*.

In Iob caput 1. 2. & 3. hom. 5. Lælio Tiphernate interprete, quarum prima
incipit, *Magnus ad nos hodierna die certator*. secunda, *Magnum rerum pon-*
dus. tertia, *Iam nos omnes*. quarta, *Vbique quidem*. quinta, *Propo-*
namus igitur.

IN PSALTERIUM totum scripsit homilias plurimas: in quibus præter mo-
rem suum frequenter differuit non solum Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, &
Theodotionis translationes nominatim inductas, sed etiam hebraicam ueritatem,
& syram, siue chaldaicam translationem, hebraicis & chaldaicis uocibus expref-
sas. Has homilias, ut ex Suida apparet, nonnulli græcorum omnibus Ioannis ser-
monibus præferunt tum sublimitate sensuum, tum orationis lenitudine & elegan-
tia. Fertur nunc inter opera Chrysofomi uolumen homiliarum, seu potius expo-
sitionum in psalmos, ex uariis diuersorum autorum sermonibus contextum, & à
Gentiano Herueto latinitate donatum: ex quibus quæ tam ex styli indicio, quam ex
ueterum patrum testimonio ipsius esse creduntur, hæc duntaxat sunt:

De psalmorum utilitate homilia una. *Quemadmodum cibo uita.*

In psalm. 3. homilia 1. *Ducibus exercitus*. huius exordium citat
Damascenus in lib. 3. contra Iconomastichos.

In psalm. 4. homilia 1. *Non hæc dicit propheta.*

In psalm. 5. homilia 1. *Videamus primum*

In psalm. 6. homilia 1. *Quando furorem & iram audieris.*

In psalm. 7. homilia 1. *Oportet quidem.*

In psalm. 8. homilia 1. *In priore psalmo dixerat.*

In psalm. 9. homilia 1. *Longus est hic psalmus.*

In psalm. 10. homilia 1. *Magnæ sunt uires spei.*

In psalm. 11. homilia 1. *Ardua quidem res est uirtus.*

In psalm. 12. homilia 1. *Non est hoc paruum bonum.*

In psalm. 38. super illud, *Veruntamen frustra conturbatur omnis homo ui-*
uens, hom. 1. quæ incipit, *Piscatorem sinus altus.*

In psalm. 41. homilia 1. incipiens, *Vos quidem nos nuper admirabamini.*

Theodoretus in Polymorpho producit testimonium Chrysofomi ex expo-
sitione psalm. 41. quod in hac homilia non reperitur.

In psalm. 43. homilia 1. incipiens, *Hunc psalmum dicit quidem propheta.*

In psalm. 44. homilia 1. *Vellem nunc adesse omnes Iudeos, & Gentiles.*

In psalm. 44. super, *Astitit regina*, hom. 1. *Suaue quidem est pratum &*
hortus.

In psalm. 45. homilia 1. *Solita uitur philosophia.*

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In psalm. 46. homilia 1. *Hic etiam psalmus idem tangit argumentum.*

In psalm. 47. homilia 1. *Hic quoque significat liberationem.*

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In psalm. 48. homilia 1. *Magna quedam & arcana.*

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In psalm. 48. super illud, *Noli timere*, cum diues factus fuerit homo, ho-
milia 1. *Agricola quidem.*

In psalm. 49. homilia 1. incipiens, *Ipsæ quoque dixit alibi.*

In psalm. 50. hom. 2. quarum prima, *Pictores imitantur.*

secunda autem incipit, *Reliquias externæ mensæ.*

In psalm. 100. homilia 1. *Nos rursus dilectissimi.*

In psalm. 108. hom. 1. *Magna hic nobis prudentia opus est.*

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In

A In psalm. 109. homilia 1.

In psalm. 110. homilia 1.

In psalm. 111. homilia 1.

In psalm. 112. homilia 1.

In psalm. 113. homilia 1.

In psalm. 114. homilia 1.

In psalm. 115. homilia 1.

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In psalm. 116. homilia 1.

In psalm. 117. homilia 1.

In psalm. 119. homilia 1.

In psalm. 120. homilia 1.

In psalm. 121. homilia 1.

B In psalm. 122. homilia 1.

In psalm. 123. homilia 1.

In psalm. 124. homilia 1.

In psalm. 125. homilia 1.

In psalm. 126. homilia 1.

In psalm. 127. homilia 1.

In psalm. 128. homilia 1.

In psalm. 129. homilia 1.

In psalm. 130. homilia 1.

In psalm. 131. homilia 1.

In psalm. 132. homilia 1.

In psalm. 133. homilia 1.

In psalm. 134. homilia 1.

C In psalm. 135. homilia 1.

In psalm. 136. homilia 1.

In psalm. 137. homilia 1.

In psalm. 138. homilia 1.

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In psalm. 139. homilia 1.

In psalm. 140. homilia 1.

In psalm. 141. homilia 1.

In psalm. 142. homilia 1.

hanc citat Euthymius in comm. psalmorum.

In psalm. 143. homilia 1.

In psalm. 144. homilia 1.

In psalm. 145. homilia 1.

D In psalm. 146. homilia 1.

In psalm. 147. homilia 1.

In psalm. 148. homilia 1.

In psalm. 149. homilia 1.

In psalm. 150. homilia 1.

In Sap. cap. 3. homilia 1.

IN ESAIAM propheta fama est Chrysofomum integros composuisse com-
mentarios; ex quibus nunc tenemus à principio libri usque ad dimidium octau-
capitis continuæ iuxta historicum & mysticum sensum explanationis fragmentum,
nuper Godefridi Tilmanni industria latinè uersum: cuius initium est, *Qua nam*
potissimum uirtute propheta hic cæteris præluxerit.

HABEMVS item Chrysofomi in Esaia caput primum De pœnitentia, quod om-
nium peccatorum maculas & uestigia aboleat, homiliam 1. quæ incipit, *Et si à*
uobis aliquantum temporis abstulerim. & est eadem cum illa, quæ inter decem Chry-
sofomi homilias DE PœNITENTIA inscribitur tertia.

Item

Exurgamus, queso, & animum intendamus.

Quid est in toto?

Mibi uidetur huius psalmi proœmium.

In scripturis sæpe uerba fiunt,

Magnam hic testatur Dei benignitatem.

Et quis nam est, inquit.

Huius dicti beatus Paulus.

Cuius clarum est.

Dictum quidem psalmi.

Aliorum quidem psalmorum.

Vide rursus animam.

At nunc multi uerbum egreferunt.

Profunt nonnunquam.

Quod sæpe dixi, hoc quoque nunc dico.

Cur non dixit absolute, Sicut mons?

Nomen captiuitatis est quidem.

Hic psalmus dictus est de statu rerum.

Vide, quomodo ab eo incipit.

Hic quoque psalmus.

Quid est, De profundis?

Quid hoc est? Paulus dicit stultum esse.

Alij quidem uolunt solum conseruari.

Multæ quidem res sunt pulchræ.

Psalmos de gradibus.

Ad hoc rursus hortatur.

Postquam dixit superius.

Magnum est his uiris.

De hoc sæpe nobiscum.

Quid dicitis? Nouit Deus.

Ubi nunc sunt qui dicunt, Quare sunt fera?

Huius quidem psalmi uerba.

Vides quomodo ubique.

Est quidem præcatio, quæ fit per uerba.

Quid dicitis? Deus ne docet bellare?

Hic psalmus est diligentissimè attendendus.

Vnde desit, illic rursus incipit.

Superius quidem in 144. psalmo dixit.

Non ad ciuitatem, sed ad eos.

Est hoc sanctis in more positum.

Si spectetur quidem anagoge.

Vel hoc dicit de populo.

Iustorum autem animæ.

Item in Esaïæ caput 6. De uisione sedentis in throno homilias 3. quarum prima incipit, *Conspicio uos*. secunda, *Gaudeo conspiciens*. tertia, *Praclarum nobis theatrum*.

IN IEREMIAE caput ultimum De Hierusalem denastatione hom. 1. cuius recodatur Chrysofomus in præfatione homiliæ super, *Oportet hærefes esse*.

IN IONAM hom. 1. incipientem, *Factum est*. quæ collecta est ex homilia prima autoris De pœnitentia.

ITEM in 2. Maccabæorum cap. 7. De Agone VII. Maccabæorum hom. 1. *Quam speciosa & grata*.

HÆC sunt, quæ ex monumentis Chrysofomi in uetus testamentum usq; ad nostra tempora in lucem prodierunt: quæ uerò in nouum testamentum aut passim inuulgata habentur, aut apud ueteres autores citata inueniuntur, infra sequuntur, uidelicet

IN MATTHEI Euangelium ab initio usque ad finem continuæ explanationis Homiliæ 91. Aniano diacono, & Georgio Trapezuntio translatoribus: quarum prima incipit, *Εδει μὲν ἡμᾶς*, id est, *Oportebat quidem nos*.

Dicitur etiam præter has homilias scripsisse in uarios sparsim Matthæi locos sermones uarios; ex quibus duo maximè celebrantur, De martyrio uidelicet Ioannis Baptistæ in 14. Matth. capitulum. horum alter, qui nunc extat, sic incipit, *Heu me quid agam? unde sermonis exordium faciam?* alterius uerò, quem nunc desideramus, initium est, *Rursus Herodias insanit*. Huius sermonis occasionem Socrates in historia ecclesiastica refert his uerbis: *ΕΥΔΟΧΙΑ ΑΥΓΥΣΤΑ* ob delectam statuam suam à Chrysofomo synodum contra eum parauit. quod ille sentiens, homiliam in ecclesia protulit, qua iniustam Augustæ persecutionem prætextu exponendi sæuitiam Herodiadis in Ioannem Baptistam grauius conquestus est, sic exorsus: *Rursus Herodias insanit, rursusq; turbatur, denuò saltat, denuò caput Ioannis in disco accipere concupiscit, &c.* quæ oratio ad eò Augustæ furorem exacerbauit, ut illum statim in exilium pelleret. Hæc Socrates.

Extat item in illud Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis*, hom. 1. quæ incipit, *Prata & nemorosa loca*.

Item in Matth. 26. De prodicione Iudæ hom. 1. quæ incipit, *Paucis hodie necessarium*.

IN MARCVM quoque, & LVCAM relictos fuisse à Chrysofomo celebres commentarios, testes sunt Euthymius & Suidas, quos nostra nondum uidit ætas. super sunt tamen ex uariis in Lucam locis ipsius homiliæ 6. uidelicet

In Luc. 16. De diuite & Lazaro hom. 4. quarum prima incipit, *Hexternum diem*; secunda, *Admiratus sum*; tertia, *Haud mediocrem utilitatem*; quarta, *Quod superest de Lazari parabola*.

Item in Luc. 18. De publicano & pharisæo hom. 1. quæ incipit, *Quemadmodum nubium concursus*.

Item in Luc. 23. de cruce & latrone hom. 1. quæ incipit, *Hodierna die*.

IN IOANNIS Euangelium habemus perpetuæ ac perfectæ enarrationis Homilias eiusdem numero 87. ex uersione Francisci Aretini: quarum prima incipit, *Qui agonom certamina*.

Feruntur & in uaria huius euangelij capita Homiliæ aliquot extra numerum prædictarum, de quibus una tantum in Ioan. cap. 2. De nuptiis in Cana celebratis autoris esse putatur: cuius initium est, *Hirundinum pulli*.

IN ACTVS Apostolorum habemus continuæ & integræ expositionis homilias 55. incerto interprete: quas licet Erasmus in dubium uerterit; nemini tamen dubium esse potest, quin Chrysofomi sint: nam præterquam quod frequentes interrogatiunculæ, dialogismi & digressiones locorum communium sub finem homiliarum ostendunt opus esse Chrysofomi: ipse etiam autor homilia nona profitetur se esse episcopum, & homilia undecima indicat se episcopum esse urbis amplissimæ, in qua degant supra centum millia pauperum, quotidiana elemosyna indigen-

A indigentium, qualem certe credibile est Chrysofomi temporibus fuisse Constantinopolin. Idemque in homilia 9. 10. 11. & 12. legem illam de non ferendis iuramentis, uni tantum Chrysofomo peculiarem, continuo inculcat; addens etiam se illos ab ecclesia eiectionum, qui huic à se promulgatæ legi non paruerint, & quo uis modo iurauerint. Et hom. 41. indicat se uixisse temporibus Iuliani imperatoris. Denique homilia 52. nominis sui obiter mentionem facit his uerbis: *NOMEN* habere principis, non est esse principem. multi enim uocantur magnis nominibus, ut Petrus, Iacobus, & Ioannes: sed non propter nomina sunt id, quod uocantur; quemadmodum & ego, licet uocer *Ioannes*, non tamen sum Ioannes. Sed & Ioan. Damascenus in 3. libro De fide, & Oecumenius in Catena explanationum in Actus testimonia horum sermonum proferunt, ceu ex uero & germano Chrysofomi opere, cuius initium est, *Plurimi sunt qui adeò hunc librum ignorant*:

SVPEREST item post hos sermones in 9. caput Actuum de conuersione Pauli homilia 1. quæ incipit, *Reprehendunt nos*.

IN OMNES Pauli epistolas composuit Chrysofomus magnum & insigne homiliarum uolumen; cuius mentionem faciens Georgius, patriarcha Alexandrinus, in uita Chrysofomi à se edita, sic scribit: *DIVINVS* Ioannes, cum Pauli epistolas, quas præ cæteris diuinis libris uehementi complectebatur amore, explanare cœpisset, & in eas ad funalis cerei lumen singulis noctibus enarrationes multas conscripsisset, iamque eas maxima ex parte interpretatus esset, nocte quadam in cubiculo suo sedens, & expositioni incumbens, humano quodam tædio angustatus cœpit, dicens, Et quis nouit, Deo ne accepta sint hæc, & gratiam ab eò relatura? atque utinam citra notam reprehensionis enarrata sint hæc. scopum ne attigi sapientis istius, ac tanti uiri? Hac dere, ut argumento quoquam redderetur certior, supplex efflagitauit Deum. Et ecce nocte eadem, arreptis in manus chartis, cum pressius incumberet scribendis in Apostolum commentationibus, uenit ad eum Paulus Apostolus, in aures eius expositionem immurmurans. quem Proclus cubicularius, ad fores cubicoli excubans, per foramen quoddam ianuæ prospectans, manifestè uidit immittentem os suum deorsum uersus in aurem Ioannis dexteram, & familiariter dictantem ea, quæ Ioannes scribebat. Forma autem, habitusque Apostoli erat omni ex parte assimilis imagini diui Pauli; quam Chrysofomus, ad uiuum depictam, in cubiculo suo summa cum ueneratione seruabat. Hæc Georgius. Catalogus autem homiliarum huius uoluminis hic est:

IN epist. ad Rom. hom. 32. Germano Brixio interprete; quarum prima incipit, *Συνεχῶς ἀκούω*, id est, *Continuò audiens*.

In epist. ad Corint. primam hom. 44. Francisco Aretino interprete; quarum prima incipit, *Ὁρα πῶς ἀθέως*. *Intuere, ut statim*.

In epist. ad Corint. secundam hom. 30. quarum prima incipit, *Ἄξιόν ἐστιν ἡμῶν πρότερον*. *Dignum est querere primum*.

D In epist. ad Gal. continuatæ expositionis commentarius in nullas homilias diuisus; cuius initium est, *Πολλὰ τὸ προοίμιον*. *Multa proœmium*.

In epist. ad Eph. hom. 24. quarum prima incipit, *Ἰδοὺ πῶς τὸ, διὰ, τῷ πατρὶ δέδωκε*; *Vide, ut illud, Per, Deo patri tribuit*?

In epist. ad Phil. hom. 16. quarum prima incipit, *Οἱ Φιλιππησιοὶ*. *Philippenses*.

In epist. ad Col. hom. 12. quarum prima incipit, *Πᾶσαι μὲν ἀγία*. *Omnes quidem sanctæ*.

In epist. ad Theff. primam hom. 11. quarum prima incipit, *Τὶ δὴ ποτε Φιλιππησιοὶ*. *Qua nam ratione Philippensibus*.

In epist. ad Theff. secundam hom. 5. quarum prima incipit, *Ἐν τῇ πρώτῃ ἐπιστολῇ*. *In priore epistola*.

In epist. ad Tim. primam hom. 18. quarum generale argumentum incipit, *Τὸν τῷ ἀποστόλῳ*. *Vnus ex Apostolis*.

In epist. ad Tim. secundam hom. 10. quarum prima incipit, *Τὶ δὴ ποτε ἢ δεύτερον*. *Qua nam ratione etiam secundam*.

- In epist. ad Titum hom. 6. Ambrosio Camaldul. interprete, quarum prima incipit, *Τῶν Παύλου σιόντων. Unus ex Pauli sociis.*
- In epist. ad Philem. hom. 3. Ambrosio Camaldulense interprete, quarum prima incipit, *Πρώτον ἀναγκαῖον. Primum necessarium est.*
- In epist. ad Heb. hom. 33. quarum prima incipit, *Ῥωμαῖοις γραφών. Romanis scribens.* has Constantinus Presbyter post mortem Chrysofomi, præceptoris sui, ex enarrationibus eius dispersis in unum integræ enarrationis corpus collegit. Mutius uerò Scholasticus latinus fecit.
- EXTANT præter hunc iam descriptum homiliarum ordinem etiam alia in uarios epistolarum Pauli locos Homiliæ uiginti, uidelicet
- In locum ad Romanos cap. 16. Salutate Priscam & Aquilam, hom. 1. *Nonne docti estis.*
- In locum 1. Corinth. 7. Mulier alligata est legi, De libello repudij, hom. 1. *Pridem uobis B. Paulus.*
- In locum 1. Corinth. 10. Nolo uos ignorare, quòd patres sub nube fuerunt, homilia 1. *Ναυτὰ εὐαγγελίου.*
- In locum 1. Cor. 7. De uirginibus præceptum &c. De uirginitate liber unus, cuius autor ipse meminit hom. 19. in priorem ad Corinth.
- In locum 1. Corinth. 11. oportet hæreses esse, hom. una. *Concionem uestram.*
- In 1. Corinth. 16. De collatione in sanctos, & elemosyna, homilia una. *Exurrexi hodie.*
- In illud 2. Cor. 11. Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, hom. una. *Omnes equidem amo.*
- In illud ad Philipp. 1. Siue occasione, siue ueritate Christus annunciat, homilia una. *Cum pridem Pharisei.*
- In illud 1. Timoth. 5. Vinò modico utere, hom. 1. *Audistis apostolicam uocem.*
- In illud 1. Tim. 6. Præcipe diuitibus non sublime sapere, hom. 1. *Quid dicam, aut quid loquar?*
- In illud ad Philem. 1. Paulus uinctus Christi, homilia una. *Principis quidam prudentiam.*
- In illud ad Hebr. 10. Sponte peccantibus nobis, hom. 1. *Omnes arbores.*
- Item de laudibus Pauli homiliæ nouem, Aniano interprete, multa tam de Pauli epistolis, quam de his, quæ Lucas de Paulo in Actibus scribit, explicantes; quarum prima incipit, *Nihil prorsus errauerit.*
- EXTANT item præter iam enumeratas lucubrationes Translatio utriusque testamenti in linguam Armenicam, qua nunc Armeni utuntur, Chrysofomi, ut ipsi credunt, industria & sollicitudine edita. Meminit huius Translationis Georgius, patriarcha Alexandriaus, in uita Chrysofomi, referens eum, cum in Cuculum Armeniæ oppidum exularet, incolas eius regionis ad Christum perduxisse, ac subinde curasse, ut psalmi Davidis una cum sanctis euangelis, atque aliis ueteris instrumenti historiis Armenicè uerterentur, quòd facilius diuinæ scripturæ cognitionem gentes prouinciæ illius obtinerent.
- HAEC igitur sunt uera & legitima Chrysofomi scripta, quæ de tam multis ab eo in sacras literas editis superstant: cætera uerò exegetica scripta, quæ sub falso Chrysofomi titulo inter uera ipsius opera sunt immista, sequens catalogus comprehendet.

CATALOGVS EORVM, QUAE perperam D. Chrysofomo putantur inscripta.

- In Gen. cap. 2. hom. 1. quæ incipit, *Dignitas humane originis.*
- In Gen. cap. 2. hom. 1. incipiens, *Deus institutor Mundi:* quæ collecta est ex centonibus Augustini; suntque in ea duo integra capita, ex libro de Ecclesiasticis

- A Ecclesiasticis dogmatibus transcripta, nempe trigessimum primum, & trigessimum secundum.
- In Gen. cap. 2. hom. 1. *Iubetur Adam.*
- In Gen. cap. 3. hom. 1. *Deus sine initio.*
- In Gen. cap. 3. hom. 1. *Nemo qui nesciat.*
- In Gen. cap. 3. hom. 1. *Quotiens mecum temporis.*
- In Gen. cap. 3. hom. 1. *Christiano cum hoste.*
- In Gen. cap. 15. hom. 1. *Fides est religionis.*
- In Gen. cap. 25. hom. 1. *Portabat Rebecca.*
- In Gen. cap. 37. hom. 1. *Filij autem Iacob.*
- In Exo. cap. 17. hom. 1. *Stabat Moyses.*
- In Iud. cap. 11. hom. 1. *Deus qui uoluit.*
- In 1. Reg. 13. hom. 1. *Dominus Deus cum David.*
- In 2. Reg. 7. hom. 1. *Imitatores Christi.*
- In 2. Reg. 17. hom. 1. *Perdidit Absalon.*
- In 3. Reg. 17. De Helia hom. 1. *Gloriosus olim.*
- In idem hom. 1. *Cum gesta peccata.*
- In 4. Reg. 2. De ascensione Helia hom. 1. incipiens, *Apud quosdam ueteres.* hanc Beda in Quæstionibus libri Regum putat esse Chrysofomi; sed stylus respicit autorem eius homiliæ, cuius initium est, *Exulta cælum, & in lætitia esto terra.* quæ ponitur inter pseudepigrapha Hieronymi, in die dominicæ resurrectionis, & inter sermones Eusebij Emeseni.
- In 4. Reg. 5. De Naaman hom. 1. *Cum Naaman.*
- In 4. Reg. 6. De Heliseo hom. 1. *Etsi frequenter.*
- In Iob cap. 1. hom. 1. *Veruntamen fratres charissimi.*
- In Iob cap. 1. hom. 1. *Ah' etiam in certamen.*
- In librum psalmodum præfatio, incipiens, *Post Moysen.*
- In lib. psalm. præfatio altera incipiens, *Omnis scriptura.*
- In psalm. 1. hom. 1. *Beatitudo est omnium.*
- In psalm. 2. hom. 1. *Quemadmodum qui in Solem.*
- In psalm. 9. hom. 1. *Creatoris & omnium rerum.*
- In psalm. 9. hom. 1. *Deus generis nostri.*
- In psalm. 13. hom. 1. *Quemadmodum cum dominus.*
- In psalm. 14. hom. 1. *Est pulcher psalmus.*
- In psalm. 22. hom. 1. *Circulo consecrato.*
- In psalm. 24. hom. 1. *Viatores arctæ & angustæ uia.*
- In psalm. 25. hom. 1. *Filij lucis.*
- In psalm. 26. hom. 1. *Ex plenitudine uerbi.*
- In psalm. 29. hom. 1. *Celebritas confessionis.*
- In psalm. 33. hom. 1. *Sermo diuinus.*
- In psalm. 37. hom. 1. *Sape à nobis.*
- In psalm. 38. hom. 1. *Et quomodo potest psalmus.*
- In psalm. 39. hom. 1. *Nec hunc quidem psalmum.*
- In psalm. 40. hom. 1. *Nonnulli quidem.*
- In psalm. 40. hom. 1. *Etiam si propheta.*
- In psalm. 42. hom. 1. *Hic psalmus est.*
- In psalm. 42. hom. 1. *Cohæret priori.*
- In psalm. 68. hom. 1. *Qui orationibus.*
- In psalm. 71. hom. 1. *Dominus uirtutum.*
- In psalm. 84. hom. 1. *Omnis, qui se agnoscit.*
- In psalm. 90. hom. 1. *Psalmum nonagesimum.*
- In psalm. 93. hom. 1. *Aduersus fluctus.*
- In psalm. 95. hom. 1. *Egregium uereque mirandum.*
- In psalm. 96. hom. 1. *Ictus à uipera Paulus.*

| | | |
|-------------------------------------|--|---|
| In psalm. 106. hom. 1. | <i>Spiritus sanctus.</i> | A |
| In psalm. 115. hom. 1. | <i>Narratur quod apicula.</i> | |
| In psalm. 118. hom. 1. | <i>Benignitas Dei.</i> | |
| In psalm. 118. hom. 1. | <i>Veritatem prædicandam.</i> | |
| In psalm. 121. hom. 1. | <i>Dominus noster.</i> | |
| In psalm. 142. hom. 1. | <i>Iudicia domini sicut abyssus multa.</i> | |
| In Esaiæ caput primum hom. 1. | <i>Si uolueritis, & audieritis.</i> | |
| In Es. 9. hom. 1. | <i>Christus unam cum patre.</i> | |
| In Es. 42. hom. 1. | <i>Vita inuoluta.</i> | |
| In Es. 62. hom. 1. | <i>Quoniam tempus uenit.</i> | |
| In Ier. 1. hom. 1. | <i>Magnum Ieremiæ meritum.</i> | |
| In Dan. 3. De tribus pueris hom. 1. | <i>Trium puerorum sermo.</i> | |
| In Dan. 13. De Susanna hom. 1. | <i>Diuina lectiones.</i> | |
| In Zach. 6. hom. 1. | <i>Nobilis genere.</i> | |

HOS hucusque enumeratos sermones, quanquam ipsi eruditi sint & digni, qui à studiosis auidè legantur, multis tamen non spernendis coniecturis apparet non esse Chrysofomi, sed aliorum autorum; quibus neque candor, neque illa perpetua orationis facilitas inest, quam in Chrysofomo miramur, sed sermo commaticus, concisus, & affectatione duriusculus, similitudinum & collationum, quæ præcipua sunt Chrysofomi ornamenta, nihil habens. contra uerò abundans similiter respondentibus uocibus, & similiter terminantibus sententiis; ueluti illud est, quod in expositione psalmi 33. legitur, Eia fratres mei, hinc modo respondere uolo: quanti modò dicunt nolo, qui iam dicebant uolo. itemq; illud, Oracula sanctæ lectionis, quæ sonant in auribus uestris, nidum faciunt in cordibus uestris. à quibus dicendi formis maximè abhorret Chrysofomus. . . Continent etiam aliqui ex hisce sermonibus notas quasdam, ex quibus facillè suspicari queas autorem illorum non scripsisse græcè: quales sunt nonnullæ orationis figuræ, quæ aptari non possunt ad græcum sermonem; & similiter interpretationes aliquarum uocabulorum, cœu etymologia Meridiei, quam habes in homilia psalmi 90. uidelicet, Meridies dicitur, quia diuidit diem: meros enim pars est diuisa diei. . . & in homilia psalmi 118. Veritas tres sunt syllabæ, & septem literæ: quia in septima die requiescit Deus. ab operibus suis. Sunt præterea homilia ista contra Chrysofomi consuetudinem destituta exordiis in ingressu orationis, sine moralibus adhortationibus ante finem, & absq; ullis doxologiis ac precationibus in conclusione sermonis. sed & loci communes de peccato originali, de prædestinatione, de præscientia, de induratione, de gratia & merito in quibusdam sermonibus pertractati, Augustino magis peculiare uidentur, quam Chrysofomo; qui ut ab his semper abstinet, ita nusquam citare solet nomina ecclesiasticorum doctorum: ex quibus tamen nonnulli in his sermonibus nominatim inducuntur, ut Hippolytus & Cyprianus. citatur item Ioannes Euangelista sub appellatione Theologi. quod sanè cognomen nescio an alicubi Chrysofomus tribuerit Ioanni; quem tamen sæpe tonitruum filium uocare consuevit. Neque prætereundum arbitror, quòd autor hic lectiones scripturarum, quæcunque illæ sint, diuidit & exponit per uersiculos, interdum quoque numeratim distinctos, crebrò illud repetens, Uersiculum quem modò audiimus. item, Sequitur alter uersiculus. item, Reuertamur ad propositos historiarum uersiculos. & rursus, Viso iam primo uersu, atque item secundo, uideamus. & tertium. quam diuidendi formulam nullibi in Chrysofomi scriptis reperies. His accedit, quòd autor sæpe, relicto historico sensu, citra ullam occasionem ad allegoricos & anagogicos sensus deuoluitur: quod rarissimè facit Chrysofomus, & non nisi necessitate adactus. Cæterum, quisquis illè fuerit horum sermonum scriptor, apparet eum esse uetustum, tum ex antiqua translatione scripturarum ab eo exposita, quod non leue indicium est uetustatis, tum ex paschali baptisate, aliisque antiquis ecclesiæ ritibus; quos commemorat temporibus suis in obseruatione fuisse. . . Hactenus de pseudepigraphis, ad uetus testamentum pertinentibus; nunc, ea, quæ ad nouum spectant, enumerabimus.

IN

A IN MATTHEVM extat incerti autoris imperfectum opus; in Homiliis 54 diuisum: tamen nullas habeat homilias, sed perpetuus sit commentarius, continens continuatam expositionem Euangelistæ ab initio uidelicet usque ad dimidium 13. capitis, & rursus à principio capitis 19. usque ad finem cap. 25. cuius exordium est, *Sicut referunt Mattheum & c.* de quo quidem opere diuersa feruntur iudicia. sunt qui ipsum negent esse Chrysofomi, cum ob uulgatam latinæ ecclesiæ translationem, quæ in eo differitur, tum ob frequentes allegorias & allegationes apocryphorum scriptorum, quibus autor utitur, citans Scripturam Seth, Apocryphum Ezechiæ, Itinerarium Clementis, & alia his similia, à Chrysofomi usu remotissima. ad hæc addunt commentariorum phrasin, expositiones, & dogmata, Chrysofomianæ linguæ, & menti magis contraria, quam ignem & aquam. nam & dictionis character, & schemata quædam, ad græcam orationem minimè respondentia, indicant scriptorem fuisse latinum; hæretica uerò dogmata, toto passim operi inspersa, palam arguunt eundem fuisse hæreticum, non uni tantum sectæ addictum, sed uariis Montani, Manichæi, Arrij, Donati, ac Pelagij hæresibus implicitum, & propter eas hæreses meritò ab ecclesia damnatum, & à Paulo papa IIII. in catalogo scriptorum suspectæ fidei annumeratum.

B SVNT ex opposito qui hoc ipsum opus contendunt esse Chrysofomi, adducti non solum autoritate apostolicæ ecclesiæ, quæ publicè inter diuinas laudes legit Homilias ex his commentariis sub nomine Ioannis Chrysofomi; sed etiam permotum pondere & grauitate sententiarum, & propositionum huius operis; quæ ad confirmationem Christianorum dogmatum sub titulo, testimonio, & autoritate Chrysofomi inducuntur in glossis authenticis, quas uocant Ordinarias, in catenis euangelicarum explanationum, in decretis summorum pontificum, & in Summis theologicis magni nominis theologorum; in quibus multæ ex his sententiis, diligentissimè expensæ, ab omni erroris suspitione, uindicantur.

C NE QVE his quicquam obest recens edictum Pauli papæ quarti, quippe quod non simpliciter & omnino rejicit uniuersum hoc opus, tot iam sæculis communi ecclesiæ assensu comprobatum: sed ea duntaxat huius operis exemplaria interdicit; quæ præter autoris mentem ab hæreticis uitiata inueniuntur, & his, quibus nunc sciant, facibus inquinata. Hæc autem facès & sordes non autoris culpa, sed hæreticorum fraude in hos commentarios irrepsisse triplici indicio persuadent. primo, quòd exemplaria quædam uetustissima nihil contineant huiusmodi errorum, sed alia manu omnia habeant ascripta in marginibus. secundo, quòd quicquid hæreticum est, ita per illationem sit germanæ lectioni assutum, ut, si refecetur, ne latè quidem unguem mutetur sententia, quod sanè fieri non posset, si ab ipso autore ingenuè fuisset intextum; quemadmodum nec humano corpori membrum aliquod auferri potest absque deformi totius structuræ mutilatione. tertio, quòd credibile non sit autorem, qui nec amens, nec obliuiosus fuerit, iisdem de rebus, & iisdem penè locis scribentem sibi ipsi contraria sensisse & dixisse, præsertim uerò in his, de quibus, ut Arrianus, acufatur. quomodo enim uerissimè fuerit eum cum Arrianis de inæqualitate & diuersa patris & filij substantia conuenisse, qui aduersus Arrianos unitatem & æqualitatem utriusque multis locis defendit? præcipuè uerò hom. 44. super illis uerbis, Vah uobis scribæ & pharisæi, qui clauditis regnum cœlorum. ubi hæc scribit: SIC ET modò hæretici sacerdotes claudunt ianuam ueritatis. ideo, quando legunt in populo suo aliquid tale, QVI ME MISIT, MAIOR ME EST, peruersa interpretatione claudunt ianuam ueritatis, dicentes filium minorem patre: cum tamen secundum dispensationem carnis dicatur minor. Et homilia 28. in expositione illius sententiæ, OMNIA MIHI TRADITA SVNT A PATRE MEO, proponens ac dissolvens argumentum eorum, qui ex his uerbis astruebant filium patre minorem, sic inquit: A QVO illi tradita sunt omnia, si unus est pater & filius? aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia patri suo erat æqualis? nam significatio traditionis tam unitatis rationem, quam æqualitatis excludit. Respondeo, tradita sunt ei secundum quod minoratus

Fff 3 est

est paulo minus ab angelis: nam secundum illud, quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, Deus unus & æqualis est ei, qui tradidit omnia. Et homilia 45. exponens illud Matth. 23. *ET VOS IMPLERE MENSURAM PATRUM VESTRORVM*, ait: *QUANDO* uides hæreticos tres per omnia æquales, dicentes non eiusdem esse substantiæ, non eiusdem esse autoritatis, sine principio omnes hos, aliqua parte distantes à se; ne mireris: implent enim mensuram patrum suorum Gentilium, quoniam illi similiter multos deos colebant. Quibus quidem uerbis quid apertius dici potuit aduersus Arrianam sententiam, quæ huic auctori ascribitur? Hæc igitur est super his commentariis controuersia: de qua iudicent me doctiores: ego, quid addam, nihil habeo, nisi hoc ipsum opus disertum & doctum esse, ac dignum, quod assidue legatur, si tamen prius diligentissimè expurgatum fuerit ab iis erroribus, quos in sexto libro in censuris super Matthæi expofitoribus annotauimus. Floruit autor hic, ut ex 33. & 49. eius homiliis colligitur, post tempora Theodosij Augusti: scripsitq; etiam in alios Euangelistas confirmatis industriæ commentarios.

H A C T E N V S de opere in Matthæum imperfecto: post quod habetur inter opera Chrysostomi farrago diuersorum sermonum in uarios quatuor Euangelistarum locos; quorum alij desumpti sunt ex homiliis Chrysostomi, alij ex iam memorato opere imperfecto, alij uerò esse putantur eiusdem auctoris, cuius in Marcum habemus quatuordecim sermones: qui: quantum ex eius scriptis deprehenditur: monachus fuit sub potestate episcopi constitutus, & ad monachos edidit explanationes suas, frequentibus intermissis allegoriis, & interdum uolentis. quod ipse non ignorans homilia 9. in Marcum se his uerbis excusat: *PVTATIS* nos uim facere scripturæ: & forsitan aliquis dicat in tacita cogitatione, Iste semper allegorias sequitur, & uim scripturæ sanctæ facit, & c. Huius igitur, atque aliarum aliorum Homilia hæ sunt:

- In Matthæi caput secundum. De aduentu magorum, homilia Incerti Monachi: quæ incipit, *Hoc futurum Esaias.*
- In Matth. 2. De fuga pueri in Aegyptum hom. Incerti Monachi. *Hunc ergo puerum.*
- In Matth. 2. De cæde infantum hom. Incerti Monachi. *Dedicatur nouus.*
- In Matth. 2. De reditu pueri in Iudæam hom. Inc. Mon. *In eo quod dixit.*
- In Matth. 4. De tentatione Christi hom. Inc. Mon. *O incomparabilem.*
- In Matth. 5. De Beatitudinibus hom. incipiens, *Non tantum corpora.* quæ est pars homilia 15. Chrysostomi in Matthæum.
- In Matth. 5. De maximo & minimo in regno cælorum hom. Incerti Monachi. *Cum nobis pro officio.*
- In Matth. 5. De dilectione inimicorum hom. Inc. Mon. *Per omnia uult nos.*
- In Matth. 6. De oratione dominica hom. *Dominica oratio.*
- In Matth. 6. De ieiunio hom. Incerti Monachi. *Sicut in superioribus.*
- In Matth. 6. De cauendo ieiunio hypocritarum homilia Incerti Monachi. *Series lectionis.*
- In Matth. 7. De cauendis pseudo prophetis hom. Inc. Mon. *Omnibus notum est.*
- In Matth. 9. De nauicula hom. *Christum in humanis actibus.* est Petri Chrysologi.
- In Matth. 9. De conuersione Matthi hom. *Multæ tempestates.*
- In Matth. 14. De Ioannis decollatione hom. *Hodie nobis Ioannis uirtus.* est Petri Chrysologi.
- In Matth. 15. De Cananæa hom. *Miratur Euangelista.* habetur inter opera Origenis.
- In Matth. 18. De necessitate scandalorum hom. Inc. Mon. *Videtur quidem.*
- In Matth. 18. De correctione fraterna hom. Inc. Mon. *Exercitia legis.*
- In Matth. 18. De correctione fraterna hom. *Magnum quiddam* & c. quæ sumpta est ex explanatione Chrysostomi in Matth. hom. 62.

In

- A** In Matth. 19. De repudio hom. *Iustus dominus.* quæ est in opere imperfecto homilia 32.
- In Matth. 19. De Petro, Christum interrogante, hom. *Quoniam possibile.* est pars homilia 33. operis imperfecti.
- In Matth. 20. De ascensu Christi in Hierusalem homilia Incerti Monachi. *Postquam uirginæ.*
- In Matth. 20. De Christo, ascendente Hierosolymam, homilia Incerti Monachi. *Proximè cum.*
- In Matth. 21. De Christo asinis inuecto hom. *Puto res ipsa.* quæ est in opere imperf. hom. 37.
- In Matth. 21. De ficu arefacta hom. Inc. Mon. *Si ad arborem.*
- In Matth. 22. De Censu hom. *Omnis malitia.* quæ est pars homilia 42. operis imperf.
- B** In Matth. 22. De dilectione Dei & proximi hom. *Frequenter Iudæi.* quæ est altera pars eiusdem homilia.
- In Matth. 26. De cæna domini hom. Inc. Mon. *Ad hodiernum.*
- In Matth. 26. De cæna domini hom. Inc. Mon. *Secundum saluatoris.*
- In Matth. 27. hom. Inc. Mon. *Euangelica Series.*
- In Matth. 27. hom. Inc. Mon. *Sufficiant quidem.*
- I N M A R C I** cap. 1. De principio Marci hom. Inc. Mon. *Animal illud.*
- In Mar. 1. De Ioan. Baptista hom. eiusdem. *Nunc ueniamus.*
- In Mar. 1. De Iesu, ueniente à Nazareth Galilææ, homilia eiusdem. *Videte uitiones.*
- In Mar. 1. De Christo, degente cum bestiis, hom. eiusdem. *Quoniam præterita dominica.*
- In Mar. 1. De Christo, ingrediente Capharnaum, hom. eiusdem. *Felix & pulchra mutatio.*
- C** In Mar. 1. De focu Simonis hom. eiusdem. *Instruxerat dominus.*
- In Mar. 5. De sanguiflua hom. eiusdem. *Interrogat circumspiciens.*
- In Mar. 8. De panibus hom. eiusdem. *In superiori parte.*
- In Mar. 9. De transfiguratione hom. eiusdem. *Iurat Christus.*
- In Mar. 10. De cæco hom. eiusdem. *Quonia sanctus presbyter.*
- In Mar. 11. De Christo asinis inuecto hom. eiusdem. *Iste qui ligatus.*
- In Mar. 11. De ficu arefacta hom. eiusdem. *Ingreditur dominus.*
- In Mar. 11. De eiectione uendentium hom. eiusdem. *In euangelio secundum Ioannem.*
- In Mar. 13. De die iudicij hom. eiusdem. *Euangelica lectio.*
- I N L V C A E** cap. 1. De natiuitate Io. Baptistæ hom. eiusdem. *De sol.*
- In Luc. 2. De ortu Christi hom. eiusdem. *Joseph autem non audebat.*
- D** In Luc. 10. De eo, qui incidit in latrones, hom. eiusdem. *Tunc dixit dominus.*
- In Luc. 15. De duobus filiis hom. *Omnium quidem de scripturis.* fertur inter opera Hieronymi, tametsi nec Hieronymi sit.
- In Luc. 16. De diuite hom. Inc. Mon. *Quoniam dixerat.*
- In Luc. 19. De Zachæo hom. Inc. Mon. *Si per Christum.*
- I N I O A N N I S** cap. 1. De uerbo filio Dei Inc. Mon. hom. *Si credis quod Deus.*
- In Ioan. 1. De Ioan. Baptista hom. eiusdem. *De Ioanne dicitur.*
- In Ioan. 4. De ueris adorantibus, hom. eiusdem. *Innumera beneficia.*
- In Ioan. 11. De Lazaro hom. *Grandi fratres.* creditur esse Chrysologi.
- In Ioan. 15. super, Vos amici mei estis, hom. Inc. Mon. *Dominus Christus in euangelio.*
- In Ioan. 20. De Maria fl. ad monumentum hom. 2. quarum una incipit, *Maria ueniens: altera, Licet omnes.*

In Ioan.

In Ioan. 20. De Thoma hom. 1. *Hoc ergo bodie.* **A**
 In primam Cor. 13. De fide, spe, & charitate hom. 1. *Apostolus Paulus lo-*
quitur.

In 1. Cor. 15. super illud, Cum subiecta fuerint illi omnia, hom. 1. *In hester-*
no fratres.

A T Q V E hæc sunt, quæ in uniuersum extant tam indubitata, quam dubia Chry-
 sostomi scripta, ad diuinæ scripturæ enarrationem spectantia.

S C R I P S E R V N T Chrysofomi uitam Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & Ni-
 cephorus in historia uniuersali ecclesiasticarum rerum, particulariter autem, & se-
 paratis uoluminibus Palladius primus Hybernæ episcopus, & Georgius patriar-
 cha Alexandrinus.

M O R I T V R beatissimus hic uir, *facione* Theophili Alexandrini, & Endoxiæ Au-
 gustæ in exilium actus, apud Comanas oppidulum in finibus Ponti, anno, ut re-
 fert Socrates, à Christo nato ccccv. die xliiii. Septembris; consulatu Honorij **B**
 vii. & Theodosij ii. Eius Exegetica scripta abbreuiarunt Theodoretus Cyrensis
 episcopus, Theophylactus Bulgaricæ episcopus, Euthymius Zigabenus, & Oecu-
 menius.

I O A N N E S Christophori, Dominicanus, in scripturis longo tempore exerci-
 tatus, & in sæculari philosophia nobiliter doctus; facultate & sermone scholasti-
 cus, scripsit Postillam scholasticam in quatuor euangelia, & in omnes Pauli episto-
 las. Claruit anno domini 1240.

I O A N N E S Dietenbergius, ordinis Prædicatorum, theologiæ professor egre-
 gius, & hæreticæ prauitatis inquisitor, cuius extat opus Confutationum aduer-
 sus scripturarios Lutheranos, utrunque sacræ legis instrumentum Theutonicæ lin-
 guæ donauit. Claruit sub Carolo V. Aug. anno 1520.

I O A N N E S Docæus, Laudunensis episcopus, eruditus & facundus, scripsit in **C**
 euangelia, quæ in diebus ferialibus Quadragesimæ leguntur, homilias stylo ele-
 gantes, & pietate insignes: quarum prima incipit, *In primis dicamus.* item enar-
 rationem in passionem dominicam secundum Matthæum, quæ incipit, *Paulus Vas*
electionis. Claruit anno domini 1555.

I O A N N E S Dominici, tit. S. Xysti cardinalis, archiep. Ragusinus, patria Flo-
 rentinus, ordine Dominicanus, Antonini archiepiscopi Florentini præceptor, uir
 sanctitate, scientia, & Hetrusca eloquentia. effulgens, tantaq; ingenij solertia, & me-
 moriæ tenacitate præstans, ut ipse in libro, quem *LUCVLAM NOCTIS* inscripsit,
 interposito iuramento affirmet, se in nulla scientia præceptorem habuisse, sed exem-
 plo Augustini, omnes per se ipsum disciplinas edidicisse, & intellexisse. Hic cum
 ad concilium Constantiense à Gregorio xii. prouisione ecclesiæ missus esset, pera-
 cto concilio, & unione inita; hortatu Sigismundi Imperatoris à Martino Papa V.
 legatus in Pannoniam mittitur ad extinguendas hæreses Boemorum nuper exor-
 tas. quò profectus, cum reperisset animos ita in hæresi obduratos, ut nec exhor-
 tationibus flecti, neque ullis aut præcibus, aut minis possent ab incepto reuocari, **D**
 desperatis rebus, contulit se Budam, Pannoniæ regiam; ubi mœrore animi conta-
 befcens, mortalitatem exiit anno domini 1418. sepultusq; est in templo diui
 Pauli primi eremite, miraculis multis corruscans. Is itaque inter multas schola-
 sticas scripturarum expositiones reliquit scholasticos commentarios.

In Ecclesiasten,

In Cantica Canticorum,

In euang. Matthæi,

In epist. ad Romanos,

ITEM in primos nouem psalmos conciones quinquaginta, quas Florentiæ in Ec-
 clesia cathedrali ad populum habuit, à dominica septuagesimæ usque ad diem ter-
 tiam Paschæ, scholastico sermone digestas.

ITEM in 12. caput 1. ad Cor. De charitate librum unum, incipientem, *Si lin-*
guis hominum loquar.

IOANNES

A I O A N N E S Driedo, Tornoutensis, undequaque doctissimus, & in florentissi-
 ma Louaniensi academia publicus sacræ theologiæ professor, scripsit facili & non
 prorsus inculto stylo ad Ioannem, Lusitaniæ regem, de ecclesiasticis scripturis Isa-
 gogicos libros quatuor, eruditos & ualde laudandos: quorum partitio hæc est.

L I B E R P R I M V S, quatuor diuisus capitibus, ostendit in primo capite dignita-
 tem, utilitatem, numerum, ordinem, ac diuisionem librorum sacræ scripturæ.
 secundus difficultates quasdam, ex sententiis patrum super iam dictis emergentes,
 proponit. tertius canones quosdam, difficultatibus dissoluendis necessarios, af-
 fert. quartus difficultates dissoluit.

S E C V N D V S liber tribus capitibus absoluitur: quorum primus est de translatio-
 nibus sanctarum scripturarum; secundus de multitudine sensuum sacræ scriptu-
 ræ; tertius de uia, per quam inuestigandus est uerus scripturarum intellectus.

T E R T I V S liber continet tractatus, in plura capita diuisos. In primo tradit
B generalia quædam præcepta, desumpta ex libro Augustini De doctrina Christia-
 na, ad geminam scripturæ difficultatem, rerum scilicet & uocum, aperiendam ne-
 cessaria. In secundo specialiter tractat de obscuritatibus quibusdam, quæ secun-
 dum sermonem, seu dictionem in scripturis contingunt. In tertio de difficul-
 tatibus, quæ sunt in scripturis propter res ipsas in se difficiles.

Q U A R T V S liber, in sex capita diuisus, de libris apocryphis, & de scriptis eccle-
 siasticorum patrum extra canonem constitutis edisserit. Totius operis initium est,
Tractaturus de rebus fidei.

P O S T hæc tractatum digessit de temporibus ad illustrandas obscuritates in sacra
 scriptura emergentes, ex uario numero temporum, & diuersa supputatione anno-
 rum in quinque partes diuisum: quarum distributio hæc est. In prima parte ostendit
 diuersitatem & causam diuersitatis supputandi, quæ est inter antiquos scripto-
 res; statuitque sequendam esse supputationem Berosi Chaldæi, Methastenis Persæ,

C Manethonis Aegyptij, Philonis Iudæi, Xenophontis Græci, & Fabij Pictoris, Ca-
 tonisque Romanorum: quorum Chronographiam cum hebraica sanctæ scriptu-
 ræ ueritate concordare demonstrat. In secunda recenset prædictorum Chronogra-
 phorum dinumerationem, scripturæ sanctæ consuetudinem. In tertia confert tempo-
 rum regum ethnicorum, quos scriptura commemorat, cum gestis eorundem regum
 in scripturis commemoratis. In quarta supputatione hebdomodarum Danielis de-
 ducit. In quinta tractat de temporibus futuris in nouissimo Christi aduentu.
 Hunc tractatum, prius à se editum, libro tertio de diuinis scripturis, quem po-
 stea scripsit, aptissimè coniunxit. Claruit sub Carolo V. Aug. 1540.

I O A N N E S Dunsius, natione Scotus, ex Minorum familia, Alexandri Alen-
 sis Britanni quondam in gymnasio Lutetiæ auditor, uir admiranda eruditionis
 subtilitate præditus, ob profundissimam dicendi obscuritatem *Συοτινός*, id est Te-
 nebricosus, quod olim obscurissimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus, &

D ob nouam Scholasticæ theologiæ academiam de nomine suo dictam omnibus scho-
 lis notissimus, fertur scripsisse commentarios in euangelium, & in Apostolum;
 è quibus ipse fragmentum legi in epistolam ad Romanos ualde eruditum, ac sen-
 su profundum, sed iuxta auctoris nomen Tenebricosum obscurum, & uix in eius
 schola detritis peruium. cuius initium est, *Circa epistolam Pauli ad Romanos.*
 Claruit anno domini 1308.

I O A N N E S Echius, Sueuus, natione Germanus, sincerioris theologiæ do-
 ctor, & fidei catholicæ aduersus Lutheranz hæreseos impietatem propugnator
 acerrimus, scripsit in Aggæum breuem & eruditum commentarium: ediditq; in
 euangelia totius anni duos homiliarum tomos. Idem transtulit utrunque testa-
 mentum in germanicam linguam anno domini 1540.

I O A N N E S Ferus, natione Teutonicus, ordinis Minorum, summæ apud Mo-
 guntiam ædis concionator, uir in diuinis literis nobiliter doctus, eloquentia
 singulari præditus, cui parem in officio euangelicæ prædicationis catholicæ Ger-
 manorum ecclesiæ hac nostra tempestate non habent, scripsit latino & culto ser-
 G g g mone

mone pias & eruditas iuxta catholicam doctrinam lucubrationes; in quibus tam A
ueterum, quam recentium expositorum labores ueluti in compendium redegit,
ex his, quæ nunc habentur, & ab omnibus ferè concionatoribus studiosè le-
guntur, sunt

IN Genesim commentaria; quorum initium est, *Facies Moysi cum ubique.*

IN Esdras quadragesimales sermones.

IN psalmum 31. De penitentia ferm. 10.

IN psalmum 66. ferm. 10.

IN Ecclesiasten iuxta literam annotationum lib. 1.

IN Matthæum, pro concione explicatum, commentariorum lib. 4.

IN Ioan. euangelium, in concionibus ad populum enarratum, comment. lib. 1.

IN Lucæ caput 15. De filio prodigo sermones aliquot.

IN epistol. ad Romanos Exegetis.

IN primam Ioannis epistolam annotationum lib. 1. B.

IN euangelia festiua totius anni sermonum tomi duo.

Claruit sub Carolo V. anno domini 1536.

DOMINICVS Sotho, Segobiensis, ordinis Prædicatorum, Annotationes edidit
in commentaria autoris huius super Ioannem, ostendens loca septem ac sexagin-
ta cautè in his esse legenda. cui Michael Medina, Franciscanus, summa probita-
te atque eruditione laudandus, edito pro defensione eorundem locorum apolo-
getico uolumine, respondit.

IOANNES Fiscerus, Rossensis ecclesiæ in Anglia episcopus, eruditionis
opia, pietatis sinceritate; & animi constantia cuique ex sanctissimis & acer-
rimis ecclesiæ propugnatoribus meritò comparandus, cum prophanas nuptias
Henrici octavi Anglorum regis, qui, repudiata priore uxore, alteram duxerat,
summa animi ac uerborum constantia reprehenderet, ueluti alter Ioannes prouo-
cauit in se iram atque sæuitiam noui Herodis: a quo in carcerem detrusus, & uari-
is, crebrisque tormentis grauiter afflictus, tandem cum insignia cardinalitæ di-
gnitatis sibi à Romano pontifice in testimonium approbatæ fidei, & constantiæ
suar transmissa in uinculis recepisset; sequenti die prius, quam ea induere posset,
una cum plerisque aliis innocentibus monachis pro fide & ueritate triumphalem
martyrij coronam à crudelissimo tyranno suscepit. is igitur inter multos ac præclaros
ingenij sui fœtus, quos aduersus hæreticos emisit in lucem, reliquit etiam pro usu
piorum sanctissimam & piissimam expositionem in septem psalmos, eruditissimo
episcopo & martyre constantissimo dignam. scripsit etiam in septimum Lucæ ca-
pitulum De unica Magdalena aduersus Iacobum Fabrum, Viennensem episcopum,
asserentem plures fuisse Magdalenas, libros tres; quorum initium est, *Libellum
quendam autore Iacobo Fabro.* Claruit sub Carolo V. Aug. anno domini 1536.

IOANNES Franciscus Picus, Ioannis Pici nepos, Mirandulæ Comes, scri-
psit breuem & moralem psalmi decimi quinti enarrationem: cuius initium est, D
Si quis perfectus. item in Matthæi caput 6. expositionem dominicæ orationis.
Claruit anno domini 1500.

IOANNES Franciscus Quintianus, Brixienfis, uenustissimus poeta, tra-
gœdiam ex quatuor euangeliis grauissimam de passione domini in morem So-
phoclis & Euripidis latinè scripsit anno domini 1520.

IOANNES de Francforte, Germanus, ordinis Prædicatorum, concinnauit in
Iob scholasticam explanationem; cuius meminit Vincentius Bandellus in libro
de Christi conceptione. habetur Lugduni in bibliotheca Prædicatorum cum hoc
initio, *O uos omnes, qui transitis per uiam.*

IOANNES Valois, aliàs Galensis, natione Anglicus, ordinis Minorum, in
diuinis scripturis eruditissimus, qui in gymnasio Parisiensi multo tempore
theologiam gloriosè docuit, inter multa præclara opuscula scripsit in Apocalypsim
Ioannis librum unum. Claruit anno domini 1270.

Ioannes

A IOANNES Gagnæus, Parisiensis, theologus Christianissimus Francorum re-
gis Francisci ecclesiastes, ac primus eleemosynarius, uir in sæcularibus literis do-
ctus, & in diuinis scripturis, ac præsertim in declamandis homiliis absolutissimus,
collegit breui compendio clarissima & facillima in totum nouum testamentum
scholia, ex diuersis, utriusque linguæ codicibus, & ex præcipuis tam græcorum,
quam latinorum sententiis selecta. quorum catalogus hic est:

IN sancta quatuor euangelia lib. 1. qui incipit, *Εὐαγγέλιον græca uox.*

IN actus Apostolorum lib. 1.

IN omnes epistolas Pauli lib. 1. cuius initium est, *Qui præfantur.*

IN septem Canonicas lib. 1. incipiens, *Huius autor epistola.*

IN Apocalypsim lib. 1. incipiens, *Visum erat Christiane lector.*

ITEM quoque redegit omnes Dauidicos psalmos in Lyricos diuersorum gen-
rum, uariarumque odarum uersus, Pindarum & Horatium carminis uenustate æmu-
latus, adiectis ad singulas odas psalmi argumento breui prosa explicato, descriptisq;
à latere paginæ ipsi psalmorum uerbis iuxta ecclesiasticæ uersionis ueritatem; quam
in contextu odarum ubique sequitur, & unâ cum hebraica ueritate floridis para-
phrasibus exponit. Opus incipit, *Qui studiosam atque exactam.* Claruit anno
domini 1550.

IOANNES Gauuer, Germanus, ordinis Carmelitarum, lector cœnobij Mo-
guntini theologus, & declamator insignis anno domini 1440. scripsit secun-
dum scholasticorum consuetudinem explanationis in Exodum librum unum: cu-
ius initium est, *Lex pro communi utilitate.* item De concordia euangelistarum
lib. 1. qui incipit, *Quia misit Deus.*

C IOANNES Gerlon, natione Gallus, florentissimæ Parisiorum Academia
cancellarius, theologiæ scholasticæ peritissimus, poeta & orator suo tempo-
re insignis, Caroli Francorum regis in concilio Constantiensi legatus, multa no-
bilia uolumina in diuinas literas stylo quidem scholastico, sed non prorsus inio-
cundo conscripsit: in quibus ita scholasticas subtilitates dulcibus mysticæ theolo-
giæ affectibus miscuit, temperauitque, ut addubitandum sit, an eruditione pieta-
tem, uel pietate eruditionem superauerit. Ex horum numero extant

DE sensu literali diuinæ scripturæ lib. 1.

IN 7. psalmos penitentiarum commentaria, quæ Petri Aliaci, præceptoris sui, ef-
se creduntur.

MONOTESSARON euangeliorum, hoc est Vnum ex quatuor.

IN Canticum Mariæ uirginis lib. 12. dialogo editi.

IN principium Marci lib. 1.

IN uarios euangeliorum locos sermonum lib. 1.

D IN Cant. Cantorum commentarij in extrema senectute sub finem uitæ editi:
in quibus de quinquaginta proprietatibus diuini amoris, toto passim Cantorum
libro dispersis, tanta diligentia disseruit, ut huic uni omnes diuini amoris affectus
innumerato fuisse uideantur. Quo expleto opere, triduo post, cum in lectulo de-
cumbens uerba illa postremâ huius Cantici, *Fortis est ut mors dilectio tua,* ite-
rum atque iterum magna uultus & animi constantia repeteret, animam Deo red-
didit anno 66. ætatis suæ, nostræ uerò salutis anno 1419.

IOANNES Haiton, Anglus, scripsit annotationes in quatuor euangelia, cum
esset Lyncolniæ, anno 1428.

IOANNES Hagen de Indagine, Germanus, Cartusienfis, diuinarum & huma-
narum rerum cognitione præstans, inter plurimos scholasticos commentarios,
quos edidit in diuinæ scripturæ libros, composuit

IN quatuor libros Regum iuxta quadruplicem sensum lib. 4.

IN uisionem Danielis cap. 7. lib. 1.

ITEM in dictum illud, Rogamus, ut integer spiritus, caro & anima seruetur, 1 Thess. 5.
De spiritu, anima & carne librum unum.

CLARUIT anno domini 1460. Referuntur in Catalogo librorum nuper à Pau-
Ggg 2 lo Pont.

Io Pont. IIII. damnatorum, opera Ioan. de Indagine, non quidem huius, sed alterius, qui de chiromantia scripsit.

IOANNES Halgrinus, ab Abbatis uilla, decanus Ambianensis, & cardinalis Sabinensis, professione, stylo, & methodo scholasticus, nouo explanationis genere, quod Sextum appellatur, Canticum Canticorum illustrauit. siquidem ante ipsum quinque tantum expositionum modi in hunc librum prodierant. Primus eorum, qui totum Canticum secundum occidentem literam de amoribus Salomonis, & filia Pharaonis, sive Abisag Sunamitidis interpretantur. Secundus eorum, qui id ipsum, ceu colloquium inter Salomonem & rempublicam Iudæorum exponunt. Tertius eorum, qui alludentes ad librum Martiani Capellæ, DE NUPTIIS PHILOGIÆ ET MERCURII inscriptum, hoc ipsum Canticum esse dicunt Epithalamion Sapientis & Sapientiæ inuicem colloquentium. Quartus eorum, qui librum hunc affirmant esse Epithalamium Christi & ecclesiæ. Quintus eorum, qui eundem exponunt de amore animæ ad Deum, & amore Dei ad animam. His igitur quinque expositionibus Ioannes sextam superaddidit, Mariæ matris Christi, & Christi filij eius mutua colloquia enarrantem. cuius enarrationis argumentum ipse in præfatione commentariorum suorum his uerbis breuiter complexus est:

CONTINET hoc canticum matris & filij, beatæ scilicet uirginis & domini Iesu Christi, applausum iocundum & mutuum. hinc enim applaudit mater filio: hinc filius iocundatur in matre: hinc matris priuilegia describit filius: hinc excellentiam filij describit mater. loquuntur autem in hoc cantico quatuor personæ, uidelicet Mater, & Filius, & Angeli, qui filio assistunt, ut domino, & Adulescentulæ uirginis, quæ, tanquam suæ, dominæ assistunt uirgini, sicut sequens scripturæ series declarabit. Opus incipit, *Ad honorem matris & filij Cantica Canticorum expositorum*. Ascensus Parisijs excusit anno 1521. Claruit hic autor anno domini 1450.

IOANNES Hentennius, natione Germanus, patria Mecliniensis, monachus ordinis diui Hieronymi, scripsit breuissimum in Apocalypsim commentariolum, cui titulum fecit *IUDICIUM DE APOCALYPSI ET ANTICHRISTO*; in quo Bestiam illam, tertio decimo Apocalypsis capite descriptam, astruit esse Mahumetem, falsum Turcarum prophetam. cuius initium est, *Ante hos in Apocalypsim commentarios*. Claruit anno domini 1540.

IOANNES Hoffmeisterus, patria Sueuus, instituti diui Augustini, eiusdemq; ordinis in Sueuia prouincialis benemeritus, scripsit

In Tobiam breues & excultas exegetes.

In Matthæum

In Marcum

In Lucam

In duas Pauli epist. ad Corint.

In epist. ad Philipp.

In Euang. dominicalia homiliarum

Claruit anno domini 1546.

IOANNES Hudalrici, Basileensis, ordinis Prædicatorum, adolescens, ingenij diuini potius, quam humani, quem ipsam eruditionem ac fidei sinceritatem dixeris, tantam adhuc iuuenis græcæ phrasos nactus est notitiam, quantam uix unus, aut alter eius ætatis; scripsit ergo in epistolam Pauli ad Hebræos græco & eleganti sermone laudatissima commentaria. Obijt Colonia anno salutis 1536. adhuc adolescens.

IOANNES Iustus Lanspergius, Bauarus, Cartusianus, scripsit in omnes epistolas & euangelia totius anni enarrationes & sermones, ueterem illum atque germanum orthodoxorum patrum sensum pietatemq; referens. opus incipit, *Scientes quia & c. Quanquam nulli non tempori*. Claruit anno domini 1540.

IOANNES de Idinio, ordinis fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, theologus non ignobilis, de scripturis diuinis benemeritus, & in Parisiensi academia publicus lector, elaborauit scholastica phrasi explanationis in Iob librum unum;

A unum; cuius initium est, *Vsque in tempus sustinebit*. Item in Marcum librum unum, cuius initium est, *Similis factus est Leoni*. In omnes epistolas Pauli ad Philippum, Rothomagi episcopi, lib. 14. Claruit anno domini 1390.

IOANNES Kininghan, Anglus, lectionem fecit in Threnos. anno domini nostri Iesu Christi 1399.

IOANNES Lodouicus Viues, Valentinus, natione Hispanus, inter multas nobilissimas lucubrations, doctè prorsus & acuratè conscriptas, in quibus summam eloquentiam cum absolutissima eruditione & christianissima pietate coniunxit, scripsit ad Guillelmum Crouim, archiepiscopum Toletanum, in septem psalmos pœnitentiæ disertissimas meditationes; in quibus modò ipse, modò psalmista, modò peccator, modò alius quispiam dulcibus affectibus uel ad Deum, uel ad se ipsum, uel ad alios piissimè loquuntur. Harum initium est, *Paucos admodum esse arbitror*. Floruit anno 1518.

IOANNES Maitrosius, Scotus, scripsit commentariorum in Matthæum libros tres anno domini 792.

IOANNES Maioris, Anglicus, scripsit in quatuor euangelia scholasticam Postillam anno domini 1400.

IOANNES Montholonius, Eduensis, iuris utriusque peritissimus, confarcinavit uolumen ingens, cui titulum fecit *DIVINI ET VTRIVSQUE HUMANÆ IURIS PROMPTVARIUM*: in quo per ordinem alphabeti collegit omnes sententias ac locos, qui in sacris literis, & in utroque iure cæsareo & pontificio concordant, adiectis multis non contemnendis annotationibus, obscuritatem eorundem locorum aperientibus. Claruit anno domini 1520.

IOANNES Maria Verattus, Ferrariensis, Carmelita, theologus piè sancteque doctus, & declamator Italica lingua nobilis, edidit ad Hippolytum Estensem cardinalem amplissimum in quinque capita Matthæi, hoc est in quintum, sextum, septimum, octauum, nonum & decimum enarrationes locupletissimas, in quindecim libros digestas, quæ totam euangelicam legem pulcherrimè complectuntur, disputationibusque aduersus falsa Lutheri dogmata refertæ sunt. Opus incipit, *Videns Iesus turbas & c. Hic sermo domini diuiditur*. Scripsit etiam in euangelia festiua totius anni homiliarum tomos 2. Claruit anno domini 1540.

IOANNES Meclinius, natione Germanus, in studio sæcularis philosophiæ longa exercitatione consummatus, & in diuinis eloquiis egregiè instructus, quem Coloniae academia theologiam multis annis publicè docentem habuit, inter cætera opera sua scripsit secundum scholæ methodum expositionis in psalmos librum unum. Claruit sub Federico Imp. III. anno 1460.

IOANNES Milbachius, Germanus, scholastica eruditione tam sacris, quam prophanis literis clarus, & in Erphordiensis academia publicus theologiæ professor, emisit commentariorum in Paulum scholastico ritu libros tredecim anno domini 1494.

IOANNES, monachus Benedictinus, theologus, philosophus & rhetor, Germania oriundus, Castellensis cœnobij in Eistenis diœcesi professor, condidit utilissimum totius scripturæ compendium, cui *BREVIARIUM BIBLIÆ* titulum fecit; item in euangelia & epistolas totius anni sermonum libros tres. Claruit anno domini 1390.

IOANNES Neouilleus, Genuillanus, scripsit ad Carolum Lotaringium cardinalem commentaria in septem psalmos pœnitentiæ, incipientia, *Opifex hominum & c.* anno domini 1550.

IOANNES Nider, ordinis Prædicatorum, natione Theutonicus, in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & in theologia scholastica sufficienter doctus, & in declamandis sermonibus populo gratissimus, scripsit rudi, sed aperto sermone in uigesimum caput Exodi de decem præceptis decalogi eruditum & grande uolumen, cuius initium est, *Decalogi legem sacratissimam*. item in decimum tertium caput Leuit. de lepra morali lib. 1. item in euangelia totius anni sermo-

num tomos duos. Claruit sub Sigismundo Imper. anno domini nostri Iesu Christi 1430. **A**

IOANNES à Pastura, monasterij Gemblacensis Prior, edidit in Psalterium Paraphrasin, ex doctoribus eccl. collectam, anno domini 1510.

IOANNES Phefer, Vitembergensis, Friburgensis gymnasij primus illustrator, edidit opus insigne scholasticum, libris quatuordecim distinctum, super epistolas Pauli, quod publicè lectum prænotavit DIRECTORIVM SACERDOTALE: cuius initium est, *Circa lecturam epistolarum*. Claruit anno domini 1490.

IOANNES Picus, Mirandulæ & Concordiæ in Italia princeps, propter generis nobilitatem, & raram singularemque formosissimi corporis & animi pulcherrimi uenustatem, PHOENIX cognominatus, uir ingenij penè prodigiosi, & in omni artium, scientiarum & linguarum uarietate usque ad miraculum exculti, scripsit admodum iuuenis, & uix tertium ac uigesimalium annum attingens ad Laurentium Medicum in primum Geneseos caput breuem, sed admirandæ audaciæ, & supra **B**

adolescenciæ uires latinum commentarium, HEPTAPLI titulo prænotatum, cuius initium est, *Mouit me amulatio studiorum tuorum &c.* in quo, prætermisiss omnibus, quæ latini, græci, hebræi & chaldæi Geneseos enarratores prius attulerant, ausus est non solum promittere, sed & in medium proferre septem nouas expositiones, à nullo unquam antea tentatas, sed à se ipso primùm excogitatas, inuentas, atque perfectas. quarum prima est de mundo elementari & corruptibili: in qua singula uerba primi capituli, continuata expositionis serie, trahit ad explicandam creationem mundi huius sublunaris. Secunda est de mundo cœlesti: in qua consimili artificio omnem Mosaicam narrationem applicat ad creationem spherarum cœlestium. Tertia est de mundo inuisibili & angelico: in qua omnia, quæ Moyses scribit de opificio sex dierum, ad primam Angelorum conditionem detorquet. Quarta de mundo humano est: quæ totum capitulum de hominis natura interpretatur.

Quinta est de quadruplicis mundi distinctione, ostendens, quibus inter se operationibus, proprietatibus ac discriminibus quatuor iam commemorati mundi distinguantur. Sexta est de mundorum inter se cognatione, demonstrans, quomodo inter se quatuor hi mundi conueniant. Septima est de mundi Sabbato, & quiete omnium creaturarum in ultima & æterna felicitate. His septem expositionibus additur ueluti pro coronide specimen quoddam octauæ explanationis Kabalisticæ, hoc est ex Kabala Iudæorum desumpta: quæ non solum ex singulis sententiis ac dictionibus multos sensus elicit, sed ex singulis hebraicis literis uniuscuiusque syllabæ mysteria penè infinita deducit.

C CAETERVM de hoc opere uaria sunt doctorum hominum iudicia. quidam ut eruditum & sublime admirantur; quidam contemnunt, ut iuuenilis audaciæ ostentamentum, extrinsecus tumidum, intus uerò prorsus inane. Memini me proximis annis, cum Romæ essem, familiariter interrogasse præstantissimum uirum Aloysium Lippomanum, Veronensem episcopum, cur inter tot nobiles autores, à se cætenæ suæ insertos, Ioannis Pici egregij uiri nullam fecisset mentionem. tum ille ad me conuersus summa cum uultus ac uerborum asseueratione inquit: Cum cætenam explanationem in Genesim contexerem, eos elegi scriptores, qui mihi uiderentur Moysis uerba & cogitationes expositionibus suis explicare. proinde, cum animaduertissem Picum in hoc uno tantum incumbere, ut Platonicas cogitationes, uel suas potius phantasias uerbis ac dictis Mosaicis exprimeret, nihil me eius opera indigere existimaui. Aggressus est nobilissimus hic iuuenis præter hanc Heptaplum, quam nuper Antonius Bonagratia, canonicus Pisciensis, in linguam Hebræicam conuertit, etiam in Dauidicos hymnos iuxta LXX. editionem commentarios, & cum his alios quoque in sacras literas labores, multo plures adhuc editurus, nisi eum immatura mors, trigesimalium ætatis annum agentem, extinxisset, annò ab orbe redempto 1494. Scripsit uitam eius luculenti oratione Ioannes Franciscus Picus, nepos, uitæ uirtutis hæres. Antonius uerò Tibaldeus, poeta non ignobilis, hoc elogium amici sepulcro inscripsit:

Ioannes

A *Ioannes iacet hic Mirandula. cætera norunt
Et Tagus, & Ganges, forsitan & Antipodes.*

IOANNES Poccanus, præpositus ecclesiæ S. Georgij Coloniensis, Psalterium edidit Chaldaica lingua, sed characteribus Aethiopicis excusum: quo nunc utuntur monachi Aethiopes, qui se Indos appellant; ipsumque in templo, quod Romæ habent, publicè decantant.

IOANNIS de Pratis, Galli, Dictionarium in sacra Biblia uidi in bibliotheca Prædicatorum Lugdunensi manu descriptum: cui tale est initium,

Difficiles studeo partes, quas Biblia gestat, Pandere &c.

IOANNES Quinquarboreus, Arelatensis, latinitate donauit Thargum Kinoth, hoc est Paraphrasim Chaldaicam in Threnos, addita communi latina translatione, ut facilius appareat, quid commodi, quid ue utilitatis afferat ea translatio, adiectis etiam in singula paraphraseos capita annotationibus non pœnitendis.

B Opus incipit, *Sanctissime scripserunt*. Claruit anno domini 1549.

IOANNES de Regno, Gallus, ordinem Carmelitarum in cœnobio Tholosano professus, theologiæ ac sermonis genere Scholasticus, scripsit in euangelium Matthæi librum unum anno domini 1348.

IOANNES Roiardus, Antuerpiensis, ordinis Minorum, scripsit homilias iuxta literam in omnia euangelia tam ferialia, quàm festiua quadragesimalia aduentus ac totius anni medio inter ueteres & scholasticos stylo. Claruit anno domini 1540.

IOANNES Rusbrochius, Cartusianus, summus, atque sanctissimus uir, quem alterum Dionysium Areopagitam uocant, scripsit in Tabernaculum Moysis, & ad id pertinentia commentaria: ubi multa Exodi, Leuitici, Numerorumque mysteria diuino spiritu dilucidè, ac neutiquam uulgariter explicantur. Eorum initium est, *Sic currite, ut comprehendatis*.

C **I**OANNES de Sancta fide, Anglus, primam Ioannis epistolam exposuit anno domini 1359.

IOANNES Scotus, monachus S. Benedicti, Bedæ auditor, Albini lenitæ & abbatis collega, Carolo Magno in primis charus, & continua diuinarum literarum exercitatione eruditus, edidit nitido & aperto sermone commentariorum in euangelium Matthæi libros tres. Claruit anno domini 800.

IOANNES Soarezus, episcopus Conimbricensis, & Arganisi in Hispania Comes, edidit commentarios in Matthæum, multis utilissimis tractatibus distinctos. quorum initium est, *Beatus Apostolus, & euangelista*. Floruit in concilio Tridentino celebris anno domini 1560.

IOANNES Tacesphalus, Anglicus, Carmelita, scripturarum sanctarum eruditione & concionandi exercitio celebris, reliquit in Apocalypsin Ioannis scholasticorum commentariorum libros duos.

D **I**OANNES Taulerius, Dominicanus, Germanus, cuius extant sermones admirabili spiritu editi, scripsit De passione domini ex quatuor euangelis librum unum deuotissimum; item sermonum in uarios euangeliorum locos librum unum scholasticarum meditationum.

IOANNES ex Turre cremata, ordinis Prædicatorum, cardinalis titulo S. Xysti, uir in diuinis scripturis exercitatus, & iuris pontificij interpres consultissimus, inter alia splendida ingenij sui opera edidit in omnes Dauidicos psalmos ad Pium II. Pont. Max. breuissimam, locupletissimam, lucidissimamque paraphrasim, simplici & aperto sermone dictatam: cuius initium est, *Beatissimo patri, & clementissimo*. Composuit etiam in euangelia festiua totius anni scholasticam Possillam; item in eadem euangelia scholasticarum quæst. librum unum. Claruit anno domini 1460.

IOANNES Verdiacus, ord. Prædicatorum, scholasticis commentariis librum Canticorum explanauit. Meminit huius operis Vincentius Bandellus in libro suo De conceptione beatæ uirginis.

Ioannes

IOANNES Viguerius, Granatensis, Hispanus, ex ordine Prædicatorum, professione scholasticus, scripsit in epistolam ad Romanos commentarios anno domini 1550.

IOANNES Voretan, Londinensis, Carmelita, scripsit Postillam in Cantica Salomonis anno 1406.

IOANNES Tritemius, abbas Spanehimensis, autor Catalogi illustrium uirorum, scripsit de græcis quæstionibus in Ioannis euangelium, & in uarios diuinæ scripturæ locos homilias. Claruit anno domini 1490.

IOANNES Zacharias, Erfordiæ in Germania natus, sæcularis philosophiæ interpres egregius, in diuinis uoluminibus assidua lectione exercitatus, & in concilio Constantiensi aduersus Hussitas & Viclefitas hæreticos catholice fidei propugnator insignis, multa præclara opuscula edidit: de quibus feruntur in Pentateuchum libri quinque, & in omnes Pauli epistolas lib. 14. Scholasticè conscripti. Claruit tempore Sigismundi Imp. anno domini 1430.

IORDANVS Theutonicus, ord. Erem. sancti Augustini, scripturarum diuinarum explanator egregius, & in declamandis sermonibus excellentis ingenij, scripsit humili & aperto stylo anno domini 1410. in Apocalypsim non contemnendos commentarios.

IOSEPHVS, Mathathiæ sacerdotis filius, (quem Hieronymus Græcum Liuium appellat, recentiores uerò Iudæi Ioseph Bengarion uocant) natione Hebræus, patria Hierosolymitanus, genere sacerdos, in excidio Hierosolymæ captus, Romam à Tito Imper. ductus est; ibiq; propter ingenij excellentiam à senatu, & populo Romano promeruit, ut, eo uiuente, libri eius publicæ bibliothecæ traderentur, ipsi uerò post mortem aenea statua poneretur. amicus fuit Christianorum, quanquam Iudæus esset: & dominum nostrum Iesum Christum in 18. Antiquitatum libro insigni elogio celebravit: qua de causa D. Hieronymus eum in catalogo ecclesiasticorum scriptorum digna cum laude recenset. Is ergo, cum animaduertisset solos quinque libros Moyse apud græcos extare, opera Ptolemæi regis Aegypti à Lxx. interpretibus translato; decreuit, incensus Epaphroditum uiri doctissimi adhortationibus, uniuersum ueteris testamenti historiam græcis auribus tradere. quod & effecit, conscriptis primùm hebræica lingua, deinde etiã græca Περὶ τῆς Αρχαιολογίας, hoc est De antiquitatibus, libris uiginti: in quibus, seruatim simul & sanctarum scripturarum ueritate, & historiæ legibus, quandam ueluti paraphrasim in omnes ferme ueteris instrumenti libros aptauit; pollicitus etiam, si Deus sibi uitam prorogaret, explicaturum se altero uolumine historiæ sacræ causas, rationesq; omnes tam naturales, quam allegoricas. Hos libros Rufinus Presbyter, Aquileiensis, latinos fecit, editionem suam in hunc modum exorsus, *Historiam conscribere, &c.*

SCRIPSIIT item ad eundem Epaphroditum libros duos aduersus Apionem Grammaticum, & Molonem, multosq; alios; qui sacras Hebræorum historias calumniabantur, ceu rem nuper natam, fabulosam, & mendacem, eo quòd apud græcos nobiles historicos nulla de his mentio inueniretur. quibus occurrens Iosephus, tanta protulit ex Phœnicum, Chaldæorum, Aegyptiorum, & Græcorum scriptis testimonia, sacris historiis conformia, ut uehementer admiratus sit D. Hieronymus, quomodo uir hebræus, ab infantia sacris literis eruditus, tantas externorum autorum bibliothecas potuerit euoluere. Opus incipit, *Sufficienter, ut arbitror.*

SCRIPSIIT etiam De septuaginta hebdomadibus Danielis librum unum, cuius recordatur Hieronymus in præfatione libri xi. in Esaiam.

COMPOSUIT quoque librum ualde elegantem Περὶ βυτοκρατορίας λογισμῶν εἰς τὴν Μακκαβαίου, hoc est De imperatrice ratione; in quo describens agonem septem unius matris filiorum cum ipsa matre passorum, ostendit Maccabæorum exemplo, quòd animus sit, qui imperium teneat in nobis. De hoc opere Eusebius libræ tertio historiæ eccles. cap. 10. sic ait: Est & aliud Iosephi elegans uolumen in scriptum, *Ἐν αὐτῷ διαποτός εἰς τῶν πατέρων ὁ ἀσκήσις λογισμῶν, hoc est, Quòd præcæcipuum passionum do-*

mina

Amina sit. quem libellum quidam Maccabæorum attulerunt pro eo, quòd certamina inibi & agones pro pietate Maccabæis desudata continentur. Opus incipit, *Φιλοσοφώτατον λόγος.*

CLARUIT sub Vespasiano & Tito Aug. peruenitq; usque ad Traianum Aug. hoc est ad annum domini 100.

IOSEPHVS, natione Iudæus, patria Tyberinensis, dignitate Comes, & ingenti miraculo ad fidem pertractus, cum nondum Christianus esset, usque adeo Christianos dilexit & coluit, ut B. Eusebium, Fregellarum in Italia episcopum, à Constantio Imp. Arriano ob fidem orthodoxam fugatum, hospitio receperit, & Epiphaniū episcopum unã cum plerisque sanctis fratribus illuc profectum, ad uisitationem eius honorificè introduxerit; post conuersionem uerò multas Christianorum ecclesias in urbibus Iudæorum Tyberiade, Diocæsarea, Nazareth, & Capernaum extruxit. hic itaque, ut Epiphanius testatur, primus emisit in lucem euangelium Matthæi hebraicum, ipsa Matthæi manu hebraicè conscriptum, quòd in occulto gazophylacio Iudæorum apud Scythopolim unã cum euangelio Ioannis, & actibus Apostolorum de græca lingua in hebræam translatis adinuenit. Claruit sub Constantio Principe, moriturq; nonagenarius anno domini 370.

IOVITA Rapicius, Brixienis, scripsit ad Reginaldum Polum Paraphrasim in psalmos duos & uiginti, uario carminum genere concinnatam: cuius initium est, *Non qui Mæonia caput.* Floruit anno domini 1550.

IRENÆVS Lugdunensis, in Gallia post beati Photini martyris triumphum episcopus, Polycarpi martyris quondam auditor, uir summa eruditione & pietate præditus, sub Papa Eleutherio legatus Romam missus, non minus sanctitate, quam doctrina clarissimus comprobatus est. scripsit hic græco eloquio multa egregia uolumina, præsertim uerò, ut Eusebij Chronica testantur, in Apocalypsim commentarios: de quibus Hieronymus in præfatione 18. libri cõmentariorum in Esaiam sic loquitur: APOCALYPSIN Ioannis si iuxta literam accipimus, iudaizandum est; si autem spiritaliter, ut scripta est, accipimus; multorum uidebimur opinionibus contraire, præcipuè Irenæi Lugdunensis episcopi: aduersus quem uir eloquentissimus Dionysius, Alexandrinæ ecclesiæ pontifex, elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, ocium Sabbati, circumcissionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium seruitutem, rursusq; bella, exercitus, ac triumphos, & superatorum neces, mortemq; centenarij peccatoris. cui duobus uoluminibus respondit Apollinarij: quem non solum suæ sectæ homines, sed & nostrorum, in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo. Moritur hic beatus pontifex, sæuente persecutione, cum omni fere ciuitatis suæ populo pro fide catholica martyrio coronatus sub Marco Antonino anno domini 175.

ISAAAC, professione monachus, græcæ literaturæ peritissimus, græcè scripsit in illud, Hoc mando uobis, ut diligatis &c. homiliam unam.

ISIDORVS Senior, Cordubensis episcopus, sæcularium literarum non ignarus, diuinarum uerò peritissimus, sanctitate quoque uitæ sub Theodosio & Honorio celebris, scripsit ad S. Orosium presbyterum Hispanum in omnes libros Regum libros quatuor. Augustinus serm. 35. De sanctis citat expositionem Isidori huius in Lucam. Claruit sub Honorio anno domini 420.

ISIDORVS Clarius, Brixianus, ex monacho Cassinate episcopus Fulginatensis, in totum Bibliorum corpus, à se iterum translato, scholia collegit: quæ cum primùm Christianis interdicta essent; demum, præcis prologo & prolegomenis, restituta sunt autoritate sacrosanctæ Tridentinæ synodi. Scripsit etiam in sermonem domini, in monte habitum, ex quinto, sexto & septimo Matthæi capit. orationes ad populum 69. quarum initium est, *Pulchrum quidem esset.* item in uarios Lucæ Euangelistæ locos orationes ad populum 54. uerborum elegantia, & sententiarum grauitate refertas: quarum prima incipit, *Quod primum tempore uobis.*

H h h Floruit

et cetera

Floruit anno domini 1540.

ISIDORVS, Hispalensis episcopus, ad differentiam Isidori senioris Cordubensis episcopi Isidorus Iunior appellatus, & ut quidam putant, diui Gregorij discipulus, uir eximie sanctitatis & eruditionis, diuinarum scripturarum peritissimus, & in legendis, colligendis, coaptandisque dictis, ac sententiis, & rapsodiis ueterum patrum ex innumeris & immensis eorum uoluminibus desiderium habens inexplebile, & uires omnino inexhaustas, congregauit ex aliorum laboribus innumerabilia penè omnium artium ac scientiarum præclara uolumina: de quibus in expositionem totius sanctæ scripturæ breue duntaxat, ac exiguum allegoriarum in Ostateuchum legi compendiolum, ex Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, Fulgentio, & sui potissimum temporis Gregorio collectum: in cuius exordio indicat se iampridem in eisdem diuinæ scripturæ libros explanationes ad literam exarasse. Hunc libellum incipientem, *Historias sacre legis*, Tritemius, ad amplificandam lucubrationum Isidori copiam, in duodecim libros dissectuit, addens eum scripsisse in cætera utriusque testamenti uolumina libros 62. quorum tamen nec initia annotauit, nec à se conspecta ostendit. Floruit sub Heraclona Imperatore Heraclij filio temporibus Sisebuti, regis Gothorum, in Hispania anno domini 630. cui ob sanctitatem uitæ die xvi. Ianuarij annui statuti sunt honores.

ISIDORVS Pelusiota, monachorum Pelusiaci montis in Aegypto abbas, D. Ioan. Chrysostomi discipulus, angelicam in carne degens uitam, multa scripsit uariæ utilitatis plena, potissimum autem epistolarum omnis generis diuina simul & humana gratia refertarum prope chiliades decem, siue decem millia: in quibus omnes diuinas utriusque testamenti scripturas exposuit, & omnes omnium hominum mores instituit, usus in eis dicendi generè maximè ad docendum accommodato. Vidimus in bibliotheca Marciana Venetijs uolumen manu scriptum, complectens huius sancti uiri 1148. epistolas: quarum prima sic incipit, *Επιστολη προς τον κληρικον*. Claruit sub Theodosio Iuniore anno domini 440. Niceph. lib. 14. cap. 53.

ISIDORVS, Thessalonicensis episcopus, uir pius & doctus, scripsit græcas homilias in Lucam, quæ in bibliotheca Vaticana habentur.

ISOTA Nogarola, Veronensis, literarum studiis ac perpetuæ uirginitati addicta, dialogum confecit, in quo super tertio Geneseos capite latino sermone disseruit, Qui prius, ac magis Adam ne, an Eua peccarit. Claruit sub Nicolao V. & Pio II. ad quos etiam orationes permultas conscripsit.

ITALA utriusque testamenti Translatio, incertum habens autorem, fuit olim ante D. Hieronymi uersionem in ecclesia celebris: hanc Augustinus in 2. De doctrina Christi. cæteris prætulit, utpote uerbis tenaciorem, & sententiæ perspicuitate clariorem. quibus de causis ipsam latinam ecclesia usque ad tempora D. Gregorij habuit in usu. quæ quantum à nostra uulgata editione in singulis differet, indicio est Augustini liber, *Speculi* titulo inscriptus; in quo innumera huius Translationis testimonia ex omnibus utriusque testamenti uoluminibus colliguntur.

IVDAS, natione Syrus, de septuaginta apud Daniele hebdomadibus plenissime disputauit, & ipsarum chronographiam per superiora tempora usque ad decimum Severi produxit annum. in qua erroris arguitur, quod aduentum Antichristi circa sua tempora futurum esse dixerit; sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum præsentem mundi minabatur occasum. Claruit anno domini 200.

IVDOCVS Clictoneus, Neoportuensis, Carnotensis ecclesiæ in Gallia canonicus, theologus, philosophus, orator, & in sacris eloquiis enarrandis egregius, collegit ex Chrysostomo & Augustino explanationis in euangelium Ioannis libros quatuor, eosque inseruit commentariis diui Cyrilli, ut ex duodecim libris, quos beatus ille pater ediderat in Ioannem, quatuor intermedios, iniuria temporum deperditos, suppleret, ac perficeret, hoc est quintum, sextum, septimum & octauum: in quibus

A in quibus ex euangelio Ioannis enarrat ab eo loco septimi capitis, Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis, Nonne hic est, quem querunt interficere, usque ad ea uerba duodecimi capitis, Si quis audierit uerba mea, & non custodierit. Opus incipit, *Dicebant ergo*. Scripsit item in euangelia festiua totius anni homiliarum tomos duos. Claruit anno domini 1513.

IVLIVS Africanus, cuius quinque De temporibus extant uolumina, sub Imp. Marco Aurelio Antonino, hoc est anno ab orbe redempto 220. scripsit græco sermone in aliquot diuinæ scripturæ locos uarias epistolas: è quibus celebratur apud ueteres scriptores elegans ad Aristidem philosophum epistola, qua super dissonantia, quæ uidetur esse in genealogia saluatoris apud Matthæum & Lucam, plenissime disputauit. cuius disputationis magna pars ab Eusebio in principio ecclesiastica historia recitatur, & ab Augustino in tertio libro aduersus Faustum citatur. Scripsit quoque ad Origenem breuem epistolam, & paucis multa continentem super Susannæ historia; quam ob multas coniecturas existimabat esse adulterinam, & à neoterico autore confictam. Cui Origenes pro defensione eiusdem historiae longam & eruditam rescripsit epistolam: cuius initium est, *Epistola tua, per quam intellexi, quæ de Susanna & c.* Africani uerò epistola sic incipit, *Sacram cum haberes disputationem*. Vtranque latinè uertit Ambrosius Mediolanensis, monachus Castinensis, sancti Benigni abbas, uir trium linguarum peritissimus; qui nuper Origenis & Cyrilli opera plurima nondum latinis cognita Romanis auribus donauit.

IVLIANVS, Celanensis in Campania episcopus, à Gennadio, Honorio, & Tritemio inter scriptores ecclesiasticos relatus, rhetor peritissimus, & sicut libellus ipsius ad Demetriadem uirginem, temere diuo Hieronymo inscriptus, ostendit, eloquentiæ Tullianæ non infelix imitator, prius, quam apertè profiteri cœpisset Pelagij hæresim, scripsit plausibili, sed insidioso stylo in Canticum Salomonis commentaria: de quibus Beda in præfatione suarum explanationum in Cantica sic loquitur: *SCRIPTVRVS*, iuuante gratia superna, in Cantica Cantorum, primò admonendum putauit lectorem, ut opuscula Iuliani Celanensis episcopi à Campania, quæ in eundem librum confecit, cautissime legat, ne per copiam eloquentiæ blandientis in cœnum incidat doctrinæ nocentis: sed, ut dici solet, ita carpat botrum, ut & spinas caueat, id est in dictis eius sanos sensus scrutetur, & eligat, ut non minus uitet insanos: uel potius illud faciat Maronis,

*Qui legitis flores, & huius nascentia fraga,
Frigidus, o pueri fugite hinc, later anguis in herba.*

hoc est, se ab eius super omnia lectione compescat, cum habeat eos, qui eundem librum & sanis sensibus, & simplicioribus uerbis exposuerunt. est enim homo ut rhetor peritissimus; ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus; ut apertius scripta eius, quibus contra itrenuissimum eiusdem gratiæ propugnatorem Augustinum insaniuit, ostendunt. Scribit Gennadius, hunc tempore publicæ famis omnia sua in elemosynas pauperibus erogasse, & per hunc modum magnam nobilium multitudinem, pietatis specie deceptam, in hæresim suam pertraxisse. Moritur sub Valentiniano Aug. Constantij Cæsaris, & Placidia fororis Honorij, & Archadij filio, anno domini 440.

IVNILIVS Afer, incertæ urbis in Africa episcopus, bonis artibus in sæculo eruditus, & in scripturis sanctis peritissimus, eloquio breuis, & sensu acutus, hortante Primasio Afro episcopo Vticensi, collegit ad utilitatem simplicium explanationes in Genesim: pro quibus typographorum fraus supposuit nobis exiguum commentarium, incipientem, *De principio libri Geneseos*. Atqui fragmenta ex Moralibus Gregorij, huius opusculo immixta, arguunt illud non esse Iunilij, qui Gregorij tempora præcessit annis ferme ducentis. Arbitror autorem operis esse Bedam, in cuius uetustissimis uoluminibus id inuenitur. Floruit sub Theodosio Iuniore Augusto anno domini 440.

IVSTVS, Vrgelitanæ ecclesiæ in Hispania episcopus, trium episcoporum, uidelicet Iustiniani, Nebridij & Elpidij, frater, in scripturis sanctis exercitatus
H h h 2 & doctus,

& doctus, hortatu Iusti diaconi scripsit ad eum in Canticum Canticorum iuxta editionem B. Hieronymi breuem quidem commentariolum, sed eruditum, elegantem, ac piū. Eius initium est, *Cupiens in domo Dei*. Claruit anno domini 540. sub Sergio Papa, cui etiam præfens opus suum dedicauit.

I V S T V S, genere & religione Iudæus, patria Tyberinensis, ex prouincia Galilææ, quem Hieronymus inter scriptores ecclesiasticos numerat, conatus est & ipse hebraicarum rerum ex diuinis scripturis historiam texere, & quosdam in sacros libros commentarios scribere: sed hunc Iosephus sub finem uigesimi libri Antiquitatum in quibusdam mendacij suspectum facit. Claruit sub Vespasiano Augusto anno domini 56.

I V S T I N V S, genere Samaritanus, Stoicæ sectæ philosophus, ut ipsemet in secunda Apologia pro Christianis ad Antoninum Imper. testatur, cuius fuit Flauiae Neapolis Palæstinæ, Prisci Bachij filius; Romæq; habuit *τὰς διατριβὰς*, & Crescentem Cynicum, uita & religione aduersarium. hic itaque inter multa ingenij sui immortalia monumenta reliquit in Apocalypsim Ioannis commentaria. creditur etiam esse autor cuiusdam libri, qui prænotatur *CENTVM ET QVADRAGINTA SEX QVÆSTIONVM*: quas Gentes ex uariis locis utriusque testamenti Christianis obieciabant. cuius initium sic habet, *Vnde principium est*. Hunc Ioachimus Perionius Benedictinus latinè uertit. sed, cum in eiusdem libri quæstionibus 82. 86. & 115. citentur Irænæus & Origenes, longè eo posteriores; alterius autoris oportet esse opus. Stylus non est ab similibus a quæstionibus Theodoretī in Octateuchum. Claruit sub Antonino Pio martyrio coronatus anno domini 150.

I V V E N C V S, nobilissimi generis Hispanus, presbyter, poeta sui æui celebratissimus, quatuor euangelia hexametris uersibus penè ad uerbum transferens, quatuor libros euangelicæ historiae composuit, primus omnium auctus euangelij maiestatem sub metri leges mittere, Constantino principe, & filiis eius imperantibus, anno domini 330. Opus sic incipit,

Immortale nihil mundi compage tenetur.

L



L A N F R A N C V S, Cantuariensis in Britannia episcopus, natione Italus, patria Papiensis, abbas quondam cœnobij Codoniensis, omnium sui temporis in omni literarum genere doctissimus, & in concilio, quod Romæ aduersus Berengarium diaconum ecclesiæ Andegauensis hæreticum à 113. episcopis sub Nicolao I. celebratum est, longè clarissimus, inter alia præstantis ingenij sui monumenta reliquit pios, atque eruditos in totum Psalterium & in omnes Pauli epistolas commentarios. Claruit sub Henrico Imp. III.

anno domini 1060.

L A V R E N T I V S Iustinianus, patria Venetus, ordinis Celestini, in clytæ Venetiarum urbis patriarcha, uitæ sanctitate, miraculorum gloria, & sinceræ eruditionis candore clarissimus, scripsit non ineleganti stylo in Ioannis caput 12. 13. & 14. De sermone domini in ultima cœna librum unum, dulcibus colloquiis suauissimum. Claruit anno domini 1410.

L A V R E N T I V S Villauincensius, Hispanus, apud Burgenses concionator, ordinis Eremitarum, collegit tabulas rerum memorabilium, quæ tractari possunt in singulis euangelicis & epistolaribus lectionibus festorum dierum, concionatoribus apprime utiles. harum præfatio incipit, *Officium postulat*. Floruit anno domini 1560.

L E A N D E R, Hispalensis ecclesiæ in Hispania episcopus, natione Afer, patria Carthaginensis, instituto monachus, uita sanctarum scripturarum eruditione illu-

A ne illustris, cui Gregorius primus Pont. Max. sua in Iob commentaria dedicauit, multa edidit amplectendæ lectionis uolumina, inter cetera uerò duplicem ordinem orationum, ac meditationum in totum Psalterium. Claruit sub Richardo piissimo Visigothorum rege; quem ab Arriana perfidia unâ cum uniuersa Visigothorum gente illi subdita ad fidem catholicam conuertit; cum ante ab eadem impietate reduxisset fratrem quoque ipsius Hermigildum, Leuigildi Gothorum regis filium; quem crudelissimus pater, Arrianae impietatis defensor, in uigilia paschæ pro catholica fidei confessione capite truncatum martyrij laurea coronauit. Claruit sub Mauritio Imp. anno domini 590.

L E O Papa primus, natione Thuscus, in diuinis scripturis eruditissimus, & in declamandis homiliis facundissimus, sub Leone Augusto anno domini 461. inter multas homilias scripsit in Matthæi caput quintum homilias duas: quarum prima incipit, *In illo tempore uidens Iesus turbas*. secunda uerò, *Prædicante domino*.

B. L E O N A R D V S Giphonensis, siue ex Iouis phano, quod oppidum Campaniæ est, Franciscanorum XXI. generalis artifex, ac deinde Romanæ ecclesiæ cardinalis, scholasticæ theologiæ professor nobilissimus, scripsit ingentem lectionem scholasticam super Canticum Canticorum in centum quadraginta Cantica, hoc est in totidem eius libri particulas uel sententias diuisam, multa abstrusioris theologiæ arcana continentem: quam Antoninus, archiepiscopus Florentinus, se uidisse, & legisse scribit in tertio Chronicorum suorum uolumine. Claruit sub Carolo IIII. Aug. 1370.

L E O N T I V S, episcopus Neapoleos Cypri, uir disertus & eruditus, qui aduersus Iconomachos libros quinque composuit, & multas panegyricas dictauit orationes, scripsit in Matthæi caput 17. De transfiguratione domini homiliam unam, citatam in 6. actione synodi secundæ Nicænæ. Floruit circa tempora Phocæ Imp. anno domini 610.

C. L V C A S, abbas montis S. Cornelij, ordinis Benedictini, in exponendis diuinis scripturis nobile sortitus ingenium, scripsit opusculum, ex Aponij monumentis collectum, in Cantica Canticorum anno domini 1130.

L V C A S Losius scripsit Annotationes scholasticas in euangelia dominicalia, & ea, quæ festis diebus leguntur: adiecitque in singula euangelia disticha argumenta, doctrinas summarias, locos & obiectiones cum solutionibus dialecticis.

L V C A S, monachus Græcus ex instituto D. Basilij, scripsit expositionem in quatuor euangelia, quæ in bibliotheca S. Saluatoris græcè scripta seruantur Bononiæ.

L V C I A N V S, uir disertissimus, Antiochenæ ecclesiæ presbyter, & postea Nicomediæ episcopus, ac martyr sanctissimus, uis omnibus ante se factis editionibus, & cum hebraica ueritate diligentissimè collatis, propriam, ut Euthymius testis est, græcam editionem multo superioribus emendatiorem Christianis tradidit: quæ apud Nicomediâ manu eius conscripta reperta est in turre quadam apud Iudæos calce illita post ipsius Luciani mortem, sub Constantino Imper. Magno. Hæc cum Lxx. interpretum editione in sensu consentit, eiusque exemplaria *Λυκιανῶνα*; hoc est Lucianæ, à nonnullis dicta sunt, apud aliquos uerò Septimæ editionis nomen accepere. quanquam Isidorus, Hispalensis episcopus, arbitretur Origenem fuisse non solum quintæ & sextæ, sed septimæ quoque editionis repertorem. Huius Lucianæ translationis publica lectione ac fide omnes à Constantinopoli usque ad Antiochiâ ecclesiæ usæ sunt. Passus est autem Lucianus martyr Nicomediæ ob confessionem Christi sub persecutione Diocletiani & Maximiani; sepultusque Heiionopoli Bithyniæ anno domini 280.

L V D O L P H V S natione Saxo, ex ordine Prædicatorum, post trigessimum suæ professionis annum ad instituta Cartusianorum translatus, & in monasterio Argentinensi receptus, uir in sanctis uoluminibus studiosissimus, professione scholasticus, sermone simplex, & feruidis quibusdam affectibus amabilis, collegit ex Hieronymi, Augustini, Cassiodori, & Petri Lombardi sententiis exactam in

psalmos expositionem; in qua typicos sensus maximè sectatur, non ita tamen, ut A
literalem intelligentiam negligat; addens ad calcem cuiuslibet psalmi deuotam &
consonam ipsi psalmo precationem. Operis initium est, *Sicut olim manna*. Idem
ex quatuor euangelistis unicam collegit uitæ Christi historiam, quam lucidissimis
& piissimis iuxta quadruplicem sensum explanationibus illustrauit, adiectis ad fi-
nem singulorum capitulorum deuotissimis precationibus, præcedentis capituli ar-
gumento deseruientibus. Opus incipit, *Fundamentum aliud*. Claruit sub Ludouico
Imp. IIII. anno domini 1330.

LVDOVICVS Iunior Parisetus, Regiensis, scripsit heroico uersu ad Varium
Tolomæum fratrem in primum Geneleos caput Theopieæ libros sex: quorum
initium est,

Incessit iam dudum animum Tolomææ cupido.

CLARUIT anno domini 1550.

LVDOVICVS Pictorius, Ferrariensis, poeta non ignobilis, edidit soluta B
oratione Paraphrasin in Psalterium anno domini 1510.

M



MAMMOTREPTVS, sic ab inscriptione Dictionarij à se
editi cognominatus, uir simplex & deuotus, ex ordine Mi-
norum, illius pauperulæ uiduæ inopem largitatem secutus,
quæ de sua tenui pauperie duo minuta in Gazophylacium
templi coniecit, ipse quoque de sua exigua facultate obtu-
lit in templum domini quod habebat, hoc est, Dictiona-
rium uocabulorum totius Bibliæ, latinarum uocum prola-
tionem, accentum, & significationem crassa & rudi Miner-
ua explicans. quod quia rudibus clericis, & adhuc in latina
lingua infantibus, ueluti mammam sugendam; & infantilibus manibus tractandam
instar piæ nutricis, exhibuerat, *MAMMOTREPTVM* inscripsit, tacito ob humilita-
tem suo ipsius nomine: pro quo postea Mammotrepti nomen inualecente consue-
tudine sortitus est. Opus incipit, *Impatiens propria imperitia*. Claruit anno do-
mini 1450.

MAPHAEVS Veggius, natione Italus, patria Laudensis, Martini Papæ V.
Datarius, uir diuinæ scripturæ non ignarus, orator & poeta nunquam satis
laudatus, cuius ditissimæ uenæ felicitatem liber, 13. Virgilianæ Aeneidi ab ipso
additus, satis superque ostendit, in ultima senectute sua emisit Elegiaco uersu in
septem psalmos elegantem & uerè cygneam Paraphrasin. Claruit anno domi-
ni 1430.

MARBADVS, episcopus Redenensis, liberalibus disciplinis eruditus, D
poeta suorum temporum eximius, & sacrorum eloquiorum professor insi-
gnis, edidit eleganti carmine pulcherrimam explanationem in Cantica Salomonis
iuxta triplicem sensum anagogicum, allegoricum, & morale. Claruit sub Hen-
rico III. anno domini 1050.

MARCVS Vlmenis, Germanus, ex ordine Minorum, professione schola-
sticus, Distinctionarium in uniuersam scripturam sanctam collegit, schola-
sticis expositoribus utilissimum: cuius initium est, *Abstinencia multipliciter sumitur*.
Claruit anno domini 400.

MARIANVS, monachus Fuldenis, natione Scotus, ord. S. Benedicti,
historiæ scriptor, composuit De concordantia euangeliorum librum unum
Moritur anno domini 1086.

MATTHAEVS de Aquasparta, ordinis Minorum duodecimus minister
generalis, & postea episcopus Portuenis, S. Romanæ ecclesiæ cardinalis,
in sæculari philosophia iuxta morem sui temporis magnificè doctus, & in
diuinis

A diuinis: scripturis excellentissimus, edidit sub Rodulfo imper. anno domini 1290.
in epistolas Pauli librum unum.

MATTHAEVS, Aulæ regiæ monachus, natione Germanus, uir in dispu-
tando subtilis & acris, in Boemia cum Ioannè Hussio Prageni hæresiarcha
sape congressus, eum cum hæreticis sectatoribus ipsius sæpissime deiecit: sed post
nimiam hæreseon pullulationem ex Boemia in Germaniam ad monasterium Veteris
cellæ ordinis Cisterciensis, tanquam in portum, uenit; in quo fratres assidua sacra-
rum lectione instruens, reliquit in omnes psalmos scholasticam Lecturam satis lau-
dandam. Claruit sub Sigismundo Imp. anno domini 1415.

MATTHAEVS Aurogallus, natione Germanus, trium linguarum peritissi-
mus, Eusebium amularus edidit librum de hebraicis urbium, regionum,
populorum, fluminum, montium, & aliorum locorum nominibus, quæ in sanctis
scripturis leguntur: in quo omnes appellationes hebraicis characteribus per ordinem
alphabeti disposuit, citatis singulis diuinæ scripturæ locis, in quibus ipsa nomina in-
ueniuntur. liber incipit, *Cum nuper mecum &c.* Claruit sub Carolo V. Augusto
anno domini 1526.

MATTHAEVS Bredembacchius, Kerpsensis, apud Embricam, dum ui-
xit, gymnasiarcha, scripsit in Matthæum, atque in nouem & sexaginta psal-
mos pulchra commentaria, partim ex uetustis, partim ex recentioribus autoribus
collecta. Floruit anno domini 1550.

MATTHAEVS Doringus, natione Saxo, Minoritanus, prouinciæ Saxo-
niæ minister, scholasticæ theologiæ professor egregius, inita pro defensione
ne doctoris sui Nicolai Lyrani pugna aduersus Paulum episcopum Burgen-
sen, Postillam eiusdem Nicolai impugnantem, obiectiones eius euertere annisus est,
editis nouis concertationibus, quas, commentariis Lyrani statim post Paulinas addi-
tiones subiectas, *REPLICAS ADVERSUS PAVLVM BVRGENSEM* attitulauit. Ope-
ris initium est, *Modestiam antiquam*. Claruit sub Friderico Imp. III. anno
domini 1440.

MATTHAEVS Ebroicensis, Nortmannus, prædicatorij ordinis professor,
subtilis sacrorum uoluminum perferuator, Carolo VI. Gallorum regi ob
eximiam religionem eruditionemque gratissimus, composuit in quinque libros Moy-
si, & in Esaiam utilissimam Postillam.

MATTHAEVS Oryus, Hispanus, Dominicanus, hæreticæ prauitatis per-
Gallias inquisitor, scripsit in dictum Pauli, *Volo quinque uerba loqui*, ad-
uersus hæreses librum unum.

MATTHAEVS, Patriarcha Constantinopolitanus, ord. Prædicatorum,
totum diuinæ scripturæ corpus redegit in quatuor locorum communium li-
bros: quorum initium est, *Omnia poma noua*. seruatur Bononiæ in biblio-
theca nostra Prædicatorum.

MATHIAS, Vindonicensis Presbyter, historiam Tobie elegiaco uersu
exposuit, sic exorsus,
Ex agro ueteri uirtutum semina morum.

CLARUIT inter Scholasticos anno domini 1400.

MAURICIVS, Episcopus Parisiensis, ingenio subtilis, sermone schola-
sticus, & eruditione singularis, edidit sermonum in euangeliis festiua li-
bros duos. Claruit anno domini 1190.

MAXIMVS Monachus sermonem edidit in illud Exodi 37. De Candela-
bro, & septem lucernis: ex quo Thomas in libro contra errores græcorum
testimonia profert, quod spiritus à patre procedat.

MAXIMVS, Taurinensis ecclesiæ episcopus, sanctarum scripturarum pe-
ritissimus, & extemporalis declamator admirabilis, scripsit elegantissimas
homilias in uarios utriusque Testamenti locos. Moritur sub Theodosio Iunioris an-
no domini 420.

MELCHIOR Cano, Hispanus, episcopus Fortunatarum insularum, ordinis Prædicatorum, librum utilissimum composuit De locis difficillimis diuinæ scripturæ anno domini 1560.

MELITO Asianus, Sardensis ecclesiæ episcopus, sanctitate & eruditione uenerabilis, quem Tertullianus asserit ab antiquis ueluti prophetam habitum, excerpit ex omnibus sparsim scripturis,

Εκλογῶν, id est Excerptorum, ad Onesimum fratrem suum libros sex: in quibus diuersa scripturarum testimonia, ad institutionem Christianæ uitæ conducibilia, pulchro ordine aptauit.

ITEM in illud Gen. 1. Faciamus hominem, De Deo incorporeo librum unum.

DE uita prophetarum librum unum.

IN Apocalypsin librum unum.

DE catalogo diuinorum utriusque testamenti uoluminum ad Onesimum epistolam unam.

CLARUIT sub Marco Ant. Vero anno domini 160.

METHODIUS (qui & Eubulius dictus est) Olympi Lyciæ, & postea Tyri episcopus, uir sanctitatis & doctrinæ singularis, eloquij nitidi compositiq; sermonis, conscripsit pro defensione sanctarum scripturarum aduersus infamum Porphyrium, qui eas oppugnerat, præclarissimum opus.

RELINQUIT etiam in Genesim commentarios.

ITEM in caput 28. primi Regum De Phytionissa librum unum.

IN Cantica Canticorum librum unum.

IN Apocalypsin librum unum: cuius fragmenta leguntur in Rapsodijs explanationum Arethæ in Apocalypsin.

MORITUR autem sub ultima ecclesiæ persecutione, uel, ut alij affirmant, sub Decio & Valeriano in Chalcede, Græciæ ciuitate, martyrio coronatus anno domini 255.

MICHAEL Adam Iudæus, conuersus, Biblia uertit in linguam Germanicam, & in usum Iudæorum characteribus hebraicis expressit.

MICHAEL Angrianus, Bononiensis, Carmelitarum generalis antistes, theologus, philosophus, & canonicus summus, qui ordinem suum sub Urbano Papa VI. nouem annis iussu, sancteque rexit, scripsit scholastico more in totum Psalterium commentariorum libros quinque, & in Lucæ euang. lib. 1. qui apud eundem instituti professores magno in precio habentur. Moritur ultimo anno Venceslai Imp. anno domini 1396.

MICHAEL, natione Hetruscus, ex oppido Massa, Eremitanus, theologus scholasticus ualde acutus, cuius multos in sacra Biblia commentarios temporum absumpsit iniuria, scripsit stylo Scholastico.

IN Esaiam librum unum.

IN Matthæum librum unum.

IN Lucam librum unum.

IN Marcum librum unum.

IN Ioannem librum unum.

DE passione Domini ex quatuor euangelij librum unum.

CLARUIT anno domini 1350.

MICHAEL de insula Picardiæ, ord. Prædicatorum, scripsit Lecturam scholasticam in Canticum Canticorum, incipientem, *Cantabo dilecto meo* &c. & Postillam in Daniele, quæ incipit, *Abscondita produxit*. Seruatur Venetijs in bibliotheca D. Ioannis & Pauli.

MICHAEL Mediolanensis, ordinis Minorum, theologus & declamator celebris, uitæ quoque exemplo conspicuus, edidit scholastico more sermones undecim in Decalogum ex 20. cap. Exodi. Claruit anno domini 1480.

NEPOS

N



NEPOS, incertæ urbis in Aegypto episcopus, uir planè bonus & eruditus, sed Chiliastarum errore deceptus, scripsit interpretationem omnium repromissionum, quæ habentur in Apocalypsi Ioannis; easque corporaliter intelligendas esse docuit; & sanctos mille annis in deliciis corporeis in hac terra esse cum Christo regaturos ex iisdem Ioannis testimonijs confirmauit. de quo Dionysius Alexandrinus in secundo uolumine explanationis in Apocalypsin sic loquitur:

COMMENTARIOS quosdam proferunt Nepotis, quibus innituntur plurimum, & per quos putant ostendi, qualiter regnum Christi futurum sit super terram. sed in alijs quidem multis etiam ego amplector, & diligo Nepotem uel pro fide sua, uel pro eruditione scripturarum, & præcipue pro exercitio psallendi: quoniam quidem multi fratrum libenter pro hoc eius elegere confortia. est ergo etiam mihi magis erga eum multa reuerentia: & inde magis, quia iam præcessit ad Deum. sed reuera plus omnibus amanda & præferenda est ueritas. laudare oportet, & absque inuidia amplecti, si quid rectè ab eo dictum est; rejici uerò, si quid minùs sanè ab eo scriptum est: sicut in his libris, in quibus docet nihil excelsum, nihil magnificum sentire de aduentu saluatoris nostri Iesu Christi, neque de resurrectionis gloria, & nostræ congregationis in ipsum ac similitudinis repromissa; sed parua quædam, ac semper mortalia; & non alia, quam sunt ea, quæ nunc uidemus, suadet sperare in regno Dei. Hæc Dionysius. Claruit sub Galieno Imp. anno domini 270.

NICEAS, Romaciænæ urbis episcopus, uir in diuinis scripturis studiosus, inter alia multa sua opuscula scripsit sub Theodosio Augusto anno domini 420. De Victima agni paschalis in duodecimum Exodi caput librum unum.

NICEPHORVS Callistus, Xantopulus, cuius extant 18. libri historiæ ecclesiast. edidit Synopsin, id est Contuitum totius diuinæ scripturæ, iambis trimetris digestum: in quo argumenta omnium sacrorum uoluminum breuiter complexus est. Opus sic incipit,

Ὁς πατήρ υἱὸν ἑαυτοῦ ἀπέχευε φῶς.

Claruit sub Emanuele Imp. anno domini 1100.

NICOLAUS Anapus, ex ordine Prædicatorum, patriarcha Hierosolymitanus, zelo charitatis instinctus decerpit ex sacris uoluminibus Enchiridion: in quo ad utilitatem concionatorum uniuersa tam uirtutum, quam uitiorum exempla, in libris utriusque testamenti dispersa, collegit summa breuitate, ac sub diuersorum argumentorum titulis secundum literarum consequentiam dispositis. Operis principium tale est, *Tanta pollet excellencia*. Claruit sub Sigismundo Imp. anno domini 1430.

NICOLAUS, Brixinensis episcopus, & cardinalis titulo S. Petri ad uincula, ex Cusa Germaniæ oppido, uir in omni literarum genere admirandus, mathematicus, philosophus & theologus, supra quam cuique credibile sit, eruditissimus, cui docta quædam tam in uerbis, quam in sententijs amica fuit obscuritas, edidit in principium Geneseos breuem dialogum tantæ obscuritatis, ut uix à doctissimis uiris possit intelligi. eius initium est, *Sæpe delectabilis*. Item in illud Iacobi 1. Omne datum optimum, ad Gerardum episcopum Solonensem De dato patris luminum, librum unum. *Esti ante*. Item sermones encyclicos per anni circulum & quadragesimam: quorum longitudinem ipse pertæsus, collegit ex his, ueluti ex uberrimis campis, flores elegantiores, & in libros decem, EXERCITATIONVM SPIRITUALIUM pranotatos, digessit. horum initium est, *Tu quis*

Claruit sub Federico III. Imp. anno 1460.

Iii NICO-

NICOLAUS Cabasilas, episcopus Theſſalonicenſis, ſcripſit anno domini 1300. obſervationum in uifionem quatuor animalium Ezechielis librum unum, qui græcè in Vaticano ſeruatur.

NICOLAUS Chenton, Carmelita, Anglus, ſcripſit in hiftoriam Helifei prophetæ, & in Cantica Canticorum Poſtillam anno domini 1468.

NICOLAUS Clenardus, Meclinienſis, trium linguarum peritiſſimus, multis annis bonas literas Meclinia publicè profeſſus eſt; atque, ut omnibus prodeſſet, quædam tum latina, tum græca, hebraica quoque in lucem edidit. e quibus ſunt Meditationes grammaticæ in Threnos in gratiam eorum, qui uina hebraici præceptoris uoce deſtituuntur. Claruit anno domini 1530.

NICOLAUS Dincelpulus, Germanus, Viennenſis academiæ rector, ſcripſit iuxta ſcholæ conſuetudinem in illud Eſaiæ, Et requieuit ſuper eum ſpiritus domini ſpiritus & c. De ſeptem donis ſpiritus ſancti librum unum anno 1420.

NICOLAUS Gallus, ord. Prædicatorum, à confeſſionibus regis Gallorum, reliquit in omnes D. Pauli epiſtolas ſcholasticam Poſtillam, quæ incipit, *De di te in lucem gentium. Eſaiæ cap. 49*

NICOLAUS Gorranus, ordinis Prædicatorum, prouincialis Francia, in ſcholasticis quæſtionibus tractandis acutus, & in ſanctorum lectione exercitatiſſimus, anno ſalutis noſtræ 1390. edidit ſcholastico & aperto ſermone breues in uniuerſa Biblia commentarios, ſacrorum uoluminum ſtudioſis ualde proficuos: de quibus Venetiis in bibliotheca diui Ioannis & Pauli ſubiecta uidi, ſcilicet

| | | |
|--------------------------|----------|---|
| In Pentateuchum | lib. 5. | <i>In principio & c.</i> |
| In Pſalterium | lib. 1. | <i>Laudationem domini loquetur os meum.</i> |
| In Eccleſiaſten | lib. 1. | <i>Aſpexi terram.</i> |
| In Eccleſiaſticum | lib. 1. | <i>Sapientia ædificauit.</i> |
| In Threnos | lib. 1. | <i>Huic planctui.</i> |
| In Cantica Canticorum | lib. 1. | <i>Cantate domino canticum nouum.</i> |
| In Matthæum | lib. 1. | <i>Liber Gen. & c. ſicut fluius paradisi.</i> |
| In Marcum | lib. 1. | <i>Filia Sion exultate & c.</i> |
| In Lucam | lib. 1. | <i>Disciplinam medici.</i> |
| In Ioannem | lib. 1. | <i>Ecce intelligat ſeruus meus.</i> |
| In omnes epiſtolas Pauli | lib. 14. | <i>Dedi te in lucem gentium.</i> |

NICOLAUS Grandis, ordinis Minorum, ſacraſſimæ facultatis theologus, ſcripſit ad Franciſcum, Gallorum regem, in epiſtolas Pauli ad Romanos & ad Hebræos elegantes commentarios, innumeris patrum ſententiis excul- tos: in quibus, ubi ſeſe locus offert, animi potius lenitate, modeſtiæ; Chriſti- ana lapſos erigere, quàm ſermone cenſorio atque obiurgatorio exaſperare, aut rabi- do dente circumrodere, annititur, non de contradicentibus uictoriam, ſed contra mendacium ueritatem ſollicitius inueſtigans. Opus incipit, *Summa ingratiſſimæ inſimularer*. Claruit anno domini 1546.

NICOLAUS Herbron, ordinis Minorum, regularis obſeruantia generalis D commiſſarius Ciſmontanus, ſcripſit latino eloquio enarrationes euangeliorum quadrageſimalium, apud Coloniam Agrippinam germanica lingua declamatas; item in pſalmum 78. enarrationem lamentatoriam, incipientem, *Quis dabit capiti meo & c.* anno domini 1530.

NICOLAUS Lyranus, natione Anglus, uel, ut quidam ſcribunt, ex Lyræ Brabantia oppido, genere Iudæus, & Hebraicis literis à prima pueritia im- butus, poſt conuerſionem uerò Franciſcanæ religioni addiſtus, ſcholastica theolo- giæ profeſſor, & ſententiarum eius expoſitor non ignobilis, tanta quoque diuina- rum ſcripturarum uera, pura, ac germana intelligentia præditus, ut in eis expo- nendis nullum eruditiffimorum theologorum ſui temporis habuerit patrem, edi- dit in ſingula tam ueteris, quàm noui teſtamenti uolumina ſcholasticæ poſtillæ li- bros 85. ſtudioſis ſanctarum ſcripturarum, ac præcipue tyronibus ad maiora pro- perantibus non utiles ſolum, ſed ualde etiam neceſſarios. in quorum prioribus quinqua-

A quinquaginta libris uniuerſum ſanctæ ſcripturæ corpus abſque orationis lenocinio, & uerborum inuolucris breui, nudo, & aperto ſermone expoſuit, ſumma in ſin- gulis diligentia aperiens, & elucidans literæ ſenſum cæteris diuina ſcripturæ ſen- ſibus ut præſtantiorem, ita difficiliorem; allatis in id non modò ueterum eccleſiæ patrum expoſitionibus, ſed Rabbiorum quoque ſententiis, quarum apud Iudæos præcipua eſt autoritas. Quo expleto opere, iterum repetito labore, in triginta quinque poſterioribus libris utrunque inſtrumentum morali expoſitione illuſtrauit. Initia librorum eius habes apud Tritemium. Claruit ſub Ludouico Imp. anno domini 1320. Scripſerunt Annotationes ac Cenſuras in omnia eius opera Paulus epiſc. Burgenſis, Diegus Deza, & Matthæus Doringus. quorum prior Lyrani ex- poſitiones, ceu hebræis & Chriſtianis autoribus contrarias, oppugnauit: poſterior aduerſus locos aliquot, in quibus Lyranus D. Thomæ aduerſatur, deſenſiones edi- dit. tertius pro Lyrano aduerſus Burgenſem epiſcopum decertat.

B N I C O L A U S Tacitus Zigenus, Minorita, ex Dyſtemio oppido Braban- tia, edidit ad Iulium tertium Pont. Max. caſtigations in nouum teſtamen- tum: in quibus deprauata reſtituuntur, adiecta reſecantur, & ſublata adiiciuntur. cui titulum fecit Epanorthotes, ſiue Reſtitutor locorum deprauatorum; ſeu alte- ratorum. Opus incipit, *Tanta eſt paſſim*. Idem collegit in omnes noui teſtamen- ti libros ſcholia, quibus loci difficiles, aut etiam ambigui iuxta originalem ſcri- pturæ phraſim, ac uetuiſſimorum theologorum citationem doctiſſimè ac exqui- ſitè ſunt explicati. opus ſanè omnibus rectè diuinam ſcripturam ſecare uolen- tibus longè utiliſſimum. Claruit anno domini 1540.

N I C O L A U S Triuet, Anglus, ord. Præd. ſcripſit ſcholastico more ad Hay- mericum, magiſtrum ordinis, Poſtillam in Leuiticum, incipientem, *Vene- rando patri f. Haymerico*. item in Pſalterium ad fratrem Ioannem, prouincialem Angliæ, Poſtillam, incipientem, *Reuerendo patri f. Ioanni*. Claruit anno do- mini 400.

C I N I A N V S, Pictorum epiſcopus, regio Britannorum ſanguine editus, cum Romam adoleſcens ueniſſet, ibiq; Chriſtianam ſapientiam ſummo ſtudio didiciſſet, reuerſus in ſeptentrionales regiones, Pictorum gentes ab idolorum impie- tate ad Chriſti cultum deduxit. cumq; apud eas diuina eloquia aſidue docuiſſet; ſcripſit aliqua in ſacras literas magnæ pietatis & eruditionis commentaria: de qui- bus maxime celebrantur Meditationes in Dauidicos hymnos. Vixit, ut ex Bedæ hiftoria colligitur, anno ſalutis noſtræ 440.

N I L V S, multorum in oriente monachorum pater, ſanctitate & eruditione celebris, cuius ſexta ſynodus ſcripta ueneratur, ſcripſit in Iob commentarios.

D O N I V S Marcellus Saia à Rocca glorioſa emiſit in ſeptem pſalmos pœni- tentiales precatórias Paraphraſes anno domini 1550.

D O N N V S Panopolitanus, inter græcos Chriſtianorum poetas præcipuus, cuius ſeruntur Dionyſiaca libri 48. heroicè conſcripti; Paraphraſin hexa- metris græcis carminibus in Ioannis euangelium cõpoſuit, quam nos typis Aldi excuſam legimus. eius initium eſt, *Ἀχρονος ἡ ἀνιχνητος ἐν ἀρρητω λόγος ἀρχῆ.*



O D O, primus abbas Cluniaceniſis, ordinis ſancti Benedi- cti, Remigij Antiſiodoreniſis quondam auditor, muſicæ pe- ritiſſimus, archicantor eccleſiæ Thuronenſis, diuina ſcri- pturæ ſtudioſiſſimus, declamator homiliarum præcipuus, rogantibus fratribus, libros quinque & triginta commenta- riorum beati Gregorij ſuper Iob in unicum breue uolumen perſtrinxit. Claruit anno domini nongentefimo ac uige- ſimo.

ODO, episcopus Cameracensis, uir latino sermone eleganter doctus, theologia peritissimus, declamator apud suos præcipuus, scripsit De uillico iniquitatis librum unum: cuius initium, *Homo quidam erat diues.* **A**

ODO Gallus, ex ordine Prædicatorum, scholasticam Postillam scripsit in omnes Pauli epistolas, quæ Venetiis habetur in bibliotheca S. Ioannis & Pauli; & incipit, *De comedente exiit cibus.*

OECUMENIUS, Græcus autor, ualde doctus, in explicandis diuinis scripturis breuis, apertus, & elegans, atque in ueterum commentariis euoluendis assidue uersatus, collegit solerti cura ex dictis præstantissimorum græcæ ecclesiæ doctorum nobiles annotationum commentarios in Ostateuchum; quos ipse in commentariis suis in epistolam ad Hebræos capite sexto se scripsisse testatur. collegit etiam persimili industria in totum nouum testamentum Catenam explanationum: ex quibus legi

IN Acta Apostolorum librum unum, cuius initium est, *Lucas euangelista.* **B**

IN omnes epistolas Pauli libros 14. quorum initium est, *Eutalij diaconi.*

IN epistolas canonicas libros 7. *Hanc scribit Iacobus.*

IN Apocalypsim librum unum. *Sciendum quod uniuersum.*

NOMINA uerò autorum, ex quorum explanationibus contexta est, hæc sunt,

| | |
|---------------------|------------------------|
| Papias, | Acacius, |
| Clemens, | Isidorus, |
| Methodius, | Photius, |
| Dionysius, | Chrysostomus, |
| Irenæus, | Gregorius Nazianzenus, |
| Origenes, | Seuerianus, |
| Hippolytus, | Gennadius, |
| Athanasius, | Arethas, |
| Eusebius, | Andreas, |
| Methodius, | Cyrrillus, |
| Basilus, | Theodoretus, |
| Gregorius Nyffenus, | |

His explanationibus Oecumenius suas quoque explanationes proprio nomine prænotatas inseruit; ut ex titulo cognosceret lector, & quid ab ipso, & quid ab aliis patribus haberet. Transtulit hoc opus in latinam linguam Ioannes Hentennius Mecliniensis, monachus Hieronymianus, adiectis annotationibus locorum aliquot. in quibus Oecumenij editio differt à uulgata Græca noui testamenti editione. Claruit, ut ex temporibus autorum, qui ab eo citantur, apparet, post annum domini 800.

OLYMPIODORVS monachus, natione Græcus, philosophus Peripateticæ scholæ, cuius extant præclari in meteora Aristotelis commentarij, scripsit græcè iuxta triplicem sensum enarrationem in Ecclesiasten succinatam, eruditam, breuem, & elegantem: quam Zenobius Acciaiolus, Florentinus, in latinum transtulit. eius initium est, *Rerum certam cognitionem.* **D**

OLYMPIODORVS Diaconus, natione Græcus, uir doctus, scripsit græcè in totum librum Iob eruditissimos & elegantissimos iuxta literæ sensum commentarios: quorum multa fragmenta adhuc extant in Catena græca super Iob, quæ Genuæ habetur in bibliotheca Saulia. opus incipit, *Υποθεσις μὲν ἡμῶν.* Opus uerò integrum in bibliotheca Vaticana seruat.

ORESIENSIS, monachus & eremita, Pachomij & Theodori monachorum in solitudinibus Aegypti commorantium collega, uir in sanctis scripturis ad plenum instructus, congregauit ex diuinis eloquijs uolumen, uniuersam monasticæ disciplinæ institutionem continens; in quo totum uetus, ac nouum testamentum compendiosis disertionibus iuxta duntaxat monachorum necessitatem inuenitur expositum, quod uice testamenti prope diem obitus sui fratribus obtulit. Claruit sub Honorio Aug. anno domini 420.

ORIGENES

ORIGENES Adamantius, patria Alexandrinus, Leonidæ Martyris filius, Ammonij præstantissimi philosophi in philosophia, & Clementis Alexandrini in sacris dogmatibus auditor, ac discipulus, uir tantæ fuit eruditionis & ingenij, ut ei parem doctissima gracia, felicissimorum ingeniorum parens, nunquam habuerit. nam quò ad sæculares disciplinas attinet, ita græcam & hebraicam linguam tenuit, sic rhetoricam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, musicam, astronomiam; & physicen nouit, ita omnem philosophiam, & cunctas philosophorum sectas, autores, assertoresque sectarum, omnesque earum assertiones, & dogmata, omnem historiarum, ac studiorum uarietatem mira quadam & inexplebili mentis capacitate complexus est, ut magni nominis philosophos, licet alienos à Christo, sectatores, admiratores, & laudatores habuerit. de quorum numero Porphyrius, acerrimus Christiani nominis hostis, cum in libris illis, quos aduersus religionem nostram emisit, diuinas scripturas unà cum ipsarum explanatoribus

impie criminetur, conuicia & calumnias in Origenem coniecit, apud nos omni laude & commendatione dignissimas, in hunc planè modum scribens: ΑΔΗΑΕΡΕΝΤ, Christiani ineptis Iudaicarum scripturarum; & ea, quæ Moyses agresti & simplici sermone conscripsit, diuinitus sancita, & figuris, atque ænigmatibus obiecta esse confirmant, atque, ut ingentibus repleta mysteriis, exponunt. cuius absurdæ expositionis genus initium habuit à uiro, quem ego, cum adhuc essem ualde puer, uidi, arcem totius eruditionis tenentem: sicut etiam ex his, quæ posteritatis memoriæ tradidit, comprobatur. Origenes hic est: cuius ingens gloria inter eorum magistros habetur: qui affectus fuerat omnia Platonis secreta: institutus fuerat in libris Numenij, & Chronij, & Apollophanis, & Longini, & Moderati, atque Nicomachi: in Pythagoricis uerò summorum uirorum eum non latuere commentaria. attigit etiam Cheremonis Stoici, & Cornuti uolumina: ex quibus omnia secreta & mystica, quæcumq; apud Græcos habentur, assumens, ritui barbaro, & superstitionibus iudaicis coaptauit, & philosophorum gloriam ad externa & peregrina christianorum dogmata conuertit. Hæc Porphyrius in tertio aduersus christianos uolumine. Qualis autem, quantusque in diuinis scripturis fuerit Origenes; facile possemus scire, si ingens ille Origenicorum uoluminum index superesset, quem Eusebius Cæsariensis in libro De uita Pamphili martyris, & Hieronymus in epistola ad Paulam, Eustochij matrem, descripserunt.

SED copiosissimi indicis loco sufficere possunt ad id ostendendum clarissimorum ecclesiæ patrum de eo testimonia. Didymus in primis appellat eum secundum post apostolos ecclesiarum magistrum. Athanasius eum fidei suæ testem locupletissimum uocat. Seuerus Sulpicius asserit eum in ea parte, qua probatur, neminem post Apostolos habuisse æqualem. Hieronymus eundem prædicat sacrorum omnium expositorum uictorem, optans cum inuidia Origenici nominis eius quoque intelligentiam habere scripturarum. Epiphanius & Rufinus eum sex millia uoluminum in sacras scripturas elaborasse referunt. Vincentius Lirinensis, utriusque synchronos, addit, neminem mortalium plura scripsisse, quam Origenem; cuius opera non solum perlegi, sed ne inueniri quidem possibile sit. Pamphilus, martyr sanctissimus, ita eum aduersus omnes sui temporis hæreses fortiter & constanter armis scripturæ diuinæ dimicasse affirmat, ut omnia hæreticorum ædificia, & diabolicæ machinationis fundamenta subuerterit. denique tanta fuit sacra Origenis doctrina, etiam cum mira uitæ sanctitate coniuncta, ut quidam de summis ecclesiæ proceribus dicere aliquando non dubitauerint, malle se cum Origene errare, quam cum aliis bene sentire.

CAETERVM quanquam talis, tantusque esset Origenes; grauem tamen laborum suorum iacturam passus est, fraude, ac uitio hæreticorum: qui omnia eius opera innumeris hæresibus contaminarunt, ut sub prætextu ac fauore nominis Origenici impias cogitationes suas facilius persuaderent, & charius uenderent. Quam hæreticorum adulterationem multi uel non animaduertentes, uel autoris crimen id esse magis, quam hæreticorum deprauationem, credentes, Origenem cum ope-

ribus suis inter hæreticos reiecerunt. Sed utcumque sit, Origenes, adhortante A Ambrosio Alexandrino, & uictum, chartas, libros, impensas, & notarios suppeditante, edidit præter infinitos exotericos libros etiam in uniuersam scripturam sanctam innumerabilia Exegematica, hoc est Explanationum uolumina: quæ quidem Hieronymus in præfatione commentariorum in Ezechielem ad Vincentium triplici genere distinxit, hoc est in Scholia, Homilias, ac Tomos.

PRIMUM quidem genus, quod Græci Σχολιασµὸν dicunt, Scholiis deputant: quæ latinè uacationes, siue ocia, seu per-ocium excerpta dici possunt: quibus quoties ad plenam commentationem ocium deesset, ea tantum, quæ sibi uidebantur obscura, breuibus quibusdam annotationibus summam perstringebat.

IN secundo uerò genere, quod græci Ομιλιασµὸν uocant, nos Familiare colloquium dicimus, collocauit sermones & conciones; quibus, ut B. Pamphilus testis est, Origenes quotidie, & quasi ex tempore scripturas ad populum enarrabat, excipientibus ex ore eius septem notariis, totidemque uelocissimis in scribendo puellis, aliisque scriptoribus; qui eas ad monumentum posteritatis tradiderunt. Stylus eius in hoc homiliatico genere familiaris est, apertus, ac simplex, & ab omni rhetorici apparatus pompa alienus, breuis, succinctus, & absque prolaxis præfationibus, ac longis crebrisque digressionibus; quales multæ apud Chryostomum, & Augustinum in eorum homiliis reperiuntur. Attingit autem Origenes in homiliis suis parum, ac leuiter historicam explanationem, idque iuxta uulgatam Lxx. interpretum editionem: sed ad altioris allegoricæ intelligentiæ sensus ascendit, & ab his iterum ad locos morales, & breues exhortationes descendit.

IN tertio genere, quod Origenes Τόµοις, nos Volumina nuncupamus; Hieronymus maiores commentarios reposuit, eos scilicet, in quibus Origenes, exponens diuinas scripturas iuxta hebraicam ueritatem, tota ingenij sui uelâ uentis spirantibus dedit; & recedens à terra, ita in medium altissimorum sensuum, & mysteriorum pelagus aufugit, ut doctissimis etiam lectoribus, illuc eum sequi uolentibus, metum & periculum induxerit. In his tamen tam reconditis arcanis pertractandis summa semper animi humilitate, ac uerborum modestia usus est, nihil temere affirmans; sed, ut discendi auidus, singula humiliter inquirens, & magis excitans lectorem ad communem inuestigandi studium, quam docens; his perpetuo monendi formulis eum compellans, uidelicet Intuere, si fortè hæc, quæ dicimus, sacræ scripturæ aptari possint; Videamus, si hoc, quod dicimus, in diuinis scripturis inuenire possimus; item, Ego quidem sic suspicor, uide tamen, num hoc ita esse possit; atque his similibus excitatiunculis ubique uti uoluit, prout decebat hominem penè ἀποδιδρακτον, & qui primus aggressus esset explanationem omnium diuinarum scripturarum, nondum ob ingentem earum difficultatem ab aliquo attemptatam. Delectatus est etiam tam in hoc, quam in superiori genere usque ad allegoriarum structura, ut ei ab æmulis suis obiectum sit, quod allegoriæ inuolucris, & anagogiæ ambagibus uim fecerit reclamanti literæ, & ueritatem scripturarum sustulerit. Utitur quoque in hoc potissimum genere multis ad imitationem Clementis præceptoris sui apocryphis testimoniis ex uetustissimis reconditorum uoluminum monumentis, ut sunt liber Pastoris, liber Enoch, euangelium secundum Hebræos, Prædicatio Petri, Oratio Ioseph, Testamentum xii. Patriarcharum, & alia his similia.

HIS tribus expositionum generibus alia quoque duo addit Eusebius, nempe Επιστολιῶν, & Ερμηνευτικῶν, id est Epistolare, & Interpretatiuum. In Epistolari quæstiones ex diuina scriptura, amicorum literis ad se missas, rescriptis explicauit epistolis: in quibus est magna illa de Susannæ historia ad Iulium Africanum epistola, inter centum Origenicas epistolas ab Eusebio collectas, maximè celebrata. In Interpretatiuo, seu Translatiua genere demum ponendæ sunt omnes diuinæ scripturæ translationes, quas ipse in Hexaplis, Octaplis, & Palæstinæ editionis codicibus complexus est. In hac ergo adeo multiplici laborum uarietate licet semper se eundem Origenes ostenderit: diuus tamen Ambrosius, ad Clementianum scribens,

Abens, censet eum longè maiorem fuisse in ueteri testamento, quam in nouo. Quæ autem ex unoquoque horum ordinum uolumina adhuc extant, uel apud ueteres tantum autores citata reperiuntur, hæc sunt:

TRANSLATIONVM uariarum totius ueteris testamenti collectanea. Origenes enim, ut Epiphanius in libro De ponderibus & mensuris scribit, post quatuor editiones, uidelicet Lxx. interpretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, duas alias græcas translationes inuenit, unam cum plerisque aliis hebraicis & græcis uoluminibus, in Hiericunte urbe Palæstinæ, quam Quintam appellauit; alteram uerò in litore Asiatico in Nicopoli, in doliis occultatam, quam Sextam editionem nuncupauit. ex quibus sex uersionibus Origenes duo diuersa genera exemplariorum composuit, Hexapla scilicet, & Octapla, & primum quidem Hexapla: in quorum codicibus sex columnellas per singulas paginas ita distinxit, ut in prima columnella ipsa uerba scripturæ hebraica, & hebraicis literis ponerentur; in secunda uerò græcis literis è regione hebraica uerba describerentur propter eos, qui hebraica legere nesciebant. in tertia Aquilæ translationem subiunxit: in quarta Symmachi, in quinta Lxx. interpretum, in sexta Theodotionis editionem collocauit: & propter eiusmodi compositionem, ut Eusebius annotat, exemplaria hæc Εξαπλά nominauit. qua de causa etiam à nonnullis, ut Suidas, & Ioan. Zonara testantur, dicta sunt Τετραπλά, hoc est. Quadrupla, propter quatuor græcas editiones, Lxx. scilicet, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis. Deinde post hæc fescuplicia exemplaria Origenes alia rursus Octapla exemplaria composuit: in quibus dispositis per singulas paginas octo columnellis, quintam & sextam editiones post quatuor prædictas adiecit; quas quia sine titulo suborum autorum inuenerat, ex his alteram Quintam appellauit, præfigens ei inscriptionem per literam E, quinarij apud græcos numeri indicem; alteram uerò Sextam nominauit, eique senarij numeri notam, uidelicet ς, quam græci uocant epistemon, inscripsit. & hæc postmodum exemplaria propter numerum octo columnarum Octapla dicta sunt. Quæ postquam Origenes non sine ingenti labore expleuit, iterum aliam translationem in quotidianam usum ecclesiæ adorsus est: quam ex duabus conflauit editionibus, Septuaginta uidelicet, ac Theodotionis, simul utranque permiscens, & asteriscis designans quæ minus essent; obelis uerò, ac metobelis, quæ superfluo uiderentur apposita. Quæ editio cum postea à Pamphilo martyre, & Eusebio episcopo Cæsariensi inuulgata esset; Palæstina translatio dicta est, eo quod ipsius lectionem omnes Palæstinæ, & Syriæ ecclesiæ in quotidianis lectionibus receperunt. Meminit Origenes huius à se editi laboris tractatu 8. in Matthæum, & in Ioan. tomo 6.

SCRIPSIT etiam librum De interpretatione hebraicorum nominum, in sacris literis extantium; cuius meminit Iustinus in libro Quæstionum, & Epiphanius in libro De ponderibus & mensuris.

COMPOSUIT quoque Stromateas, hoc est Variæ operis libros decem, in quibus sanctarum scripturarum & philosophorum sententias comparans, omnia Christianæ religionis dogmata ex philosophorum dictis confirmauit. horum librorum nonum & decimum, totos in expositione commatica libri Danielis, atque totius epistolæ ad Galatas consummavit.

DICTAUIT deinde in quatuor prima Geneseos capita continuatæ explanationis Tomos tredecim, altissimis sensibus, & mysteriis sublimioribus refertissimos, hoc est à principio libri usque ad illam sententiam quarti capitis, *Omnis, qui occiderit Cain, punietur septuplum.* in cuius expositione, ut Hieronymus in Quæstionibus ad Damasum testatum reliquit, duodecimum & tertiumdecimum tomum distando composuit. Horum, ut arbitror, impræsentiarum nihil superest, præter Disputationem quandam De astris, & fato, tribus foliis comprehensam; quæ habetur apud Eusebium lib. 6. De præpar. euangelica cap. 9. Suspicio hos tomos, ita uolentibus præcis patribus, interisse, ob multa suspecta dogmata eis inspersa, de quibus nonnulla recensentur libro sequenti in censuris libri Geneseos.

EDIDIT præterea, ut Rufinus in 2. contra Hieronymum uolumine indicat, homiliarum

miliarum in Genesim libros duos: è quibus duntaxat decem & septem in varios A
eiusdem libri locos ad nos peruenerunt, uidelicet

IN GENESIS caput primum De Mundi principio hom. 1.

- In Gen. 6. De fabrica arcæ hom. 1.
- In Gen. 17. De circumcissione Abrahæ hom. 1.
- In Gen. 18. De tribus uiri Abrahæ uisis hom. 1.
- In Gen. 19. De Loth & filiabus eius hom. 1.
- In Gen. 20. De Abimelech, Saræ nuptias appetente, hom. 1.
- In Gen. 21. De natiuitate & ablactatione Isaac hom. 1.
- In Gen. 22. De Abraham, filium immolante, hom. 1.
- In Gen. 22. De promissionibus Abrahæ factis hom. 1.
- In Gen. 24. De Rebecca, ad hauriendam aquam egressâ, hom. 1.
- In Gen. 25. De Abraham, desponsante sibi Cethuram, hom. 1.
- In Gen. 25. De conceptu & partu Rebeccæ hom. 1.
- In Gen. 26. De puteis ab Isaac effosis hom. 1.
- In Gen. 26. De Deo, qui ad puteum apparuit Isaac, hom. 1.
- In Gen. 45. De filiis Iacob annunciantibus patri imperium Ioseph in Aegy-
pto, hom. 1.

- In Gen. 47. De terra Aegypti, tempore famis empta à Ioseph, hom. 1.
- In Gen. 49. De benedictionibus patriarcharum hom. 1.

ELABORAVIT etiam alias ferè innumeras in Octateuchum lucubrationes, de
quarum numero sunt

IN EXODVM Excerptorum, siue Annotationum liber unus, à Rufino in
prædicto loco citatus.

ITEM homiliarum in Exodum liber unus, quarum nunc ex uersione Hieronymi
tredecim tantum extant, scilicet

- In Exodi cap. 1. De initio Exodi hom. 1.
- In Exod. 1. De obstetricibus hebræorum hom. 1.
- In Exod. 4. De decem plagis hom. 1.
- In Exod. 12. De profectioe filiorum Israel hom. 1.
- In Exod. 15. De Cantico Mosi hom. 1.
- In Exod. 15. De aqua Marath hom. 1.
- In Exod. 17. De siti populi in Raphidin, & Amalechitarum bello hom. 1.
- In Exod. 20. De initio Decalogi hom. 1.
- In Exod. 21. De muliere prægnante, quæ duobus litigantibus uiris abor-
tiuis & c. hom. 1.

- In Exod. 26. De Tabernaculo hom. 1.
- In Exod. 34. De facie Mosi uelata hom. 1.
- In Exod. 35. De rebus ad tabernaculum offerendis hom. 1.

IN LEVITICVM Excerptorum liber unus, cuius in opere iam dicto recor- D
datur Rufinus.

ITEM in Leviticum homiliarum ex uariis locis liber unus, ex quibus 16. ha-
bentur à Hieronymo translata, nempe

- In Leuit. cap. 1. De principio Leuitici hom. 1.
- In Leuit. 2. 3. & 4. De uariis sacrificiorum ritibus hom. 1.
- In Leuit. 5. De non reticendis aliorum sceleribus, dequæ in munda tan-
gentibus hom. 1.
- In Leu. 6. Deo eo, qui mentitur proximo super deposito & societate, hom. 1.
- In Leuit. 6. De lege hostiæ pro peccato hom. 1.
- In Leuit. 7. De sacerdotalibus indumentis hom. 1.
- In Leu. 9. & 11. De uino & sicera sacerdotibus sub ingressum tabernaculi non
bibendis hom. 1.
- In Leuit. 12. 13. & 14. De Muliere post partum per septem dies immunda &
de lepra hom. 1.

In Leuit.

- A In Leuit. 16. De sacrificiis propitiationis & duobus hircis hom. 1.
- In Leuit. 16. De ieiunio in die propitiationis hom. 1.
- In Leuit. 20. in illud, Sancti estote, hom. 1.
- In Leuit. 21. De magno sacerdote hom. 1.
- In Leuit. 23. De diebus festis, candelabro, & mensa hom. 1.
- In Leuit. 24. De filio matris Israelitæ & patris Aegyptij hom. 1.
- In Leuit. 25. De uenditionibus & redemptionibus domorum hom. 1.
- In Leuit. 26. De benedictionibus Leuitici homil. 1.
- IN NVMERI cap. 1. De prima filiorum Israel numeratione hom. 1.
- In Num. 2. De castrametationis ordine hom. 1.
- In Num. 3. De leuitis, ex medio filiorum Israel assumptis, hom. 1.
- In Num. 3. De leuitis uiginti duo millibus hom. 1.
- In Num. 4. De plebe Caath non exterminanda hom. 1.
- B In Num. 11. & 12. De Mose ad populum exeunte hom. 1.
- In idem De Aethiopia & lepra Mariæ hom. 1.
- In Num. 14. De his, quæ exploratores retulerunt hom. 1.
- In Num. 16. & 17. De batillis Chore & seditione populi contra Mosen hom. 1.
- In Num. 18. De eo, quod dixit dominus ad Aaron, Tu & filij tui & c. hom. 1.
- In Num. 20. De puteo & Cantico hom. 1.
- In Num. 22. De his, quæ superfuerunt superiori tractatui hom. 1.
- In Num. 22. De Balaam hom. 1.
- In Num. 23. De prima prophetia Balaam hom. 1.
- In Num. 23. De secunda prophetia Balaam hom. 1.
- In idem De quarta prophetia Balaam hom. 1.
- In idem De quinta & ultima prophetia Balaam hom. 1.
- In Num. 25. De eo, qui fornicatus est cum Madianite hom. 1.
- C In Num. 26. De secunda populi numeratione hom. 1.
- In Num. 27. De filiabus Salphaat & de successione Moÿsis hom. 1.
- In Num. 28. in illud, Munera mea data mea, hom. 1.
- In Num. 29. & 30. De sacrificiis cuiuslibet festi, & de uotis hom. 1.
- In Num. 31. De ultione in Madianitas hom. 1.
- In idem De summa numeri filiorum Israel hom. 1.
- In Num. 33. De mansionibus filiorum Israel hom. 1.
- In Num. 34. De terræ sanctæ descriptione hom. 1.
- IN IOSVE cap. 1. De principio libri Iosue hom. 1.
- In Ios. 1. De eo, quod dicitur Moses, Famulus meus defunctus est,
homilia una.
- In Ios. 2. De duabus & semis tribubus Ruben & Gad & semi tribu Ma-
nasse homilia una.
- D In Ios. 3. De transitu Iordanis hom. 1.
- In Ios. 4. & 5. De duabus & semis tribubus, quæ transferunt Iordanem, & de
populo, petrinis gladiis circuncilo, hom. 1.
- In Ios. 5. De pascha in Galgala celebrato hom. 1.
- In Ios. 6. De Hieruchuntis excidio hom. 1.
- In Ios. 8. De euerfione ciuitatis Hay hom. 1.
- In Ios. 9. De Deuteronomio in lapidibus altaris scripto hom. 7.
- In Ios. 9. De Gabaonitarum dolo hom. 1.
- In Ios. 9. De Iesu Gabaonitis oppulante hom. 1.
- In Ios. 9. De bellis Iosue spiritaliter intelligendis hom. 1.
- In Ios. 10. De urbibus Lachis, Lebna, & Chebron hom. 1.
- In Ios. 11. De Iabin rege Afor hom. 1.
- In Ios. 11. De gestis post deuictum Iabin hom. 1.
- In Ios. 13. De Iesu senectute hom. 1.
- In Ios. 13. De leuitis terram non accipientibus hom. 1.

Kkk In Ios.

- In Ios. 14. De initio diuisionis terræ promissionis hom. 1. **A**
 In Ios. 14. & 15. De finibus hæreditatis tribus Iudæ hom. 1.
 In Ios. 15. De Caleph accipiente Hebron hom. 1.
 In Ios. 15. De filiis Iuda non ualentibus disperdere Iebuzæos hom. 1.
 In Ios. 16. De tribu Ephrem, & de Chananæis hom. 1.
 In Ios. 18. De ratione sortium, ubi septem tribus capiunt hæreditatem, homilia una.
 In Ios. 19. De Amorrhæis habitantibus cum Ephrem, & Iesu recipiente ciuitatem à filiis Israel, hom. 1.
 In Ios. 21. De ciuitatibus & sorte leuitarum hom. 1.
 In Ios. 22. De petrinis gladiis in terram sepultis, & aris trans Iordanem extractis, hom. 1.

IN IVDICVM cap. 2. De eo, quod populus sub Iosue domino seruiuit, homilia una. **B**

- In Iud. 3. De Israelitis in manu hostium traditis, & de Othoniel, & Aioth hom. 1.
 In Iud. 4. De Semegad, Iabin, & Syfara hom. 1.
 In idem De Deuora & Barach hom. 1.
 In Iud. 5. De Cantico Deuoræ hom. 1.
 In Iud. 6. De Israelitis in manus Madian translatis hom. 1.
 In Iud. 6. De Gedeone hom. 1.
 In Iud. 7. De prælio Gedeonis cum 300. uiris hom. 1.

IN REGVM 1. cap. 2. De Cantico Annæ hom. 1.

- In 3. Reg. 3. De iudicio Salomonis homilia una, cuius meminit Origenes hom. 3. in Iosue.

IN IOB Homilias, siue Tractatus emisit plurimos, quorum meminit Hieronymus in Vigilantium scribens; pro quibus nunc habemus Origenicis uoluminibus insertum duplex explanationum opus; unum ualde prolixum, in tres libros distinctum, continens expositionem ab exordio historiæ Iob usque ad dimidium tertij capitis; alterum, quod breuiter admodum, & quasi paraphrasticos totius libri Iob historicum sensum edisserit, industria Ioachimi Perionij nuper è græco translatum. sed neutrum Origenis est, tametsi utrunque eruditum, & lectu dignum. nam præterquam quod amborum phrasid, & docendi methodus longè distat ab Origenica dictione; illud quoque accedit, quod autor prioris operis contra Origenis consuetudinem innumeris penè battologiis redundat, multumq; temporis consumit, dum personis orationes plus æquo longiores affingit; & nunc ad Iob, nunc ad diabolum per apostrophen loquitur; & inter hæc Luciani martyris celebrat agonem; & Homousij nomen, & Homusianorum sententiam commemorat. In posteriore uero opere, in quo præter Origenis morem nudæ literæ insitit, uerba quoque illa uxoris Iob exponit, quæ in græcis codicibus capite secundo habentur, & ab ipso Origene, cæu apocrypha & asciticia, reprobantur. deinde Luciani martyris expositionem in tertio capite Iob inducit; & in septimo & octauo capitulo Manichæos nominatim refellit; & in 38. cap. Homusianistarum mentionem facit. Constat autem & Lucianum Martyrem, & Manichæos post Origenem fuisse; ipsumque Homousij & Homusianorum nomen longè post Origenis tempora enatum. Rursum in eodem 38. capite damnat sententiam eorum, qui stellas affirmant animatas. quod proprium Origenis est dogma. Leguntur in utroque opere paucula quædam censura digna, quæ in sequenti censurarum libro inuenies annotata.

IN PSALTERIUM quoque duplicem laborem exhibuit Origenes. scripsit enim, ut in præfatione psalmorum indicat Hieronymus, Enchiridion in omnes psalmos commaticeo, siue inciso expositionis genere, strictis ac necessariis interpretatiunculis annotatum. composuit deinde in gratiam Ambrosij Alexandrini in Psalterium latissimas explanationum enarrationes iuxta editionem Lxx. interpretum

A pretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & quintæ, & sextæ editionis ordinem: primusque omnium græcorum, ut Hieronymus in epistola ad Augustinum testis est, edidit in integrum psalmorum corpus tomos plurimos: de quibus idem Hieronymus refert uertisse se tomos, siue tractatus septem, à decimo uidelicet psalmo usque ad decimum sextum. Notissima est inter alios tractatus eius in psalterium psalmi primi expositio; quæ propter uarietatem maximarum rerum in omnibus penè ueterum scriptis discutitur. Extant adhuc sub nomine Origenis Tractatus in psalmos tres, uidelicet 36. 37. & 38. quos Rufinus, non indicato autoris ipsorum nomine, asserit se de græco in latinum transfulisse, & ad maiorem legentium commoditatem in nouem homilias dissecuisse. Tritemius in Catalogo refert se uidisse Origenis in Psalterium Tractatus. 150. quorum initium esset, *Beatus uir &c. Hunc psalmum.* Apud Epiphanium uerò, & in Catena psalmorum græca, præfatio Origenis in psalmos sic incipit, *Κυριδου, και εσφραγιδου τας θειας γραφας.* id est, *Conclusus, & obsignatus esse diuinas scripturas.*

B POST HAEC ELABORAVIT Origenes in Prouerbia Salomonis commentarios, à B. Pamphylo in apologia citatos,

In Ecclesiasten quoque explanationes; quarum in libro de Resurrectione meminit Methodius, Olympi episcopus.

C ITEM in Canticum canticorum commentariorum libros decem: quorum primos quinque conscripsit Athenis, alios autem quinque regressus Casaream consummauit. Habuit & in eundem librum Homilias aliquas ad populum; de quibus Hieronymus duas uertit, præfixa in fronte earum epistolari præfatiuncula ad Damasum Papam: in qua tam commentariorum, quam homiliarum encomium apposuit his uerbis: *ORIGENES*, cum in cæteris omnes uicerit, in Canticis Canticorum ipse se uicit. nam, decem uoluminibus explicitis, quæ ad uiginti usque uersuum millia penè peruenerunt, primum Septuaginta interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum quintam editionem, quam in Actio litore inuenisse se scribit, ita magnificè aperteque disseruit, ut inde mihi uideatur in eo completum esse, quod dicitur, *Introduxit me rex in cubiculum suum.* itaque, illo opere prætermisso, quia ingentis est ocij, laboris & sumptuum, tantas res, tam dignum opus in latinum transferre sermonem, hos duos tractatus, quos in morem quotidiani eloquij paruulis adhuc lactantibus composuit, fideliter magis, quam ornate, interpretatus sum, gustum tibi sensuum eius, non cibum offerens. tu animaduertas, quanti sint illa aestimanda, quæ magna sunt, cum sic possint placere, quæ parua sunt. Hæc Hieronymus. Fertur & aliud sub nomine Origenis pium, eruditum, ac disertum opus, uel potius operis fragmentum; in quo duo prima Canticorum capita eloquentissimè ac doctissimè explicantur. hoc in ueteris quibusdam codicibus erat nomine *HIERONYMI* prænotatum. diuisit nescio quis illud in quatuor Homilias, cum homiliae non sint, sed continens ac perpetua explanatio. eius initium est, *Epithalamium libellus.* scripsit præterea

D *IN ESAIAM* subscripta uolumina, uidelicet in totum Esaiam sparsim *ΣΗΜΗΩΣΕΩΝ*, hoc est Annotationum, uel Excerptorum librum unum.

ITEM in partem Esaiæ iuxta quatuor editiones usque ad uisionem quadrupe-dum in deserto, hoc est à principio libri usque ad trigésimum caput continuæ explanationis tomos triginta. in quibus per liberos allegoriæ campos euagans, interpretandò singularum rerum nomina, ingenium suum fecit ecclesiæ sacramenta. ex his autem uoluminibus liber uigesimus sextus Hieronymi tempore iam perierat.

ITEM De uisione *Τετρακόδων* in deserto, quæ incipit, *Onus Iumentorum Austri in terra tribulationis & angustia,* super xxx. caput Esaiæ ad Gratam, illustrem sceminam, libri duo: quos plerique falso de nomine Origenis inscriptos putauerunt.

ITEM in uarios Esaiæ locos Homilias ad populum 25. de quibus tantum infra-scriptæ nouem supersunt, uidelicet

In illud ex 4. cap. Apprehendent septem mulieres uirum unum, hom. 1.

Kkk 2 In 6. cap.

- In 6. cap. De prima uisione Esaia hom. 5.
 In Es. 7. De uerbis angeli ad Achaz hom. 1.
 In Es. 8. super illud, Ecce ego & pueri mei, hom. 1.
 In Es. 10. super illud, Sicut feci Samariæ, sic faciam Hierusalem, hom. 2.
I N I E R E M I A M quoque scripsisse fertur ingentem homiliarum numerum :
 ex quibus Rabanus, archiepiscopus Moguntinus, in præfatione commentariorum
 in Ieremiam affirmat sibi cognitæ quinque & quadraginta : de quorum numero
 tantum quatuordecim infrascriptas Hieronymo interprete habemus, uidelicet
 In Ier. 1. De principio Ieremiæ hom. 1.
 In Ier. 2. Quod de Babylone fugiendum sit hom. 1.
 In Ier. 2. De uite in amaritudinem conuersa hom. 1.
 In Ier. 3. super illud, Et dixit dominus ad me diebus regis Iosia, hom. 1.
 In Ier. 5. De Malleo totius terræ con fracto hom. 1.
 In Ier. 10. De faciente terram in fortitudine sua hom. 1.
 In Ier. 11. super illud, Audi uerba testamenti huius, hom. 1.
 In Ier. 12. De terra exterminata hom. 1.
 In Ier. 12. super illud, Notum fac mihi domine, & cognoscam, hom. 1.
 In Ier. 13. De utribus uino implendis hom. 1.
 In Ier. 13. & 14. De comminationibus Dei ad Hierusalem hom. 1.
 In Ier. 15. super illud, Heu mihi ego mater, hom. 1.
 In Ier. 16. De Misione piscatorum hom. 1.
 In Ier. 17. De perdicis clamore hom. 1.
I N T H R E N O S etiam Ieremiæ scripsit Origenes, cum esset Alexandria, To-
 mos nouem; quorum Nicephorus meminit in quinto historiae uolumine. & cum
 Athenis degeret, iam sexagenario maior elaborauit, Eusebio teste,
I N E Z E C H I E L E M Tomos 25. cum prius in eundem prophetam homilias
 plurimas dedisset; de quibus 14. extant interprete Hieronymo, quæ sunt.
 In Ezech. cap. 1. De captiuitate populi Israel, & Ioachim regis, & uisione
 Ezechielis hom. una.
 In Ezech. 13. De malis prophetis prophetantibus in Hierusalem hom. 1. quæ
 incipit, *Nullam speciem peccatorum.*
 In idem super illud, Fili hominis obfirma faciem tuam, hom. 1.
 In Ezech. 14. De peccatis peccatricis Hierusalem hom. 1.
 In idem 14. De duabus plagis, romphæa scilicet, ac morte, hom. una.
 In Ezech. 15. De parabola ligni uitis hom. 1.
 In Ezech. 16. super illud, Radix & generatio tua de terra Canaam, hom. 1.
 In idem De uestibus à Deo traditis peccatrici Hierusalem hom. 1.
 In idem De increpatione peccatricis Hierusalem constitutis lupanar
 homilia una.
 In idem De eo, quod scriptum est, Pater uester Amorrhæus, & mater
 uestra Cethæa, hom. 1.
 In idem De eo, quod scriptum est, Confundere, & accipe ignominiam
 tuam, hom. 1.
 In Ezech. 17. De Aquila magna, Libanum intrante, hom. una.
 In idem De Nabuchodonosor, Hierusalem intrante, homilia una.
 In Ezech. 28. De eo, quod scriptum est, Tu, signaculum similitudinis, plenus
 sapientia, hom. una.
I N D A N I E L I S caput 13. scripsit ad Iulium Africanum pro defensione hi-
 storiae Susannæ epistolam unam, nuper ab Ambrosio Mediolanensi monacho Cas-
 sinate, uiro doctissimo, latine uersam: de qua Eusebius in 6. historiae eccl. libro sic
 scribit: *Pærid tempus erat etiam Africanus uir in scripturis ecclesiasticis nobi-
 lis: huius epistola fertur ad Origenem scripta obiciens ei, uel proponens, quod
 historia Susannæ, quæ in Daniele scripta est, ficta uideatur, & aliena à scriptura
 prophetica.* cui Origenes magnificentissimè rescribens, nequaquam Iudæorum
 commentis

- A** commentis & fraudibus auscultandum, sed hoc solum pro uero habendum in scri-
 pturis diuinis, quod Septuaginta interpretes transtulissent. nam id esse solum,
 quod autoritate apostolica confirmatum sit. Hæc Eusebius.
 Rursus totum historiae Susannæ contextum Origenes in decimo libro Stromate-
 on cōmatica explanatione prosecutus est. cuius pars nunc in commentariis Hier-
 onymianis super Daniele habetur, ab ipso Hieronymo sub titulo Origenis inserta.
 Scripsit præterea in quatuordecim prophetas minores *Εξηγήσεων*, id est Enar-
 rationum libros quamplurimos: ex quibus Eusebius uiginti tantum & quinque
 se uix inuenire potuisse conuenitur. de his Hieronymus in Catalogo scriptorum sic
 loquitur: *REPERI IN XII. prophetas uolumina manu beati Pamphili Martyris*
exarata: quæ tanto amplector, & seruo gaudio, ut Cresci opes habere me credam.
si enim lætitia est unam epistolam habere martyris: quanto magis tot millia uer-
suum, per quæ mihi uidetur sui sanguinis signasse uestigia?
B *EX HIS* libris duos particulariter exarauit in Oseam; unum, cui titulum im-
 posuit *Περὶ τῶ πῶς ὠρομένη τῷ Ωσὲ Εφραϊμ*, hoc est, *Quare appellatur in Osee*
Efraim, uolens ostendere, quæcunque contra eum dicuntur, ad hæreticorum refe-
 renda personam; alterum uero, *Ἀνέφαλον, καὶ ἀτέλεσον*, sic dictum, quod & capi-
 te careat, & sine.
 ITEM in Zachariam scripsit libros duos, uix tertiam partem à principio libri
 usque ad uisionem quadrigarum allegoricè edisserens.
 ITEM in Malachiam allegoricæ expositionis libros tres.
 AT QVE hæc sunt, quæ in uetus testamentum ab Origene scripta reperi: quæ
 uero ad nouum pertinent instrumentum, hæc sunt:
I N M A T T H A E V M explanationis genus triplex, hoc est Tomi, Scholia, &
 Homiliae. ex his uero primùm composuit in totum hoc euangelium Tomos 36.
 ex quibus decem primi tomi desiderantur: cæteri supersunt, ab explanatione ui-
 delicet eius loci, *Tunc, dimissis turbis, uenit in domum suam*, ex capite 13. usque
 ad 27. caput; quos librarij imprudenter in tractatus, siue homilias 35. diuise-
 runt; cum nec uestigium in ipsis appareat homiliatici generis, quod semper à bre-
 uibus exordiis in præfatiunculas, & doxologias decurrit.
 SECUNDO scripsit etiam in eundem Euangelistam scholastici generis librum unum;
 in quo per commata & interualla breuibus quibusdam scholiis, quæcunque sibi ui-
 debantur obscura, breuiter annotauit.
 TERTIO edidit ex homiliatico genere in uarios Matthæi locos Homilias ad po-
 pulum uiginti quinque. harum, quæ nunc supersunt, hæc sunt:
 In Matth. 1. De Maria desponsata hom. 1.
 In Matth. 2. De apparitione angeli ad Ioseph hom. 1.
 In Matth. 6. super illud, Cum ieiunatis, hom. 1.
 In Matth. 8. De leproso mundato hom. 1.
D In Matth. 15. De Cananæa hom. 1.
 In Matth. 25. De aduentu filij hominis ad iudicium hom. 1. cuius posterior
 pars uidetur continere duo latinorum patrum fragmenta; quorum alterum habe-
 tur in fine commentariorum Hieronymi in Esaiam; alterum apud Gregorium li-
 bro 15. Moralium, capite quarto decimo. Nec dubium est pleraque his similia,
 hinc inde excerpta, inueniri etiam in nonnullis homiliis, quæ sub Origenis nomine
 in uarios euangeliorum locos leguntur.
I N L V C A M dictauit Tomos quinque, qui nunc desiderantur, & Homilias plu-
 rimas, de quibus 39. adhuc extant; quas, quoniam parum elaboratæ sunt, & non
 nullis etiam damnatis erroribus insperæ, Hieronymus, earum interpres, excusat,
 tanquam ab Origene admodum iuueni enatas. alia enim sunt iuuentutis prælu-
 dia, & alia senectutis seria. Ex his tres & triginta priores homiliae explicant Lu-
 cam continuata expositionis serie, à principio euangelij usque ad medium quarti
 capitis: sex uero posteriores dispersos quosdam Lucæ locos enarrant, & sunt hæ:
 In Luc. 10. De eo, qui incidit in latrones, homilia una.
 Kkk 3 In Luc.

- In Luc. 12. super illud, Esto consentiens aduersario, homilia una. **A**
 In Luc. 17. super illud, Qui uoluerit animam saluam facere, perdet eam, homilia una.
 In Luc. 19. De pullo asinæ homilia una.
 In Luca 19. De fletu Christi super Hierusalem hom. una.
 In Luc. 20. De quæstione Sadducæorum homilia una.

IN IOANNIS euangelium integræ explanationis ad Ambrosium Alexandrinum Tomos 39. quos Hieronymus in præfatione 39. homiliarum Origenis in Lucam excusat se non ausum uertere in latinam linguam, deterritum magnitudine laboris ac sumptus. Latuere omnes usque ad nostram ætatem latinis incogniti, sed nuper ex his Ioachimus Perionius, monachus Casinæ, tomos nouem primus in latinum conuertit. tot enim solummodo supererant in græco uetustissimo codice: quem ex clarissima bibliotheca regis Gallorum nactus est; & hi quidem multis in locis mutili, minimeque sequentes, & interpolati, uidelicet primus, secundus, sextus, decimus, decimus tertius, decimus octauus, uigesimus, uigesimus octauus, trigessimus secundus. **B**

QVORVM primus præfationem operis continet unâ cum expositione primæ tantum propositionis, uidelicet In principio erat uerbum. eius initium est, *Quemadmodum uetus populus.*

- In secundo exponitur illud ex primo capite, Et uerbum erat apud Deum, usque ad ea uerba eiusdem capituli, Qui post me uenit, ante me factus est.
 In sexto exponuntur uerba illa ex capite primo, Et hoc est testimonium Ioannis, usque ad illud, Ecce agnus Dei.
 In decimo explicatur illud ex capite secundo, Post hæc descendit Capharnaum ipse & mater eius, usque ad finem eiusdem capituli, Ipse enim sciebat, quid esset in homine.
 In 13. enarratur illud ex quarto capite, Respondit Iesus, Omnis, qui biberit ex hac aqua, usque ad illud eiusdem capituli, Cùm ergo uenisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi. **C**
 In 18. exponitur illud ex cap. 8. Neque me scitis, neque patrem meum, usque ad ea uerba, quæ paulò post eodem in capite sequuntur, Nisi credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis uestris.
 In 20. exponitur ex capite octauo sententia illa, Scio, quia semen Abraham estis, usque ad illam in eodem capitulo, Nunc cognoscimus, quia demonium habes.
 In 28. explicatur illud ex capite undecimo, Dixit Iesus, Tollite lapidem, & cætera, quæ sequuntur, usque ad finem eiusdem capituli.
 In 32. exponitur illud ex capite 13. Et cœna facta, cùm diabolus misisset in cor, ut traderet eum Iudas, usque ad ea uerba eiusdem capituli, Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego uado, uos non potestis uenire. **D**

Hos nouem interruptæ explanationis tomos græculus quidam incerti nominis nouo imposturæ genere dissecti in tomos duos & triginta, ut opus, numerorum multitudine auctum, & arithmeticæ supputationis ordine continuatum, optabilius redderet, ac maiori precio uenderet. cuius fraude illusus Ambrosius Mediolanensis, monachus Casinæ, uir alioqui sagax & solertis ingenij, hoc ipsum opus latinè uertit, & sub triginta duorum tomorum partitione impressum euulgauit, sic incipiens, *Quemadmodum qui olim populus Dei.*

EDIDIT etiam in hoc euangelium homilias aliquot, sed nunc duæ tantum extant, eius titulo inscriptæ, una in principium Ioannis, altera in initium 20. cap. de Maria ad monumentum flente. quarum priorem, cuius initium est, *Vox spiritalis aquila,* apparet Origenis non esse tum ex Manichæorum, tum ex Arrianorum nominibus in ea commemoratis, quæ multo post Origenem exorta sunt. Hæc de Euangeliorum explanationibus: post quas Paulum explicare aggressus, elaborauit

In epistolam

- A** IN EPISTOLAM AD Romanos commentariorum libros quindecim: de quibus libet subnectere iudicium Hieronymi ex præfatiuncula, quam iisdem commentariis, à se translatis, præfixit, in hunc modum ad Heraclium scribens: *Volentem* me paruo subuectum nauigio oram tranquilli litoris stringere, & minutos de græcorum stagnis pisciculos legere, in altum frater Heracli laxare uela compellis; relictoque opere, quod in transferendis homiliis senis Adamantij habebam, suades, ut nostra uoce quindecim eius uolumina, quibus epistolam Pauli ad Romanos disseruit, explicemus: in quibus ille, dum sectatur Apostoli sensum, in tam profundum pelagus effertur, ut metus ingens sit illuc eum sequi, ne magnitudine sensuum, uelut immanitate opprimar undarum. Deinde nec illud aspicias, quòd tenuis mihi est spiritus ad implendam eius tam magnificam dicendi tubam. super omnes autem difficultates est, quòd interpolati sunt ipsi libri. desunt enim ferè apud omnium bibliothecas (incertum sanè quo casu) aliquanta ex ipso corpore uolumina: & hæc adimplere in latino opere, & integram consequentiam dare, non est mei ingenij, sed, ut tu credis, qui hæc exigis, muneris fortasse diuini. Addis autem, ne quid laboribus meis desit, ut omne hoc quindecim uoluminum corpus, quod græcus sermo ad quadraginta ferè, aut eo amplius millia uersuum produxit, abbreviem, & ad mèdia, si fieri potest, spacia coarctem. Dura satis imperia, & tanquam ab eo, qui pondus operis huius scire nolit, imposita. aggrediar tamen, si fortè orationibus tuis, quæ mihi, tanquam homini, impossibilia uidentur, aspirante domino possibilia fiant. sed ipsum iam, si uidetur, Origenem, qualiter præfationem suscepti operis dirigat, audiamus. Hæc Hieronymus. Sunt qui putent uersionem horum commentariorum esse Rufini, sumpta coniectura ex peroratione ipsius interpretis, in fine totius operis apposita. Scripsit item Origenes
- B** IN EPIST. ad Corinthios primam commentarios, quorum meminit Hieronymus in epistola ad Pammachium; quæ incipit, *Christiani pudoris.*
- C** IN EPIST. ad Galatas secundum triplex genus expositionis uaria elucubrauit, hoc est, Continuæ & integræ enarrationis in totam epistolam Tomos quinque.
 ITEM ex decem Stromateon suorum libris decimum uolumen commatico sermone super huius epistolæ explanatione compleuit.
 ITEM *Επιλόγων*, seu Excerptorum librum unum.
 ITEM Tractatus ad populum non paucos. quæ omnia temporis iniuria absumpsit. Meminit horum Hieronymus in epistola ad Augustinum.
 IN EPIST. ad Ephesios Tomos tres, quos Hieronymus in præfatione comment. in epist. ad Ephes. & in apologia prima contra Rufinum se fatetur secutum.
 IN EPIST. ad Colossenses commentariorum lib. 3. quorum tertium librum citat Pamphilus in Apologia.
- D** IN EPIST. ad Thessalonicen. primam libros plures, ex quibus tertium Hieronymus in epistola ad Minerium & Alexandrum citat, inquit: ORIGENES in tertio uolumine *Εβουρηματιών* epistolæ Pauli ad Thessalon. primæ post multa, quæ uario prudentique sermone disseruit, hæc intulit; in quibus nulli dubium est Accacium pleraque libasse &c.
 IN EPIST. ad Titum librum unum, cuius fragmentum citatur à Pamphilo in Apologia.
 IN EPIST. ad Hebræos libros plures, ex quibus Pamphilus citat in Apologia fragmentum.
 HAEC igitur sunt Origenis in sacras literas opera. De uita uerò & sanctitate eius, deque cæteris exotericis uoluminibus extra explanationem diuinarum scripturarum, ab eo compositis, si quis plura scire desiderat, legat Eusebium in 6. eccles. historiae libro. Scripserunt pro defensione operum Origenis multi clarissimi uiri uarios apologeticos libros, uidelicet Pamphilus Cæsariensis, martyr sanctissimus, librum unum; cui adiungitur Gregorij Neocæsariensis episcopi De laudibus

laudibus Origenis liber unus; Eusebius Cæsariensis episcopus libros sex; Eusebius Alexandrinus librum unum; Methodius Olympius Palinodiarum à se quondam uituperati Origenis librum unum; Basilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus communi labore librum unum; Rufinus presbyter Aquileiensis ad Macharium libros duos; Ioannes Picus Mirandula librum unum; Iacobus Merlinus Viçturniensis librum unum.

CLARUIT Origenes sub Alexandro, Mammeæ filio, usque ad Gallum & Volusianum, eius filium, id est usque ad septuagesimum ætatis suæ annum; & mortuus est Tyri, atque ibidem sepultus anno à Christo nato 260.

ORONTIVS Finæus, Delphinus, regius mathematicarum Lutetiæ professor, delineauit Chorographiam terrarum, ad sacræ scripturæ intelligentiam necessariarum, quam uocant D. Pauli peregrinationem, anno domini 1540.

OROSIVS Presbyter, natione Hispanus, uir in sæcularibus ac diuinis literis eruditissimus, diui Augustini discipulus, ad quem etiam librum historicarum suarum scripsit, & à quo uicissim pro discenda quæstione de animæ origine ex Hispania in Bethlehem ad Hieronymum missus est, scripsit in Canticum Canticorum laudatissimos commentarios anno domini 420. Honorio & Arcadio regnantibus.

OTFRIDVS, natione Germanus, monachus Benedictinus, Vissemburgensis cœnobij, Rabani Moguntini archiepiscopi uiri præstantissimi auditor, poeta, rhetor, philosophus, & theologus temporibus Ludouici, Lotharij, & Caroli omnium opinione doctissimus, inter multa nobilia eruditionis suæ monumenta reliquit commentariorum in totum Psalterium libros tres; item in quatuor euangelia ad Luitbertum, episc. Moguntinum, opus insigne, quinque libris digestum, quod GRATIAM THEOTISTAE inscripsit. eius initium est, *Dignitatis culmine*. Claruit sub Lothario Imp. anno domini.

OTHOMARVS Lucinius, Germanus, patria Argentinus, monachus & lector cœnobij 55. Vldarici & Afræ Augustensis, uir & exemplo uitæ & eruditione haud uulgari clarus, hortatu Ioannis Schrotij, abbatis sui, scripsit composito sermone ad Volfangum Ramum, Sueuiæ triumuirum, librum isagogicum ad mysticam Psalterij intelligentiam; in quo omnes reconditas & magis abstrusas psalmodiarum dictiones secundum ordinem literarum digessit; earumque spirituales & allegoricos sensus purè, aptè, & germanè explicauit. libri initium est, *Ablatus scita admodum &c.* Claruit sub Carolo V. Aug. 1520.

P



ADVANSVS Crassus, natione Apulus, patria Barolitanus, instituti Franciscani, theologus scholasticus, in Scotistarum scholis assidua exercitatione detritus, declamator quoque Italica facundia celebris, collegit in morem dialogi ex Augustino, & alijs patribus compendium locorum, in omnibus epistolis Pauli apparenter pugnantium; quod CONCILIVM PAULI inscripsit. Floruit anno à Christi, seruatoris nostri, ortu millesimo quingentesimo, & quadragesimo septimo.

PAGANVS Bergomensis, ex ordine Prædicatorum, scholasticam Postillam scripsit in Canticum Canticorum, incipientem, *Sponsus & sponsa dicunt, Veni*. extat Venetijs in bibliotheca D. Ioannis & Pauli.

PANTALEON, magnæ Dei ecclesiæ diaconus, scripsit græco & eleganti eloquio de luminibus sanctis, de domino Iesu Christo, & sancto Ioanne, eius præcurfore, sermonem in illud, *Ego debeo à te baptizari: qui incipit, Τὸ πρῶτον ἔλεγε, id est, Hanc festiui huius conuentus gratiam.*

PANTAENVS,

PANTAENVS, Stoicæ sectæ philosophus, post conuersionem suam ueteris Alexandrinæ scholæ à Marco Euangelista institutæ præfectus, ob præcipuam tam sæcularis literaturæ, quàm sacræ eruditionis gloriam à Demetris Alexandriæ episcopo, missus est in Indiam, ut Christum apud Brachmanas, gymnosophistas, & alios gentis illius philosophos ipse prædicaret. huius multa in sanctas scripturas commentaria Hieronymus temporibus suis existisse testatur. apud quos cum euangelium secundum Matthæum, hebraicis scriptum literis, prædicasset, ipsum reuertens Alexandriam secum retulit. Claruit sub Septimio Seuero, & eius filio Caracalla anno domini 200.

PATHERIVS, D. Gregorij Papæ eius nominis primi auditor, discipulus & notarius S. Romanæ ecclesiæ secundicerius, uir diuinarum literarum studiosus, confarcinavit ex omnibus operibus diui Gregorij libros tres explanationum in uarios locos utriusque testamenti, seruato in his ordine ac numero librorum & capitulorum sacræ scripturæ, citatisque nominatim libris B. Gregorij, ac librorum capitibus; ex quibus eas desumpsit explanationes, quarum partem iam inchoatam cum D. Gregorius legisset, commendauit, ipsumque Patherium ad opus perficiendum hortatus est. Meminit huius operis Beda in præfatione septimi libri in Cantica Canticorum, inquit: *AUDIUI*, quod Patherius quidam, beati Gregorij Papæ discipulus, de tota sancta scriptura quæcumque ille in suis operibus explanauit, collecta, ex ordine in unum uolumen collegit. Initium huius operis, quod nuper Romæ excusum est, sic habet, *Dum beatissimi, atque apostolici*. Claruit sub Mauritio & Phoca Imperatoribus anno domini 600.

PASCHASIVS Ratbertus, abbas Corbriensis, Benedictinus monachus, theologus & philosophus græcè latineque doctus, carmine perinde ualens, ac prosa, scripsit eleganti eloquio in Threnos librum unum. Claruit sub Carolo Crasso Imp. anno domini 808.

PATROPHILVS Scythopoleos, Palæstinæ episcopus, in prima Nicæna synodo clarus, omnem hebraicam scripturam græcè uertit anno domini 300. Meminit huius translationis Gregorius, Laodicæus episcopus, in uita Eusebij Emefeni.

PAVLVS, Burgensis episcopus, natione Hispanus, ex oppido S. Mariæ, genere Hebræus, Leuitici sanguinis inter suos, Rabbini, seu magister præstantissimus, & post suam conuersionem primùm nouæ Carthaginæ, & deinde Burgi Hispanicarum ecclesiarum antistes, & archicancellarius inuictissimi Hispaniarum regis, differuit in gratiam filij sui Alphonfi, Decani compostellanæ ecclesiæ, ex singulis diuinæ scripturæ libris loca quamplurima aduersus Nicolai Lyranæ commentarios, quibus has decertationes suas adiecit, conatus in his omnes Lyranæ explanationes uel tanquam reprehensione dignas corrigere, uel tanquam inabsolutas deficientesque supplere. Inscripsit hoc opus, *ADDITIONES NOTABILES AD POSTILLAM NICOLAI DE LYRA*. quarum initium est, *Quid tibi uis, ut uiuens donem*. Claruit sub Sigismundo Imp. anno domini 1430.

PAVLVS, Emesæ episcopus, in Ephesina synodo concionem habuit super illa Ioannis sententia ex Ioannis euangelio, *Et uerbum caro factum est*, & habitauit in nobis. in qua cum duas in uno & eodem Christo naturas luculentissime demonstrasset, schisma, quod huius dogmatis causa in concilio erat, magna omnium lætitia sustulit, & pacem ecclesiæ reddidit, anno domini 436.

PAVLVS Ricus, Israelita, uir doctissimus, ad Christianam fidem ante paucos annos conuersus, & Maximiliani Cæsaris medicus factus, multa præclara exarauit uolumina, inter cætera uerò De sexcentis & tredecim Mosaicæ sanctionis, seu Pentateuchi edictis librum unum. item composuit in psalmum primum De diuina prouidentia librum unum. Claruit anno domini 1500.

PAVLINVS, Nolæ Campaniæ episcopus, Rufino, Hieronymo, & Augustino summa deuinctus amicitia, uir fuit diuinæ scripturæ studiosissimus, & eloquentiæ singularis: de quo Hieronymus in epistola quadam, *PAVLINVS*, inquit,

L11

Inquit, in epistolari studio propè Tullium representans, uoce me prouocat ad scribendum, terret eloquentia. Sed & ea pietatis, ac miserationis uirtute claruit, ut, cum omnia in pauperes erogasset, se ipsum denique pro redemptione filij cuiusdam uiduæ piratis in seruitutem tradiderit: à quibus paulò post ob admirabilem nitæ sanctitatem dimissus, multà usque ad mortem pia uolumina conscripsit: in quibus etiam edidit De benedictionibus patriarcharum iuxta allegoriam latino ac nitido sermone librũ unũ, ad imitationem Rufini Aquileiensis presbyteri, à quo per epistolas inpetrauerat eiusdem argumenti libros duos. Claruit anno 420.

PEREGRINVS Grimaldus, Genuensis, scripsit Meditationem in psalmum 102. ad Victoriã Piscariam, illustrissimam fœminam, quæ incipit, *Quid agemus ò anima?* Claruit anno 1540.

PETRVS Aliacus, episcopus Cameracensis, S. Romanæ ecclesiæ cardinalis, Parisiensis gymnasij quondam cancellarius, præceptor Ioannis Gersonis, uir diuinarum scripturarum peritissimus, & in Peripatetica philosophia & astronomicis disciplinis absolutissimus, eloquio elegans, & declamator facundus, aggregauit ex Augustino, & aliis patribus plurima in sacras literas uolumina: ex quibus legi

QVAESTIONVM in Hexæmeron librũ unum, quarum initium est, *In principio libri.*

In totum Psalterium paraphrasticam expositionem, quæ incipit, *Verbum abbreviatum.*

In 7. psalmos pœn. Meditationes, quæ etiam Gersoni ascribuntur.

In psalmum 30. Meditationem, quæ incipit, *Terret me.*

In psalmum 41. Meditationem, cuius initium est, *Summe sacerdos.*

In Cantica Cant. Meditationum lib. 1. *Osculetur me.*

Floruit sub Sigismundo Aug. in concilio Constantiensi clarus anno domini 1416.

PETRVS, Archiepiscopus Senonensis, in diuinis scripturis iugi studio eruditus, & ueterum lectione diues, atque in sæcularibus literis nobiliter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, scripsit in omnes epistolas Pauli libros quatuordecim. Claruit anno domini 1200.

PETRVS Berthorius, natione Gallus, patria Piætawensis, prior monasterij sancti Eligij Parisiensis, ord. Benedictini, scripsit in totam Bibliam quatuor insignia uolumina: quorum primum inscripsit **MORALE REDVCTORIVM VTRIVSQVE TESTAMENTI**, in quatuor libros diuisum. in quò, prætermisso historico sensu, breuiter uniuersa capita scripturæ tropologicè exposuit, intermissis interdum allegoriis, styloq; usus demisso, & aperto, & ad sensus animi explicandos maximè accommodato. operis initium est, *Cum iam per opacam naturæ syluam.*

SECVNDVM uolumen, **REPEDITORIVM MORALE**, siue **DICTIONARIVM BIBLICVM** prænotatum est, tribus magnis uoluminibus diuisum, & per ordinem alphabeti digestum. cuius initium, *Reuerendo in Christo patri.*

TERTIVM, quod **INDVCTORIVM MORALE** intitulatur, in tres libros partitum, incipit, *Videte, quoniam non solum.*

QUARTVM, quod **BREVIARIVM HISTORIARVM BIBLIÆ** dicitur, sic incipit, *Considerans historia.*

CLARUIT temporibus Caroli Imp. III. & Innocentij Papæ VI. anno domini 1260.

PETRVS, Nouæ ciuitatis episcopus, natione Italus, ex oppido Brunaquello, professione Eremitanus, theologiæ scholasticæ præceptor, dicitur Lecturas scholasticas edidisse in totam Bibliam: ex quibus nihil me uidisse recolo. audiui tamen extare adhuc in Germania commentaria eius in tres libros Salomonis, hoc est in Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum Cant. Floruit sub Ruperto, Romanorum rege, anno domini 1410.

PETRVS Cantor, Parisiensis, & postea eiusdem, ut fertur, urbis episcopus, inter alia præclara opera à se edita scripsit scholasticam Glossam in uniuersa sacrosancta

A sacrosancta Biblia: ex qua ipse in bibliotheca Prædicatorum Lugdunensi infra scriptos libros uidi:

In Psalterium lib. 1. *Flebat Ioannes, quia non erat, qui librum aperiret.*

In Prouerbia lib. 1. *Parabola Salomonis secundum hebraicam ueritatem.*

In Ecclesiasten lib. 1. *Beatus uir, cuius auxilium abs te.*

In Sapientiam lib. 1. *Summi regis palatium.*

In Ezechielem lib. 1. *Et factum est in trigesimo anno.*

In Actus Apostolorum lib. 1. *Liquefacta est terra.*

In Canonicas epistolas lib. 1. *Os meum loquetur sapientiam.*

In Apocalypsin lib. 1. *Hæc sola inter libros noui testamenti prophetia uocatur.* Claruit anno domini 1200.

PETRVS Comestor, ecclesiæ Trecentis presbyter, qui à scholasticis per excellentiam Magister historiæ scholasticæ dictus est, omnes libros historicos tam ueteris, quam noui testamenti continuata serie scripturarum breuiter in unum corpus redègit, intermissis ad integrum absolutæ structuræ complementum non solum multis externis historiis, scripto probatissimorum autorum proditis, sed etiam multis apocryphis narrationibus, sola ueterum traditione sine ullo scripto acceptis. adiecit item uariis in locis breues quasdam ex dictis patrum annotationes, quæ locos historiæ obscuros illustrarent. eius opus, quod iam ex usu prænotatum est **HISTORIA SCHOLASTICA**, sic incipit, *Imperatoria maiestati &c.* Claruit sub Friderico Imp. primo anno domini 1160. cuius opus Gualterus Hunterus, Anglus, abbreviauit.

PETRVS, Archiepiscopus Rauennas, ex foro Cornelij, quod Imolam uocant, claris parentibus ortus, uir tam uitæ sanctitate, quam omni eruditionis genere excellens, & ob auream ingenij atque eloquentiæ ubertatem **CHRYSOLOG** cognomen adeptus, dictauit in uarias quatuor euangeliorum lectiones sermones centum uiginti duos, breues quidem, sed sensus grauitate uenerandos, candore sermonis, uenustisque uerborum flosculis amœnos, argutis quibusdam sententiis naturali quadam facilitate fluentibus iocundos, & ualidis quibusdam affectibus, tragicis interdum uerbis expressis admirandos. Moritur apud Forocornelienses circa annum domini 500. sub Anastasio Aug. cum iam præfuisset ecclesiæ Rauennati annos circiter sexaginta, duobus conciliis, quibus summa cum laude interfuit, magnopere illustratus.

PETRVS, Edessenæ ecclesiæ presbyter, scripsit in morem sancti Ephrem Syro sermone Homilias in singulos psalmos elegantissimas, & feruido spiritus ardore succensas. idemq; totum Psalterium græcis diuersorum generum carminibus cecinit. Claruit anno domini 450.

PETRVS Gottifredus, doctor scholasticæ theologiæ, edidit commentationem Scholasticam in Prouerbia.

PETRVS Herentlasmus, Florensis, monachus Præmonstratensis, collegit Catenam explanationum in psalmos ex uariis orthodoxorum patrum monumentis anno domini millesimo quadringentesimo ac nonagesimo.

PETRVS Izuzquius ex Nauarra Hispaniæ, ordinis Prædicatorum, opus unum, ex quatuor euangeliis à se constatam, luculenta explanatione dilucidauit; ipsumque Seriem sacri euangelij Iesu Christi, ex quatuor euangeliis concinnatam, inscripsit.

PETRVS Ioannis, ordinis Minorum, Baccalaureus formatus Sorbonæ Parisiorum, Postillas scripsit in omnem ferè diuinam scripturam anno domini 1400.

PETRVS Lombardus, Parisiensis episcopus, quæ omnes theologorũ scholæ singulari quadã uenerationis excellentia Magistrũ sententiarũ appellant, & in cuius theologiæ compendium innumerabilia disputationum uolumina eruditissimi clarissimarum toto Christiano orbe academiarum theologi elaborarunt, collegit in omnes psalmos Dauidicos, & in omnes Pauli epistolas. ex sententiis Ambrosij, Hilarij, Au-

gustini, Cassiodori & Remigij, suppressis eorum nominibus, commentarios omni-
eruditione referatissimos; in quibus etiam de suo aliqua non profus abiicienda in-
terposuit. Commentaria psalmorum incipiunt, *Cum omnes prophetas sancti spiritus
revelatione constet esse locutos*. Commentaria uero in Paulum incipiunt, *Principia
rerum sunt inquirenda*. Claruit sub Conrado Imp. III. anno domini 1140.

PETRVS Nannius, Alcmarianus, in collegio Buslidiano latinæ linguæ profes-
sor, scripsit in Canticum Canticorum Paraphrasin & Scholia, incipientia, *Cum
vulgo*. Item in Sapientiam Salomonis eodem modo, incipiens, *Sæpe rogatus sum*.
Floruit anno domini 1550.

PETRVS Paludanus, patriarcha Hierosolymitanus, genere Gallus, instituto
Dominicanus, iuris canonici consultissimus, theologus inter scholasticos satis
celebris, Thomisticaq; doctrinæ defensor præcipuus, scripsit iuxta triplicem sen-
sum, literalem, moralem, & allegoricum, Postillam in uniuersa sacrosancta Biblia;
ex qua ipse in bibliotheca Prædicatorum Lugdunensi tantum infra scripta legi:

In totam Bibliam Præfationum amplissimarum librum unum, **B**
qui incipit, *Constituens bibliothecam,*
In Genesim librum 1. *Hic est liber Adam.*
In Exodum lib. 1. *Deus eduxit eos de Aegypto.*
In Psalterium opus ingens, septem uoluminibus
digestum, quod incipit, *Implemini spiritu sancto.*

CLARUIT anno domini 1330.

PETRVS Perpiniæ, cognomento Rimes, natione Cathalanus, Carmelita,
cui par fuit secularis philosophiæ & sanctarum scripturarum eruditio, scri-
psit iuxta scholæ consuetudinem in totum Psalterium Lecturam non aspernandam.
Claruit anno domini 1300.

PETRVS Riga, Remensis ecclesiæ presbyter, scholasticus poeta, quantum
sua ferebant tempora, celebris, & sanctarum literarum cognitione illustris,
omnes historicos diuinæ scripturæ libros uersibus partim elegis, & partim hexa-
metris leonini generis iuxta literalem & allegoricum sensum breuiter exposuit.
Opus autem suum *AVRORAM* inscripsit, cuius libri, eorumq; initia ex bibliotheca
Prædicatorum Lugdunensi desumpta hæc sunt:

In Genesim liber unus. *Initium mundi quales.*
In Exodum liber unus. *Hæc duodena patrum sunt nomina.*
In Leuiticum lib. 1. *Vox autem dom. Moysen.*
In Numeros lib. 1. *Alloquitur Moysen Deus.*
In Deuteronomion lib. 1. *Hæc sunt uerba Dei.*
In Iosue lib. 1. *Post Moysen Iosue populo.*
In Iudicum lib. 1. *Peccat hebraeus, ait.*
In Ruth lib. 1. *Ad Ruth festinat.*
In Regum lib. 3. *Monte manens Effra.*
In Canticum Canticorum lib. 1. *Solus Origenes cum doctos uicerit omnes.* **D**
In quartum Regum lib. 1. *Regnavit Salomon.*
In Daniele lib. 1. *Postquam subiectos sibi.*
In Tobiam lib. 1. *Qui legis historiam.*
In Iob lib. 2. *Librum Iob Moysi quidam.*
In Iudith lib. 1. *Eustochio Paulaq;.*
In Esther lib. 1. *Vsq; sub Aethiopum.*
In libros Maccabæorum lib. 1. *Magnus Alexander.*
In quatuor Euangelia lib. 1. *Claruit Herode.*
In Actus Apostolorum lib. 1. *Tiberij nono decimo.*
Recapitulationum lib. 1. *Hæc de lege noua ueteriq;.*

CLARUIT sub Friderico Imp. primo anno domini 1170.

PETRVS Rosenheimensis, Germanus, monachus Benedictinus in cœnobio Mel-
licensi Austriae, poeta scholasticus, diuinarum literarum non ignarus, scripsit ad
Brandam

A Brandam, titulo S. Clementis cardinalem, elegis distichis succinctum opusculum, om-
nia utriusque testamenti capita breuiter perstringens: cui titulum dedit, *ROSEVM
MEMORIALE DIVINORVM*. principium uero tale, *Astri potens cælum terram*.
Claruit sub Sigismundo Imp. anno domini 1440.

PETRVS Rufus, Cartusiæ prior trigessimus secundus, scripsit in Psalterium,
& in Canticum Canticorum commentarios anno domini 1503.

PETRVS Scala, episcopus Veronensis, ord. Prædicatorum, edidit Postillam
scholasticam in Ioannem, quam manu descriptam in membranis uidi Genuæ
in bibliotheca Minoritarum obseruantium. eius initium est, *Nunquid ad præce-
ptum tuum elenabitur aquila & c.*

PETRVS Sutor scripsit De translationibus Bibliorum contra Erasmm anno
domini millesimo quingentesimo ac quadragesimo.

B **P**ETRVS, Tripolitanus abbas, ut Cassiodorus in primo libro De institutio-
ne diuinarum scripturarum testatur, ex dictis opusculorum B. Augustini in
omnes epistolas Pauli commentarios collegit anno 498. Seruantur Bononiæ in bi-
bliotheca Dominicana, tale præferentes initium, *Primum quare post euangelia, que & c.*

PETRVS Verberius, S. Rom. ecclesiæ cardinalis, episc. Auenis, cognomen-
to Aureolus, professione Franciscanus, doctor & lector academici Parisien-
sis, in qua temporibus Ludouici Bauari Imperatoris scholasticum theologiæ genus
publicè docuit, uir omni scientiarum peritia clarissimus, ecclesiastes & conciona-
tor ob singularem scripturarum eruditionem apud suos in summa admiratione ha-
bitus, scripsit scholastico stylo breue compendium omnium sanctorum uoluminum,
BREVIARIUM BIBLIÆ attitulatum. cuius principium est, *Venite, ascendamus ad
montem domini*. Claruit sub Ludouico Bauaro Imp. anno domini 1317.

C **P**HILIBERTVS Arefches, Augustinianæ familiæ doctor, theologus facul-
tate, origine, & conuentu Parisiensis, edidit in lucem commentarios breues
ac dilucidos in epistolâ diui Pauli ad Romanos: in quibus, post exactam exposi-
tionem apostolicæ mentis, diffinitiones quoque uocum difficiliorum, & diuersa-
rum significationum acceptiones, autoritates item ex ueteri testamento, siue Se-
ptuaginta interpretum, siue hebraicæ ueritatis, quas interdum sequitur Apostolus,
lucidissimis annotationibus explicauit, anno domini 1540.

PHILIPPVS, Abbas monasterij Otterbürgensis, diocesis Vormaciensis, or-
dinis Cisterciensis, Germanus, cuius animum & morum sanctitas & diuinarum
rerum studium exornarunt, emisit commentariorum in Cantica opus præclarum
& insigne.

PHILIPPVS Alberti de Nussia, Germanus, Carmelita, Postillam fecit in
Cantica anno domini 1495.

D **P**HILIPPVS, Cancellarius Parisiensis, & magnæ Parisiorum scholæ præfe-
ctus, uir undequaque doctus, & in sacris declamationibus populo charus,
habuit in singulos psalmos duos uel tres eruditos, ac disertos sermones. Cla-
ruit anno domini 140.

PHILIPPVS, presbyter & monachus, B. Hieronymi auditor optimus, & plu-
rimum paupertatis amator, edidit sermone, ut Gennadius ait, simplici com-
mentarios in Iob: pro quibus Adamus, Basiliensis typographus, proximis annis
euulgauit commentationum mysticæ expositionis in Iob ad Nectarium episcopum
libros tres, incipientes, *Adhortante te, immo potius compellente, Nectari pater bea-
tissime*. Hos rursus Ioannes Heruagius, Basileæ impressor, inter opera Bedæ & sub
titulo *BEDÆ* excudit. Moritur Martiano, & Auito regnantibus anno domini 430.

PHILIPPVS, presbyter Sidæ, in Pamphylia natus, Troili sophistæ cogna-
tus, diaconus cum esset, Ioannis Chrysoctomi fuit auditor, multaq; Asiaticum
affectans dicendi genus conscripsit, præsertim uero opus magnificum pro defensione
totius diuinæ scripturæ: in quo septem libros Iuliani Imp. aduersus sacrosancta
Biblia editos, euertit. Moritur anno domini 440. relictis triginta & sex historia-
rum libris.

PHILON, Carpathius episcopus, scripsit in Canticum Canticorum græcam expositionem, cuius initium est, *Qui equorum certamina*. quæ non unius Philonis esse existimatur, sed plurium autorum. quoniam qui apud græcos Philonis nomine circumfertur commentarius, breue admodum opusculum est. sunt, qui putent ab Eustachio, & Eusebio, quorum rogatu Philo ipse commentariolum hunc confecerat, multis fuisse accessionibus locupletatum. quod an ita sit, haud temere ausim affirmare. De Philone autem testis est Suidas his uerbis: *Φίλων καρπάθιος ἑγραφετὸν ὑπόμνημα εἰς Ἀσμα τῶν Ἀσμάτων*. De illis uerò nihil certi me legisse memini, nec quo tempore fuerit. Stephanus Salutatus, Piscienfis, commentarios istos latinos fecit.

PHILO Iudæus, patria Alexandrinus, Leuitici sanguinis, in quem unum omnes sese Christianorum patrum laudes effundunt, ab Eusebio & Hieronymo in catalogo scriptorum ecclesiæ idcirco positus est, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam ecclesia scribens, Christianorum gentem miris encomiis exornauit. hic sanè uir fuit Pythagoricæ, Platonicæ, & Aristotelicæ philosophiæ peritia omnibus suæ memoriæ hominibus longè superior: sed & græcæ facundiæ inter omnes tam Christianos, quàm Iudæos, & ethnicos ætatis suæ facile principem locum obtinuit. unde etiam ab ipsis græcis Plato Iudæus dictus est; ab itaque de eo apud illos in prouerbum, *ἢ Πλάτων φιλονίζα, ἢ φίλων πλατωνίζα*. hoc est, **AVT PLATO PHILONIZAT, AVT PHILO PLATONIZAT**. tanta fuit amorum similitudo sensus, & eloquij. Non defuere tamen, qui ei propriæ, hoc est hebraicæ linguæ imperitiam ascripserint. Huius opera in tantum admirati sunt Romani, ut digna existimarent, quæ in ipsorum publica bibliotheca, tanquam monumenta quædam, reponerentur. Fuit præterea ultra quàm dici queat, admirabilis in diuinis scripturis exponendis; quas triplici sensu iuxta Lxx. editionem præclarissimè explicauit, literali scilicet, morali, & præcipuè allegorico in quo quidem expositionis genere ita excelluit, ut omnes peruetusti ecclesiæ doctores in deducendis mysticis allegoriis imitati sint ipsum, tanquam primum sacrarum allegoriarum inuentorem & artificem; qui ut diuinam sapientiam, ueluti reginam, in throno suo honorificentius collocaret, ancillarum suarum famulitio stipatam, innumera de secularibus scientiis in suis explanationibus assumpsit, præcipuè uerò de physicis disciplinis iuxta Peripateticorum sententiam, & de ultra mundanis speculationibus secundum Pythagoræ & Platonis mentem.

SCRIPSIT autem in uetus testamentum plurima & nobilissima uolumina: quæ Eusebius secundo ecclesiast. historia in tres classes digessit, hoc est, primo in libros continuæ explanationis: secundo in libros quæstionum, continentes sparsim de diuersis scripturæ capitulis; in quibus, quæ requiri debeant, & proponit, & soluit: tertio in libros propositiōum, in quibus uarias scripturæ sententias separatis commentariis pertractat. His classibus addi possunt alij tres ordines librorum eius, uidelicet Grammatici, Historici, siue Paraphrastici, & Chronographici; quos ipse ad intelligentiam dictionum, historiarum, ac temporum, in sacris literis contentorum, conscripsit: Ex his igitur tam diuersi generis opusculis tantum infra scripta, quorum maior pars ad Pentateuchum pertinent, sub diuersis titulis inueni, partim à Lælio Typhernate, & Sigismundo Gelenio in latinum conuersa, partim à uetustis autoribus hinc inde citata. sunt autem hæc:

DE interpretatione Hebraicorum nominum, quæ in ueteri testamento reperiuntur, iuxta ordinem uoluminum sanctæ scripturæ liber unus, secundum literarum seriem dispositus: in quo omnium nominum etymologiæ, siue proprietates summa fide, ac diligentia græcè explicantur. cui Origenes Adamantius adiecit interpretationes omnium hebraicarum dictionum, quæ in nouo testamento habentur; ut quod Philo quasi Iudæus omiserat, ipse ut Christianus impleteret. Transtulit hunc librum B. Hieronymus, præposita præfatiuncula, quæ operis autorem testaretur. ea incipit, *Philo, uir disertissimus &c.*

ΕΡΙΤΟΜΕ Chronicon, hoc est breuiarium temporum: in quo omisiss fabulosis gentilium

A gentilium historicorum supputationibus, omnem annorum numerum ab initio mundi usque ad Christum iuxta ueritatem scripturæ sacræ, & secundum tempora uitæ uirorum illustrium ueteris testamenti exactissimè fidelissimeque supputatur. Hunc Ioannes Annius, Viterbiensis, ordinis Prædicatorum, locupletissimis commentariis, ex Beroso, Methastene, Manethone, Xenophonte, Fabio pictore, & Catone collectis, splendidissimè illustrauit. Operis initium est, *Ab Adam usque ad diluuium*.

B LIBER, qui BIBLICARVM ANTIQVITATVM prænotatur, in quo per modum breuis historiæ uetus omne testamentum perstringitur: sed phrasia eius ubique hebraicam redolens, & narratio rebus apocryphis passim abundans, indicant opus aut huius non esse Philonis; aut, si fortè eius sit, non græco, sed hebraico sermone ab ipso fuisse conscriptum. Operis initium est, *Initio mundi Adam genuit tres filios*. cuius ego tantum fragmentum uidi, hoc est à generatione filiorum Adæ usque ad obitum Saulis, primi regis Iudæorum.

IN totum Geneseos librum iuxta Lxx. interpretum editionem quamplurima, sub diuersis titulis elegantissima græca opuscula, triplici explanationis genere distincta, hoc est, in Commentaria continuatæ expositionis, in Commentaria propositionum de Genesi expositarum, & in Commentaria quæstionum & solutionum, ex quibus opusculis tantum reperi libros triginta quinque, maiori ex parte à typographis excusos, reliquos uerò partim à diuersis uetustis autoribus, partim ab ipso Philone citatos. Horum omnium inscriptiones, argumenta & initia, iuxta seriem capitulorum Geneseos à nobis primum disposita, hæc sunt:

IN Geneseos caput primum *Περὶ τῆς νομοποιίας*, hoc est De Mundi opificio, sine De ea, quam Moses describit, mundi generatione liber unus: in quo uerba totius primi capitis literali & allegorica explanatione sublimiter & copiosè explicantur. liber incipit, *Τῶν ἄλλων νομοθετῶν*. Ceteri legislatores.

C IN Gen. caput 2. De allegoriis sacræ legis post sex dierum opus liber primus: in quo exponuntur allegoricè omnia, quæ narrantur ab initio secundi capitis usque ad ea uerba eiusdem capitis, *In quacunque hora comederitis, morte moriemini*. Libri initium est, *Igitur perfecti sunt cæli &c.* Postquam de mentis &c.

IN Gen. caput 3. De allegoriis sacræ legis liber secundus, continens allegoricam expositionem illorum uerborum, *Et abscondit se Adam, usque ad illa, Terra es, & in terram reuerteris*. Libri exordium est, *Δόγμα ἀσχηγῆναι*. Dogma introducit.

IN Gen. caput 3. De Cherubin, & flammeo gladio, & de Caino, quæ primus ex homine natus est, liber unus: in quo triplici sensu enarrantur uerba Mosis ab eo loco, *Et expulit dominus Adam de paradiso, usque ad locum illum 4. cap. Possedi hominem per Deum*. Liber hoc habet principium, *Καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδὰμ*. hoc est, *Et expulit dominus Adam*. Hunc dicit expulsus.

D IN Gen. caput 4. De sacrificiis Abelis, & Caini liber unus: in quo explanatur locus ille, *Rursumque peperit fratrem eius Abel, usque ad illum locum eiusdem capitis, Subtus te erit appetitus tuus &c.* Libri principium est, *Καὶ προσέθηκεν τεκεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἀβὲλ*. id est, *Et apposuit parere fratrem eius Abel*.

IN Gen. caput 4. De eo, quod deterius potiori insidiari soleat, liber unus, explanans residuum huius capitis ab illa sententia, *Dixitque Adam, Egrediamur foras, usque ad illam, Egressus est Cain à facie domini*. Liber sic incipit, *Καὶ αἶπε Καὶν πρὸς Ἀβὲλ*. Et dixit Cain ad Abel.

IN Gen. caput 5. De successione generis humani liber unus, continens enarrationem genealogiæ, seu posteritatis Adæ. Liber incipit, *Ἀδὰμ ἐγέννησε*. Adam genuit tres filios.

IN Gen. caput 6. De Gigantibus liber unus, edifferens uerba illa in initio capitis, *Cumque cœpissent homines multiplicari, usque ad illa, Postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum*. Liber incipit, *Καὶ ἐγένετο*. Et factum est &c. *Quærendum opinor, cur post &c.*

In Gen.

In Gen. cap. 6. quod Deus sit immutabilis liber unus : in quo explicantur A uerba illa, Posteaquam ingressi sunt filij Dei & c. & Pœnitent me fecisse hominem, usque ad illa, Finis uniuersæ carnis uenit coram me. Liber sic orditur, Καὶ μετ' αὐτοῦ φησὶν. Et post hoc ait.

In Gen. cap. 9. De agricultura liber unus, exponens propositionem illam, Cœpitque Nohe uir agricola exercere terram. in quo de spiritali animi per uirtutes cultura pertractat. cuius initium est, Καὶ ἤρξατο Νῶε. Cœpitque Nohe.

In Gen. cap. 9. De plantatione Nohe liber unus : in dictum illud, Planta- uit Nohe uineam. Εν μὲν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ. In primo quidem libro.

In Gen. cap. 9. De temulentia Nohe liber unus in dictum illud, Bibensq; Nohe uinum, inebriatus est. cuius initium est, Εν μὲν τῶν ἄλλοις φιλοσόφοις εἰρημῆνα περὶ μέθης. Quæ ab alijs philosophis de ebrietate dicta sunt. in quo enarrat, quid my- stica Nohe significet ebrietas.

In Gen. cap. 9. De resipiscencia Nohe liber unus. in dictum illud, Euigi- B lans autem Nohe ex uino & c. qui incipit, Τὰ περὶ μέθης. Post ea, quæ de ebrietate.

In Gen. cap. 11. De confusione linguarum liber unus, in illud, Erat autem terra labij unius &c. qui incipit, Περὶ μὲν δὲ τῶν ἀρῆσει τὰ εἰρημῆνα. Hæcenus de his dixisse sufficiat.

In Gen. cap. 12. De migratione Abrahami liber unus in illud, Dixit domi- nus ad Abraham, Egredere de terra tua, usque ad illud, Tulitque Saram uxorem suam. eius initium est, Καὶ εἶπε κύριος. Et dixit dominus.

In Gen. cap. 12. De Abrahamo, siue De uita sapientis per doctrinam perfe- cti, siue De legibus non scriptis, liber unus: in quo uitam Abrahami, & singula eius gesta, quæ ab initio capituli 12. usque ad 23. caput referuntur Philo histo- ricè & mystice exponit, ostendens Moysem in Abrahamo imaginem, exemplar, ac legem uiri theoretici, seu per contemplationem sapientis coloribus quodam modo uiuis depinxisse. liber incipit, Τῶν ἱερῶν νόμων ἐν πέντε βίβλοις. hoc est, Sa- C cra legis quinque uolumina.

Abraham uiri speculatiui exem- plar.

In Gen. cap. 15. De mercedibus liber unus in illud, Ego sum merces tua magna nimis. quem ego non uidi : citatur tamen à Philone in præfatione libri De hærede diuinarum rerum.

In Gen. cap. 15. De hærede diuinarum rerum, uel Quis rerum diuinarum sit hæres, liber unus : in quo totum quintum decimum capitulum continuæ expo- sitionis serie explicatur. Libri principium est, Εν μὲν τῇ πρὸ ταύτης βίβλῳ. In pro- ximè præcedenti libro.

In Gen. cap. 16. De congressu quærendæ eruditionis gratia liber unus super illud, Igitur Sara uxor non genuerat, usque ad illud, Affligente igitur eam Sara : quo in libro allegoricè ostendit, quod anima nostra non est idonea prolem bono- rum operum ex diuina sapientia suscipere, nisi prius congregiatur cum eius fa- mula, hoc est sæculari literatura, exemplo Abrahæ, qui de Sara sobolem non po- tuit accipere, nisi posteaquam cum Agar ancilla Aegyptia concubuit. Liber inci- pit, Σαρῶ δὲ ἦν γυνὴ Ἀβραάμ. Sara autem erat uxor Abrahæ. D

Abrahæ congres- sus cum Sara quid significet.

In Gen. cap. 16. De profugis liber unus: in quo exponuntur uerba scripturæ ab eo loco, Affligente igitur eam Sara, usque ad finem eiusdem capituli. eius ini- tium est, Καὶ ἐποίησεν αὐτῇ Σαρῶ. Et afflixit eam Sara.

In Gen. cap. 17. De circumcisione liber unus super illud, Circuncidetur ex uobis &c. in quo traditur circumcisionem institutam esse à Deo ob sex causas, qua- tuor uidelicet physicas, & duas mysticas. Capita legum & c.

circumcisionis causa sex.

In Gen. cap. 28 De somniis liber unus, cui testatur Philo alterum quoque li- brum se De somniis præmississe, sic in præfatione scribens: SUPERIORE tractatu diximus de priore somniorum diuinitus missorum specie, quando cœleste numen ultro per somnum uisiones immittit : dicemus nunc de posteriore, quando nô- stra mens mota uidetur per se ipsam diuinare, præfagireque, quid ferant futura tempora. Explicat autem hoc libro mysticam significationem celebris illius in- somnij

A somnij Iacob de scala cœlesti, capite 28. descripti. Hieronymus & Sophronius as- ferunt Philonem scripsisse De insomniis libros quinque : sed de his nullum uidi, præter hunc unum, cuius initium est, Η μὲν εἶναι πρὸ ταύτης γραφῆ. In proximè præce- denti tractatu.

In Gen. caput 35. De mutatione nominum, uel Quare quorundam in scriptu- ris mutata sint nomina, liber unus in illud, Non uocaberis ultra Iacob, sed Israel. qui liber, à Hieronymo & Sopronio citatus, nondum mihi uisus est.

In Gen. caput 37. De uita uiri ciuilib, siue De Ioseph liber unus: in quo uita ac gesta Ioseph enarrantur, exponunturq; iuxta ea, quæ à 37. capite usque in fi- nem libri scripta sunt; ostenditurq; exemplo Ioseph, qualis sit uir uerè Politicus, Ioseph politici & ad gubernacula reip. idoneus. Liber incipit, Τρεῖς μὲν εἰσιν ἰδέου. Tres quidem uiri exemplar. sunt species.

PRAETER hæc scripsit etiam quæstionum, & solutionum in totum Geneleos uo- lumen libros tres; quos ego nondum uidi: legi autem sub nomine Philonis Iudæi fragmentum quæstionum & solutionum in Genesim : quod quidem ipsa doctrina & phrasis arguunt uiri esse Iudæi, non tamen Philonis. nam præterquam quod Philonis nomen in ipso opere non semel citatur, & eiusdem sententia taxatur : dam- nantur etiam in eo nominatim Apollinaristæ hæretici, quod negauerint animam humanam fuisse in Christo. quanquam non negauerim potuisse hoc accidere uitio imperiti scriptoris, qui intra contextum autoris ea inseruit, quæ fortè studiosus quispiam extra contextum literæ in margine libri annotauerat. exponuntur autem in hoc fragmento allegoricè totum ferè 25. & 27. Geneleos caput. eius initium est, Quare quadraginta annorum erat Isaac, cum nupsisset?

VLTRA supradictos libros Eusebius, Hieronymus & Sophronius testantur Phi- lonem scripsisse in Genesim De natura & inuentione rerum librum unum, De di- uisione æqualium & inæqualium librum unum, De pactis libros duos. Atque hæc est summa librorum triginta quinque Philonis in Genesim : ex quibus Basilius & Ambrosius multa in commentariis suis super Genesim, ut infra annotabimus, mutuarunt. Fertur & alia multa præclara opera elucubrasse in Genesim, quæ me prorsus latent. Volfangus Lazijs, Viennensis, Cesareæ maiestatis historicus, dicit extare in bibliotheca sua commentaria quædam Philonis in Genesim & in Exodum cum præfatione D. Hieronymi, ab incerto interprete translata. Scripsit post hæc

IN EXODVM libros 13. quorum inscriptiones & initia hæc sunt:

QVAESTIONVM ac solutionum in Exodum libri quinque.

DE uita Moysis, siue Paraphraseos uniuersæ historiar, quæ in Exodo ac tribus fe- quentibus libris describitur, libri quatuor; quorum initium est, Μωυσέως τὸ κατὰ μὲν τίνας νομοθέτη. hoc est, Moysis, ut quidam censent, legislatoris.

IN Exod. cap. 20. De Decalogo, quod est totius iuris summarium, liber unus.

Βίβλος τῶν κατὰ Μωυσέα σοφῶν ἀνδρῶν? hoc est, Vitæ sapientum quos Moyses.

D IN Exod. cap. 20. De specialibus legibus, quæ referuntur ad duo Decalogi præcepta, sextum uidelicet contra libidinosos, ac septimum contra homicidas, li- ber unus. Ην ποτὲ χρόνος. Fuit olim tempus.

IN Exod. cap. 20. De Iudice & testibus, quod ad penultimum Decalogi præ- ceptum pertinet, liber unus. Quibusdam placet

IN Exod. cap. 25. Περὶ τῆς σκηνῆς. hoc est De tabernaculo liber unus.

IN Leuiticum De monarchia liber unus, qui SECVNDVS inscribitur, pertra- ctans de conditionibus & officijs sacerdotum, in Leuitico enumeratis. cuius ini- tium est, Τὸ μὲν ἀρωατά. Superum quidem.

DE sacerdotum præmiis & honoribus, in Leuitico descriptis, liber unus. Τῶν ἱερέων. hoc est Sacerdotibus & c.

DE Victimis, seu De animalibus, sacrificio idoneis, & de uictimarum generi- bus, quæ in Leuitico referuntur, liber unus. Τῶν ἐνταῦς ἱεροργίου εἰδῶν. Anima- lium, quæ in sacris.

DE Victimis offerentibus, uel quales esse debent uictimarum oblatores, liber

unus. Βέλεται τὸν ἀγὸντα τὰς θυσίας. hoc est *Offerenti uictimam.*

IN DEUTERONOMION propositionum expositarum libri quatuor; quorum inscriptiones, & initia sunt hæc:

IN Deut. 17. super illud, Non poteris alterius gentis hominem regem facere: liber unus, explicans, quales conditiones exigat eligendus in principem. cuius initium est, *Εἵτοι τὰς κληρώτας ἀσηγύσαντο ἀρχάς.*

IN Deuter. 20. & 22. De fortitudine liber unus: in quo contraxit, & exposuit præcepta proficiscentium in bellum, quæ habentur Deut. 20. & præcepta pertinentia ad uestitum tam uirilem, quam muliebre, ex 22. cap. Deut. Operis initium est, *De iustitia, & his & c.* in cuius præfatione testatur se scripsisse alios duos libros, alterum de Iustitia, alterum de Modestia.

IN Deuter. 23. liber unus, De meretricis mercede non recipienda in sacrum, super illud, Non offeres mercedem postribuli. qui incipit, *Πάνν καλῶς ἐν ταῖς ἱεραῖς τῷ νόμῳ. Maximè pulchrum in sacris leg.*

IN Deuter. 28. liber unus. *Περὶ ἀθλῶν καὶ ἐπιτιμῶν.* hoc est, De præmiis, pœnis, & execrationibus, quas Deus proponit his, qui ius fasque colunt, uel negligunt. cuius initium est, *Τὸ προφήτη Μωυσέως λόγιον. Mosis propheta sermonum.*

ALIA quoque multa in Mosen scripsisse dicitur, quæ ad manus meas non perueniunt. Floruit sub Caio Imper. ad quem legatus suæ gentis missus est, & sub Claudio & Nerone Imperatoribus, usque ad annum salutis nostræ quinquagesimum.

PHOTIVS, Patriarcha Constantinopolitanus, in colligendis patrum sententiis sedulus, excerpfit ex uariis autorum commentariis in omnes Pauli epistolas laudatissima scholia: quorum magna pars in Catena expositionum Oecumenij legitur. Claruit sub Michaelē & Theodora matre anno domini 810.

PIERIVS, Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, sub Caro & Diocletiano Principibus, eo tempore, quo eandem ecclesiam Theonas episcopus regebat, florentissimè docuit populos, & in tantam sermonis diuersorumque tractatum uenit elegantiam, ut Origenes Iunior uocaretur. constat hunc mirè ἀσκησεως, & appetitorem uoluntariæ paupertatis, scientissimumque dialecticæ & rhetoricæ artis, & post persecutionem omne uitæ suæ tempus Romæ fuisse uersatum. Hic in Oseam prophetam longissimum tractatum reliquit, quem in exordium huius prophetæ die uigiliarum dominicæ passionis extemporaliter & disertio sermone profudit. Hæc Hieronymus in catalogo, & præfatione Oseæ. Scripsit etiam in priorem ad Corinthios epistolam commentarios locupletissimos, quorum mentio Hieronymus in epistola ad Pammachium, quæ incipit, *Christiani pudoris.* Claruit sub Diocletiano Imp. anno domini 290.

PLACIDVS Parmensis, ex ordine Prædicatorum, theologus nostrorum temporum celebris, reliquit in omnes Dauidicos psalmos explanationem, eruditione, elegantia & breuitate insignem; quam nuper Veneta academia typis suis excudit, Henrico Gallorum regi dicatam. Moritur anno domini 1558.

POLYCHRONIVS, Episcopus Apamenus, Theodori Mopsuestiæ episcopi frater, & Diodori Tarsensis episcopi auditor, uita & uerbo optimè docens, scripsit græca commentaria in Iob, & in Ezechielem: quorum fragmenta plurima habentur in Catena græca explanationum in Iob: & in uolumine Ioan. Damasceni aduersus imaginum destructores nonnulla citantur. Claruit anno domini 400.

PONTIVS Carbonellus, ordinis Minorum, sancti Ludouici regis Franciæ præceptor, Postillam in utrunque testamentum scripsit.

PRECIOSA Catena super quadraginta psalmos, numero & ordine succedentes, ex orthodoxis patribus latino sermone collecta, & nondum typis excusa, habetur Venetiis in nobilissima Venetorum academia.

PRECIOSA Catena Græca in omnes prophetas tam maiores, quam minores, collecta ex explanationibus præstantissimorum patrum, extat manu descripta apud inclytam Venetorum academiam; quam speramus propediem in lucem prodituram.

PRIMASIVS,

PRIMASIVS, Vticensis in Africa episcopus, diui Augustini, ut creditur, discipulus, collegit in omnes Pauli epistolas ex Ambrosij, Hieronymi, Augustini, & aliorum patrum monumentis Collectanea: in quibus ita contra Pelagianos pro gratiæ defensione inuehitur, ut aliquando libertati arbitrij nostri, ac meritis nostris præiudicare uideatur. horum initium est, *Primo intelligere nos oportet.* Scripsit etiam ad Castorium in Apocalypsin commentarios mysticæ expositionis, collectos tum ex Augustini explanationibus, tum ex Ticonij Afri commentationibus. ex quibus ueluti gemmas de stercore secernens, ea tantum deslorauit, quæ eligenda fuerant, omisis his, quæ non essent sanæ doctrinæ consentanea. opus incipit, *Tuis uir illustris.* Claruit anno domini 440.

PROBA Falconia, illustris fœmina, Adelphi Romani proconsulis uxor, rari & elegantis ingenij, matrona græcè & latinè ad summum erudita, diuinarum literarum amantissima, & quasi altera Christianorum latina Sappho, prima omnium excogitauit ex uersibus Virgilij Maronis, quem totum memoria tenebat, uarios utriusque testamenti locos metricè describere. Excerptis ergo hinc inde ex Virgilij poemate nunc integris uersibus, nunc hemistichijs, & hemistichiorum particulis, propositum opus, ueluti centonem, ex multis preciosis pannis, ac laciniis insutum, seruata hexametrij lege, collegit, ipsumque VIRGILIOCENTONAS inscripsit. eius initium est,

Tandudum temerasse duces pia fœdera pacis.

Fulgosus in Collectaneis suis refert eandem hoc ipsum Homericis carminibus confecisse. Sunt, qui putent huius fœminæ opera Romanam urbem primùm in potestatem Gothorum uenisse, anno ab eius origine 1164. cum enim iam biennium Alaricus, Gothorum rex, urbem obsideret, & Romana plebs absque ulla spe auxilij passim fame, ac morbis pecudum more caderet; Proba, communem calamitatem miserata, portam Gothis patefecit; tolerabilius existimans barbarorum imperium pati, quam totam urbem fame, ac peste interire. Claruit sub Honorio & Theodosio Iuniore circa annum domini 430.

PROCLVS, post Maximianum Constantinopolitanus episcopus, ex primæua ætate lector fuit, & theoricæ operam dedit: cum autem in uirum euassisset, episcopo Constantinopolitano frequenter aderat, & librorum eius amanuensis fuerat; à quo diaconus & presbyter ordinatus, deinde episcopus Cyzigenus, postea Constantinopolitanus, Theodosio Iuniori charissimus fuit. hic cum Scythæ, duce Ruga, aduersus Romanum imperium arma sumpissent, edidit in prophetiam Ezechielis capite 39. *Fili hominis uaticinare contra Gog & Magog*, luculentissimam orationem; in qua adaptans uaticinium ad occasionem præsentis belli, pœnas, ab Ezechiele prædictas, barbaris imminere prædixit. quam prædictionem statim Deus comprobauit igne cœlitus demisso, & præcipuis barbarorum incendio absumptis.

SCRIPSIT etiam in illud Esaiæ 9. *Puer natus est nobis*, sermonem unum: cuius initium est, *Τὸ παιδίον ἐγέννηθη ἡμῖν.* quem citat Theodorus Monachus in libro, Quod pater semper generat. Claruit sub Theodosio Iuniore anno domini 400.

PROCOPIVS Gazæus, sophista, Christianus, uir liberaliter eruditus, & græca eloquentia facundus, conscripsit græco sermone primùm enarrationes in Octa teuchum; quas ex patribus orthodoxis, aliisque græcis autoribus magna diligentia comportauit, secutus uaria monumenta & homilias piorum hominum. ceterum cum singulorum sententias, nihil etiam mutatis uerbis, parum curans, siue inter se dissentirent, uel consentirent, illo in opere lectori proposuisset, & exinde uolumen eius immensum creuisset; uoluminis magnitudinem paululum diminnere deliberauit. quod ut commodius fieret, statuit illa, in quibus unanimiter conuenirent auctores, semel dicere: sicubi uerò disiderent, ut ea innotescerent lectori, ea paucissimis explicauit, uolens omnium interpretationes in perfecti corporis consonantiam redigere; ex quo ceu fonte unico liceret lectori omnium explanationes haurire, ac si unus, & solus loquatur. uerùm, ut essent omnia magis dilucida, perspicuaque, interdum & de suo aliquid adiecit. Fusior est in Genesi & Exodo, pressior in sex li-

M m m 2 bris

bris sequentibus; in quibus ueluti annotationes quasdam collegit. Edisserit autem iuxta quadruplicem diuinæ scripturæ intelligentiam non solum Lxx. interpretum, Aquila, Symmachi, Theodotionisque editiones, & Samaritanorum, ac Iudæorum codices; sed & diui Hieronymi, quem sæpe nominatim citat, uersionem, à Sophronio ex latino in græcum conuersam. Operis principium hoc est, *Antè quidem Deo ceptis benignè aspirantibus & c.* Scripsit eodem ordine & cura in Esaiam commentarios, qui nondum latinè uersi in bibliotheca Marciana Venetorum seruantur. Claruit, quantum coniectura assequi potuimus, sub Anastasio Imp. anno domini 500.

PROSPER, Rhegij Flaminæ in Italia episcopus, natione Aquitanus, Leonis Papæ primi quondam notarius, uir acris ingenij, dictionis pressæ, neruosa, & elegantis, magnam cum uitæ sanctitate diuinarum & humanarum rerum eruditionem habens, scripsit in quinquaginta postremos psalmos, hoc est à psalmo centesimo usque ad ultimum, breuissimos iuxta literalem, ac spiritualem sensum commentarios, stricto & arguto expositionis genere comprehensos: quorum initium est, *Misericordiam & iudicium & c. Psalmus iste de primo uersu & c.* Item de promissionibus, & prædictionibus Dei libros tres; quibus omnia uaticinia, & pollicitationes de Christo, & ecclesia in sacris literis expressas elucidauit. Libri exordium est, *Omnis fidei ratio.* Claruit sub Leone Magno Aug. anno domini 460.

PSELLVS, Græcus autor, scripsit in Canticum Canticorum ad Stephorum commentarios breues & dilucidos; quorum initium est, *Cum animus tuus, ò Stephophore, discendi auidus.*

R



RA B A N V S Magnentius Maurus, sextus archiepiscopus Moguntinus, natione Germanus; ex urbe Fuldenfi in Bucunia, quartus abbas quondam cœnobij Fuldenfis, ordinis D. Benedicti, Albini Anglici auditor, uir omnium disciplinarum cognitione absolutissimus, rhetor, poeta, astronomus, philosophus, & theologus, cui nullum parem eo sæculo Germania habuit; hic, inquam, offensus improbitate monachorum suorum, qui eum damnabant, quod nimium sacrarum literarum studiis intentus temporalia negligeret, ingratos deseruit, & ad Ludouicum Augustum se recepit, & cum eo mensibus aliquot permansit, reuocantibus eum obnixè monachis, quos iam facti penituerat: sed non impetrarunt, ita uolente Deo, qui ipsum paulò post in eorum confusionem ad Moguntinum archiepiscopatum assumpsit. is ergo, cum adhuc esset in monasterio suo, hortatu Freculsi episcopi Lexouiensis, & Ludouici, ac Lotharij Augustorum composuit in omnes diuinas scripturas iuxta literæ sensum, & spiritualem intelligentiam commentariorum libros 172. quos ex omnibus latinis patribus continuata serie à Hieronymo usque ad Bedam collegit, seruatim ubique ipsorum dictis, ac sensibus: & in his locis, in quibus patrum expositionem non inuenit, propriis explanationibus usus est, notatis in fronte paginarum tam suo, quam aliorum interpretum nominibus, quorum sententiæ in codicibus coaptauerat, ut sciret lector, & quid à patribus, & quid ab eo haberet, & quo iudicio singula forent legenda. Præter hæc etiam collegit in omnem diuinam scripturam Dictionarium mysticarum significationum, ad spirituales sanctorum uoluminum sensus utilissimum. Horum uoluminum ipse tantum infra scripta legi, typis excusa, initiis maiori ex parte diuersis ab his, quæ Tritemius in catalogo suo annotauit:

| | | |
|----------------------------------|-----------|-----------------------------------|
| In Genesim ad Frecul. Lex. epif. | libros 4. | <i>Magnorum uirorum conatuen.</i> |
| In Exodum ad eundem | lib. 4. | <i>Inter cæteras scripturas.</i> |
| In Numeros ad eundem | lib. 4. | <i>Numerorum librum.</i> |

In

- A** In Deuteronomion ad eundem lib. 4. *Decursus igitur:*
 In Ecclesiasticum ad Otcariū archiep. lib. 10. *Sciens beneuolam.*
 In Ieremiam ad Lotharium Imper. libros 18. *Post commentariolos.*
 In Threnos ad eundem lib. 3. *Ultimam partem Ieremia.*

quos typographi, Hieronymianis operibus insertos, & falsò HIERONYMI titulo inscriptos, uenditarunt. cæterarum lucubrationum initia, nondum à nobis conspecta, habes apud Tritemium. Floruit anno domini 855.

RADVLVS, Monachus Benedictinus Flauiacensis, uel, ut alij dicunt, Fuldenfis in Germania cœnobij, uir in literis politioribus suo tempore clarissimus, & in explanandis scripturis diuinis diuinum fortitus ingenium, edidit commentariorum in Lenticum libros uiginti: quibus ita disertè, piè, & eruditè omnia huius libri mysteria tam secundum historicum, quam secundum spiritualem sensum explicauit, ut in comparatione eius cæteri eiusdem libri expositores minimè exposuisse uideantur. Operis exordium est, *Cum inter socios aliquando de Iudæorum contentione sermo incidisset.* Scripsit etiam in omnes Pauli epistolas libros quatuordecim. Claruit anno domini 910.

RAINALDVS Pipernàs, ordinis Prædicatorum, collegit ex explanationibus D. Thomæ Aquinatis scholasticam Lecturam in euangelium Ioannis, incipientem, *Vidi dominum.* extat manu scripta in bibliotheca Prædicatorum Bononiæ.

RAINERIVS Snoygoudanus, medicus, collegit ex Hieronymo, Annobio, Augustino, Casiodoro, & ex alijs uetustis patribus Paraphrasim, seu potius Scholia in omnes Dauidicos psalmos: quos ita explanauit, ut ne ullum quidem uerbum ab eo ommissum sit, interpositis intra contextum glossulis adeò ferruminaatis, ut nisi characteribus disparibus uerba psalmi distincta sint, hæc ab illis distinguere non possint; additis quoque sub finem singulorum psalmorum nonnullis pijs precatiunculis, ex uisceribus præcedentis psalmi excerptis. Opus incipit, *Psalterium sacrosanctum.* Claruit anno domini 1550.

REMIGIVS, Antiodorensis episcopus, monachus Benedictinus, in diuinis & humanis literis eruditissimus, doctrina & sanctitate illustris, scripsit succinctam enarrationem in omnes psalmos; in qua, quæcunque Ambrosius, Augustinus, & Casiodorus scripserunt in psalmos, breuissimè coarctauit, adiectis etiam, ac de suo intermixtis non omnino spernendis cogitationibus. Opus incipit, *Dicendum, quid sit propheta.*

SCRIPSIT item consimili industria in Pentateuchum libros quinque.

IN Cantica Canticorum librum unum. *Salomon inspiratus.*

IN 12. Prophetas libros duodecim.

IN Matthæum librum unum.

IN omnes Pauli epistolas libros 14.

Claruit sub Carolo Caluo Imp.

anno domini 880.

REMIGIVS Nanninus, Florentinus, ex ordine Prædicatorum, theologiæ professor, poeta elegantis ingenij, historiarumque peritus, scripsit in sacros utriusque testamenti libros Annotationes non penitendas: quibus historiam uirorum illustrium, & descriptionem animalium, plantarum, lapidum, montium, fluminum, urbium, oppidorum, cæterarumque huiusmodi rerum, quæ passim diuina scriptura commemorat, diligentissimè complexus est. collegit etiam in encyclicas epistolarum, & euangeliorum lectiones Scholiorum uolumen, italica lingua editum; & Dauidicos psalmos. Hetruscis carminibus reddidit. Viuit usque ad præsentem salutis nostræ annum 1566. annos natus 44.

RAETHICIVS, Hæduorum Augustudunensis episcopus, celeberrimæ famæ in Galliis habitus, à Constantino Imperatore sub Syluestro Papa ob causam Montensium missus est Romam: ubi prius sub Miltiade Papa unà cum his interfuerat, qui Donatum schismatis autorem damnauerant, & Cæcilianum, episcopum ecclesiæ Carthaginensis, absoluerant. hic commentarios in Cantica Canticorum

M m m 3 rum

rum edidit; cuius Hieronymus, ad Marcellam scribens, eloquentiam Gallicano cothurno elatam probat, eruditionem uerò & iudicium improbat. Vixit anno domini 320.

RICHARDVS, Cluniacensis Monachus, doctus & pius, composuit librum, prænotatum Τὸν ἀντιμεθένον, hoc est, CONTRARIORVM, SIVE CONTRAPOSITORVM, comprehendentem quæstiones ex utroque testamento in speciem pugnantes, earumque dilucidæ solutiones, secundum interrogationem & responsionem succincta breuitate explicatas: cuius initium est, *Cur in Genesi septem & c.* Alfonsus Castrensis lib. 14. aduersus hæreses Saluiano, Malsiliensi episcopo, tribuit hoc opus. Claruit sub Friderico Imp. primo anno domini 1160.

RICHARDVS Excestriensis, Anglus, scripsit Postillam in psalmos anno domini millesimo trecentesimo ac trigesimo.

RICHARDVS Lauinan, Carmelita, Anglus, scripsit Postillam scholasticam in Esaiam anno domini millesimo trecentesimo octogesimo primo.

RICHARDVS Mediauillanus, Anglicus, ex ordine Minorum, in diuinis scripturis, in iure pontificio & in doctrinis sæcularibus apprime eruditus, scripsit sermone scholastico in quatuor euangelia libros quatuor, singulos in singulos anno domini 129.

RICHARDVS, monachus & prior cœnobij Victorini Parisiensis, ordinis canonicorum Augustinensium, uir honestate conuersationis, & eruditionis doctrina conspicuus, ingenio subtilis, & eloquio medius inter Augustini argutiam, & Bernardi dulcedinem incedens, scripsit multa in diuinas scripturas mystici sensus opuscula; in quibus intellectum erudit, affectum accendit, & lectoris studium ad maiora promouet, ac producit. Ex horum numero sunt,

HEROMES totius diuinæ scripturæ liber unus.

In Gen. cap. 14. De Melchisedech mysticè liber unus.

In Gen. cap. 15. De sacrificio Abrahamæ mysticè lib. 1.

In Gen. 49. cap. De benedictionibus patriarcharum lib. 1.

In Exod. 26. De tabernaculo fœderis libri duo, unus ad literam, alter mysticus.

In 3. libum Regum ex cap. 6. De templo Salomonis ad literam liber unus.

In eundem librum Chronographiæ ad D. Bernardum liber unus, ad intelligentiam eorum, quæ à duodecimo capite libri tertij Regum usque in finem quarti Regum scribuntur, maximè necessarius: in quo tractatur De diuisione regni Iudæ & Israel; & De concordia temporum regum corregnantium super Iudam & super Israel. suntque in eo tabulæ duæ, quarum prima repræsentat ea, quæ faciunt, & inferunt contrarietatem temporum regum corregnantium super Iudam & super Israel: secunda uerò ostendit concordiam eorundem regum corregnantium super Iudam & Israel. Liber incipit, *In his, quæ in libro Regum.*

ITEM in Canticum Canticor. interpolatæ explanationis commentarij, qui uarias eiusdem libri sententias hinc inde spiritualiter exponunt. Operis initio præfixa est præfatio quarti libri Dialogorum diui Gregorij his uerbis, *Postquam de paradisi gaudijs,*

SCRIPSIT quoque in illud Esaiæ 7. Ecce uirgo concipiet, libros duos, DE EMANUELE prænotatos; in quibus ad refellendam Iudæorum perfidiam fortissimè ostendit prædictum uaticinium non posse intelligi nisi de uirgine Maria. Opus incipit, *Ecce uirgo.*

AD HÆC elucidauit descriptionem templi Ezechielis, literaliter explanatione adhibita; in qua decentissimis picturis, ac geometricis demonstrationibus singulas templi partes diligentissimè expressit. Operis initium est, *Locuturus de Ezechielis edificio.*

EXARAVIT item in totum Daniele explanationis mysticæ librum unum, à Tritemio citatum: quem cum diu quæsitum non inuenissem; tandem magnam eius partem reperi in compendio Allegoriarum Godifredi Tilmanni super librum Danielis.

EDIDIT etiam explanationis multorum locorum in omnibus epistolis Pauli difficultium

A cilium librum unum; qui incipit, *Si ea, quæ de lege.*

COMPOSUIT & in Apocalypsin opus præclarum iuxta septem uisiones, quas Ioannes uidit, in septem libros diuisum: cuius initium est, *Accipe frater.* Claruit sub Conrado Imp. III. anno domini 1140.

RICHARDVS Pampolitanus, Anglofaxo, eremita, uir sinceræ pietatis & eruditionis, scripsit in Psalterium compendiosam lucidamque expositionem, incipientem, *Magna spiritualis iocunditas.* Item in lectiones, quæ in suffragiis mortuorum ex septimo & decimo capite Iob leguntur, libros duos; quorum posterioriorem ex dictis D. Gregorij collegit. Operis initium est, *Tædet animam meam.* Scripsit etiam in psalmum uigesimum peculiarem libellum, incipientem, *Cum Christus.* Et in Threnos Ieremiæ librum unum, exordientem, *Threni, ut ait Hieronymus.*

RHODON Asianus, Tatiani in scripturis sanctis auditor & discipulus, composuit græco sermone in primum Geneleos capitulum, quod à Græcis ΗΕΧΑΕΜΕΡΟΝ dicitur, elegantissimos tractatus, sive homilias ad populum: in quibus præcipuè hæresin Apellis Marcionistæ, asserentis mundum uniuersum à Deo malo conditum, fortissimè confutauit. Floruit temporibus Commodi & Seueri Imp. anno domini 200.

RVDOLPHVS Agricola, Frisius, omnium eruditissimorum sui temporis princeps, philosophus, rhetor, & poeta nobilissimus, græcæ, latinæ, & hebraicæ linguæ egregiè peritus, transtulit ex hebraica ueritate Psalterium, quod ab eruditis Hebrææ linguæ summopere commendatur. Claruit sub Friderico Imp. III. anno domini 1485.

RVDOLPHVS Baynus, Cantabringensis, in sacris eloquijs eruditissimus, & omnium linguarum, ac præsertim sanctæ linguæ publicus Lutetiæ professor, scripsit ad Henricum, regem Gallorum, in Prouerbia Salomonis commentariorum libros tres; in quibus historicum sensum, ab aliis antea expositioribus penè intactum, iuxta proprietatem linguæ hebraicæ candida & aperta expositione profectus est, allegoricis ac sublimioribus sensibus non neglectis. Operis præfatio sic incipit, *Præclarum magnis patribus est.* Claruit anno domini 1553.

RVDOLPHVS Langius, Germanus, Monasteriensis ecclesiæ in Westphalia canonicus, uir omnibus artibus ac scientiis exornatus, ingenij & eloquentiæ singularis, scripsit ad Hermannum Langium, eiusdem ecclesiæ diaconum, de urbe Hierusalem libros duos, ad intelligendum ea, quæ de Hierosolymitanis rebus diuina scriptura commemorat, non inuitiles: in quibus eius urbis antiquam formam, situm, statumque luculenter exposuit. Operis initium est, *Splendidissima quondam urbis.* Floruit sub Maximiliano Imp. anno domini 1444.

RVFINSVS Toranus, monachus, Aquiliensis ecclesiæ presbyter, rogante Paulino episcopo Nolano scripsit ad eum latino sermone De benedictione Iudæ patriarchæ librum unum iuxta triplicem diuinæ scripturæ sensum: cuius initium est, *Quanto magis ego me tibi excuso.* Deinde, eodem Paulino efflagitante, librum alterum edidit ad eundem; in quo cæteras undecim patriarcharum benedictiones triplici explanatione profectus est. Liber incipit, *Sciendum primò est.* Scripsit quoque in Oseam librum unum, in Amos librum unum, & in Ioelem librum unum. Claruit anno domini 400.

RVPERTVS Gallus, Carmelita, scholasticæ theologiæ professor, declamator sua lingua facundus, & scripturarum sanctarum non contemnendus expositor, scripsit in omnes epistolas Pauli libros quatuordecim anno 1350.

RVPERTVS Gouilletus, Parisiensis, academiæ doctor, collegit ex quatuor Euangelistis unicum euangelicæ historiæ corpus, quod TETRAMENON EVANGELICVM inscripsit. eius initium est, *Tametsi doctores.*

RVPERTVS Holchot, natione Anglicus, ordinis Prædicatorum, in scholastica theologia ualde exercitatus, & in sanctis scripturis exponendis præstans, scripsit Lecturam in librum Sapientiæ, quæ incipit, *Dominus petra mea.* & Lecturam

Lecturam in Canticum Canticorum. nouissimè uerò composuit in septem priora A capita Ecclesiastici Lecturam scholasticam, in octoginta & octo lectiones diuisam, copiosa & subtili eruditione refertam; quam imperfectam reliquit oppressus repentina morte ex acri illa pestilentia, quæ fuit sub Carolo quarto Imper. anno domini 1300. opus incipit, *Magister & dominus Gandisaluus*.

R VPERTVS, Episcopus Linconiensis, cognomento Grossatesta, inter philosophos ac theologos sui sæculi primum locum adeptus, ingenij acumine subtilissimus, eloquio breuissimus, & sententiarum pondere copiosissimus, scripsit in totum Psalterium succinctos commentarios: quorum initium est, *Psalmorum liber græcè*. Extant manu scripti Bononiæ in bibliotheca Dominicana. Claruit sub Conrado Imp. anno domini 1140.

R VPERTVS, Abbas Limburgensis, monachus Benedictinus, natione Germanus, uir sanctitate & diuinis reuelationibus illustratus, philosophus quondam in academia Parisiorum celebris, & post religionis ingressum sanctarum scripturarum assidua meditatione peritissimus, edidit aperto, simplici, & non ineleganti stylo commentariorum in Cantica libros quatuor. quorum initium est, *Quicumque sui ipsius rerum*. Floruit sub Henrico Imp. quinto anno domini 1124.

R VPERTVS Roseus, Anglus, Carmelita, scripsit in Cenesim, Exodum, Leuiticum, & Ecclesiasticum scholasticam Postillam anno domini 1420.

R VPERTVS Anglus, ord. Prædicatorum, professione Scholasticus, Postillam fecit in Iob, in Daniele, in Ioannem, in Matthæum, & in Lucam: quæ Bononiæ in bibliotheca Prædicatorum uisitur.

R VPERTVS, Abbas Tuitiensis, iuxta Coloniæ Agrippinam, professione Benedictinus, natione Germanus, uir in diuinis scripturis spiritu sancto per uisionem illustrante doctissimus, eloquio præstans, hortatu Cunonis abbatis Sigembergensis, postea archiepiscopi Ratisponensis collegit in omnes diuinas scripturas egregia uarij sensus, & maximè allegorici quamplurima ex patrum scriptis succincta commentaria: ex quibus fertur insigne uolumen, cui titulus est *DE SANCTA TRINITATE, ET OPERIBVS EIVS*, in utrunque testamentum ad Cunonem, abbatem Sigembergensis, libri 42. Quod opus ipse ita in tres partes diuisit, ut prima pars propria patris opera in tribus libris contineat; hoc est à prima mundi creatione usque ad eiectionem Adæ de Paradiso. secunda uerò pars habet propria filij opera, quæ ab eiectione Adæ usque ad incarnationem, & mortem filij Dei in figuris, uaticinijs, uisionibus, & scripturis propter uenturum Christum dicta factaq; sunt in libris 30. tertia autem pars concludit in libris nouem opera spiritus sancti propria, scilicet ab incarnatione filij Dei usque ad finem sæculi in scripturis recitata. quorum 42. librorum simul adunatorum hic est Index.

PRIMA PARS.

De sancta Trinitate, & operibus patris in prima tria Geneseos capita commentariorum libri tres: quorum primus incipit, *Scripturarum omnium*.

SECUNDA PARS.

De Trinitate, & operibus filij cōmentariorum libri 30. uidelicet
 In Residuum libri Geneseos commentariorum lib. 6. *Humana creatura*.
 In Exodum commentariorum lib. 4. *Qua causa, uel quo ordine*.
 In Leuiticum commentariorum lib. 2. *Liber iste*.
 In Numeri commentariorum lib. 2. *Apertum in Apocalypsi*.
 In Deuteronomium lib. 2. *Iste liber*.
 In Iosue commentariorum lib. 1. *Septem periodis*.
 In Iudicum & Ruth lib. 1. *Post mortem Iosue*.
 In quatuor libros Regū, adiuncto lib. psalmorū, lib. 1. *Post ampla uirtutis*.

In

| | | |
|----------|---|--|
| A | In Esaiam <i>sum & c.</i> | lib. 1. <i>Omnis anima, quæ Christi</i> |
| | In Ieremiam <i>sculum</i> . | lib. 1. <i>Quinta etatis sæculi crepu-</i> |
| | In Ezechielem | lib. 1. <i>Hac mundi etate</i> . |
| | In Daniele, Zachariam, & Malachiã simul | lib. 2. <i>Aperiente Christo</i> . |
| | In Maccabæos | lib. 1. |
| | In uolumen quatuor Euangelistarum | lib. 1. <i>Sexta mundi etate</i> . |

TERTIA PARS.

De operibus spiritus sancti à Christi aduentu usque ad finem sæculi lib. 9. *Omnipotentis iram*.

B PRAETER hæc autem scripsit latiori stylo in uarios scripturæ sanctæ libros plures commentarios: in quibus sunt De incarnatione domini in Canticum Canticorum iuxta sensum mysticum libri septem eruditissimi; quorum initium est, *Qui contra hominem*.

In XII. prophetas minores ad Fridericum, archiepiscopum Coloniensem, libri 30. quorum primus incipit, *Spiritu sancto*.

Ad Cunonem Abbatem De gloria & honore filij hominis in Matthæum libri 13. quorum initium est, *Exigis à me d' Philobriste Cuno*.

In Ioan. Euang. lib. 14. *Discipulus quem & c.*

Ad Fridericum, archiepiscopum Coloniensem, commentariorum in Apocalypsin lib. 12. quorum initium est, *Pt tu quoque, d' uenerabilis Coloniensum Archipræsul*. MORITVR anno domini 1124.

C R VPERTVS Valsigen, Anglus, Carmelita, patria Nordouicensis, scripsit more scholastico in Ecclesiasticum commentarios anno domini 1310.

S



SALONIUS, Viennensis in Gallia episcopus, nixdum decem natus annos eremum ingressus, inter sanctorum eremitarum manus enutritus, & illic ab Honorato, & Hilario Arelatensi, & Saluiano sanctissimis & eruditissimis uiris per omnes spiritualium rerum disciplinas deductus, demum ab Eucherio Lugdunensi episcopo diuinis literis unã cum fratre suo Veranio postea episcopo imbutus, multa edidit in sanctas scripturas egregia cōmentaria: è quorum numero adhuc supersunt breuis in Parabolas & in Ecclesiasten Salomonis ad

D fratrem suum Veranium commentarij, in morem dialogi concinnati: in quibus sub personis Salonij & Veranij uariè de singulis capitulis quæstiunculæ per interrogationes & responsiones explicantur. Initium prioris cōmentarij est, *Veranium. Parabola qua lingua dicuntur?* secundi uerò cōmentarij exordium est, *Veranium. Quibus nominibus appellatus est Salomon?* Claruit sub Valentiniano, & Marciano anno domini 450.

SALVIANVS, Mafsiliensis ecclesiæ episcopus, diuina & humana literatura copiose instructus, episcoporum sui temporis magister, scripsit latino, candido, & succincto sermone multa laudatissima opuscula: inter alia uerò De principio Geneseos usque ad conditionem primi hominis librum elegantissimo carmine composuit; itemq; in extremam partem Ecclesiastis ad Claudianum, Viennensem episcopum, commentariorum librum unum. composuit etiam Τὸν Ἀρτιμύμενον, id est Locorum contrapositionum, ex utroque testamento librum unum. Claruit sub Zenone Imp. anno domini 480.

Nnn SANCTIUS

SANCTIVS de Porta, ordinis Prædicatorum, professione scholasticus, & A
 Suita & eruditione uenerandus, scripsit rudi ac simplici sermone in lectiones euangeli-
 geliorum & epistolarum missim, quæ per dominicos totius anni dies in ecclesia le-
 guntur, sermonum tomos duos, pia moralitate refertos. Tomus primus incipit,
Aspiciens à longè. Tomus secundus, Hæc dies, quam fecit & c.

SANCTES Pagninus, Lucensis, Prædicatorij ordinis, concionator apostolicus,
 uir in diuinis scripturis apprime eruditus, & trium linguarum, sed hebrææ po-
 tissimum, peritissimus, cum animaduertisset celebrem illam Hieronymi uersionem
 temporum iniuria & hominum incuria uel magna ex parte intercidisse, uel magna
 ex parte fuisse corruptam, tentauit & ipse nouam aggredi totius scripturæ transla-
 tionem, Leone x. Pont. Max. hortante, & sumptus operi necessarios præbente.
 collatis igitur inter se multis, iisdemq; probatissimis hebræorum exemplaribus,
 quanta maximè ualuit diligentia ac fide, omne uetus testamentum ex hebraica ue-
 ritate latinæ dictioni donauit, & hebraicorum nominum multitudinem, quam priores in-
 terpretes in latinæ uoces inflexerant, hebraicæ linguæ prolotioni restituit. utq; B
 lector haberet rectam rationem pronunciandi hebraicè; accentus hebræis dictioni-
 bus superposuit, additis quibusdam in margine totius uoluminis numeris, qui in-
 dicarent, quot in singulis hebraicæ scripturæ capitulis uersiculi, quos Pesuchim
 appellant Iudæi, continerentur. Quæ omnia tam solerti cura executus est, ut eius
 editionem peritissimi hebræorum Rabbinæ omnibus, quæ nunc extant, translatio-
 nibus præferant, multis eam laudibus attollentes. Vertit quoque non minori lau-
 de nouum omne Testamentum iuxta græcam fidem: in quo, sicut & in ueteri te-
 stamento, uulgatæ editionis autoritatem, manente græci contextus sententia, se-
 qui conatus est. Opusq; suum Clementi VII. Pont. Max. dedicauit.

His addidit De interpretatione hebræarum, chaldæarum, græcarumq; dictio-
 num sacris in literis contentarum librum unum: in quo iuxta idioma cuiusque lin-
 guæ proprias posuit interpretationes, deriuationes, ac eorum compositiones, ci-
 tatis libris, atque capitibus diuinæ scripturæ: ubi unaquæque dictio sic, ut ab eo C
 interpretata & exposita est, continetur.

IDEM collegit ex omnibus hebraicis Rabbinorum dictionarijs ingens hebraicum
 Lexicon, THESAURVM LINGVAE SANCTAE non immeritò appellatum; in quo om-
 nes opes, ac diuitias linguæ sanctæ in usum eorum, qui ad hebraicam sacrarum li-
 terarum peritiam aspirant, affluentia copia congregauit.

EDIDIT præterea ad imitationem Ticonij & Augustini librum unum, cui titu-
 lus est ISAGOGE AD SACRAS LITERAS: in quo ex antiquis patribus multas re-
 gulas collegit, ad exponendas obscuras phrasas, figuratas locutiones, & mysticos
 diuinarum scripturarum sensus summopere necessarium. cuius initium est, *Lin-
 guam hebraeam fuisse.*

COMPOSUIT quoque consimilis argumenti libros decem & octo, admiranda om-
 nium celestium rerum copia, uarietateq; refertos; quos ISAGOGAS ad mysticos sa-
 cræ scripturæ sensus intelligendos inscripsit; quia in eis de mysticis & spiritualibus D
 sacrarum dictionum sensibus iuxta literarum seriem pertractat, uniuersam penè di-
 uinam scripturam sub huius occasionis prætextu mysticè exponens. Incitatus est
 autem ad hunc laborem, ut ipsemet indicat, exemplo D. Eucherij, episcopi Lug-
 dunensis; qui librum non dissimilis argumenti, DE DIVINIS FORMVLIS præ-
 notatum, ex multis ueterum monumentis collegit. Operis initium est, *Dæmonia
 septem.*

COLLEGIT item non sine magno labore opus ingens in Pentateuchum, sex ma-
 gnis uoluminibus distinctum, CATENAM ARGENTEAM appellatum: in quo hebræo-
 rum, græcorum, ac latinorum expositiones ueluti annulis quibusdam inuicem inser-
 tis contexuit.

CONSIMILI etiam industria congregauit Catenam argenteam in totum Psalte-
 rium, in tres partes dissectam.

ITEM in totum psalmum 118. grammaticam hebraicorum uerborum explana-
 tionem,

A tionem, tyronibus linguæ sanctæ utilissimam; quæ institutioni hebraicæ eiusdem au-
 toris annexa est. Moritur Lugduni anno domini 1541. & ibi sepultus est marmo-
 reo tumulo in medio choro sacræ ædis Prædicatorum.

SANGRINVS Angelus, siue Angelus Sangrinus, poeta non ignobilis, ab-
 bas Casinensis, Paraphrasin composuit in Psalterium, uario metri genere ex-
 cultam; quæ incipit, *O quam beatum præcino.*

SEPTVAGINTA duo interpretes, natione hebræi, uiri sapientissimi, atque
 sanctissimi, primi omnium, ut Philo & Epiphanius scribunt, uniuersum uetus
 Testamentum, quod apud Iudæos uiginti duobus libris seruabatur, in græcam lin-
 guam transtulerunt, hortatu Ptolemæi Philadelphi, secundi regis Aegypti: qui cum
 maximè optaret bibliothecam toto orbe celebrem Alexandria construere, præcepit
 Demetrio Phaleræo, eruditissimo uiro, bibliothecæ suæ præposito, ut ex uniuerso
 terrarum orbe, quot quot habere posset uolumina, compararet, distributis per
 B opportuna loca hominibus, qui libros, nulla habita sumptuum ac laborum ratio-
 ne, & emerent, & transcriberent. cum igitur audisset ab eis, qui missi fuerant, ex-
 rare Hierosolymis sacras Iudæorum leges, regia bibliotheca dignas, si ex hebraica
 lingua, in qua scriptæ erant, uerti in græcam potuissent; rogationem tulit ad re-
 gem, ut hebræos interpretes unâ cum libris illis acciret, qui eos in græcum elo-
 quium fideliter transcriberent: qua rogatione accepta, rex literas ad Eleazarum,
 Iudæorum pontificem, scripsit, ut ex omni tribu sex uiros, optimis quidem mori-
 bus institutos, ætate uenerandos, ac ipsius legis meditatione doctissimos, unâ
 cum lege Iudæorum ad se mitteret; ut, multis omni mentis acumine interpretan-
 tibus, consonum quoddam eligentes rem tanto opere dignam conficerent. Igitur
 cum ex cunctis Iudæorum tribubus sex uiri, ab Eleazaro missi, ad regem uenissent;
 ipseque uereretur, ne plenè ac ingenuè interpretarentur ueritatem, diuinis uolu-
 minibus insertam, sed aliqua de industria occultarent: iussit singulos in Pharos in-
 C sula separatis cellulis asseruari, & in his seorsum positos eadem interpretari. diui-
 no autem consilio factum est, ut omnes iisdem uerbis, iisdem nominibus, atq; sen-
 tentiis ab initio usque ad finem uiginti duo ueteris instrumenti uolumina uerterent:
 ita ut rex, ac ipsi Gentiles manifestè agnoscerent, non humano, sed diuino nutu
 diuinas illas scripturas fuisse interpretatas; quas Ptolemæus rex summo cum gaudio
 amplectens, bibliothecæ suæ dedicauit.

SCIENDVM est autem; hos septuaginta duos interpretes multa prophetarum te-
 stimonia de Christo, ac sancta Trinitate in sua translatione prætermisisse, non qui-
 dem ex incuria uel malitia, sed pio prudentique consilio, & non leuibus de causis
 tacuisse. In primis uerò, quia cum ante aduentum filij Dei in carnem interpreta-
 rentur, multa uenturi Christi sacramenta, nondum plenè sæculis illis perspecta, sci-
 re nequuerunt, ita disponente Deo, ut omnia eius diuinitatis mysteria sub exor-
 tum euangelicæ lucis, Christi splendore pandenda, seruarentur. itaque, quod illi
 aut ignorauerunt, aut non plenè cognouerunt, uel dubiis & ambiguis sententiis
 D transtulerunt, uel omnino tacuerunt, uolentes potius de incognitis bene tacere,
 quam de his, quæ non nouerant, loquendo malè pronunciare. Deinde, ne Ptole-
 mæum regem scandalizarent, multa de filio Dei, ac de eius aduentu occultarunt;
 ne fortè rex, audiens Deum habere filium, putasset Iudæos iuxta Platonis dogma
 duplex habere diuinitatis numen, & duos deos adorare; quos magni idcirco facie-
 bat, quia unum tantum Deum colere dicerentur. Demum multa quoque alia præ-
 ter hæc sacramenta siluerunt, ne cuncta fidei suæ mysteria ethnicis proderent, in-
 dignum existimantes iuxta Christi sententiam dare sanctum canibus, & margari-
 tas ante porcos proicere. His igitur iustissimis causis multa à LXXII. interpreti-
 bus omissa sunt, quæ posterioribus interpretibus nouas editiones parandi occasio-
 nem præbuere. Nomina autem horum LXXII. interpretum iuxta ordinem duo-
 decim hebraicarum Tribuum, ab Aristea collecta, hæc sunt:

EX IYDA TRIBV Iosephus, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Ezechias, Eli-
 seus.

Lxx. interpre-
 tes tribus de cau-
 sis multa de
 Trinitate, & de
 Christo præte-
 rierunt.

- EX RVBEN TRIBV Iudas, Simon, Samuel, Adeus, Mathias, Eschemias. **A**
 EX GAD TRIBV Nehemias, Iosephus, Theodosius, Baseas, Orniat, Datis.
 EX ASER TRIBV Ionathas, Auxeas, Elifeus, Ananias, Chabriat, Sachus.
 EX NEPHTHALIM TRIBV Iafachus, Iacobus, Iesus, Gabateus, Simon, Leui.
 EX MANASSE TRIBV Iudas, Iosephus, Simon, Zacharias, Somelus, Selemias.
 EX SIMEON TRIBV Sabatheus, Iafon, Iesus, Theodorus, Ioannes, Ionathas.
 EX LEVI TRIBV Theodosius, Iafon, Iesus, Theodorus, Ionas, Ionathan.
 EX ISACHAR TRIBV Theophilus, Abraham, Arsamis, Iafon, Endemias, Daniel.
 EX ZABVLON TRIBV Ieremias, Elcazarus, Zacharias, Baneas, Elifeus, Datheus.
 EX EPHRAIM TRIBV Samuel, Iosephus, Iudas, Ioathes, Cabel, Dositheus. **B**
 EX BENIAMIN TRIBV Isaelus, Ioannes, Theodosius, Arsamenes, Abie-
 thas, Ezeceus.

OMNES hi septuaginta duo uiri claruerunt simul temporibus Eleazari Iudæorum pontificis, & Ptolemæi Philadelphi secundi regis Aegypti, olympiade 124. anno ante Christi ortum 350. quorum historiam scripserunt Aristæas, Ptolemæi supradicti regis hyperaspistes, in libro de LXXII. interpretibus ad Philocratem, fratrem suum, particulariter edito, Philo in secundo libro De uita Mosis, Iosephus item in libro duodecimo Iudaicarum antiquitatum, Epiphanius quoque Salaminæ episcopus in libro De ponderibus & mensuris, & D. Hieronymus in multis suis opusculis. ex quibus autoribus hæc pauca desumpsimus. Nec prætereundum arbitror, quod Philo in libro iam citato scribit huius translationis tantam olim apud Iudæos fuisse uenerationem, ut singulis annis consueuerint plerique eorum in insulam Pharum traicere, ut solenni celebritate locum honorarent, in quo primùm edita esset diuinæ legis interpretatio, & pro tanto beneficio Deo gratias agerent. Testatur etiam idem Philo omne uetus Testamentum à LXX. interpretibus translatum, quamuis Iosephus referat Pentateuchum duntaxat ab eis conuersum. Franciscus Xymenius, cardinalis, totam hanc ipsorum editionem latinis auribus donauit.

SERAPHINVS Cumiranus, Feltrensis, ex regulari familia Minorum, in sanctis scripturis exercitissimus, collegit ex omnibus diuinæ scripturæ libris locorum, qui inter se pugnare uidebantur, Tomos duos, unum de locis ueteris testamenti in specie pugnantibus, alterum de locis contrariis noui testamenti; in quibus non minus piè, quam doctè ex sententia patrum orthodoxorum diuinarum scripturarum apparentes pugnas dissoluit, ac sedauit. Titulus operis est, *Conciliatio locorum communium totius scripturæ sanctæ, qui inter se pugnare uidentur.* Viuit adhuc inter eruditos religionis suæ celebris anno domini 1566.

SERAPION *Ἐπίσκοπος*, Aegypti urbis episcopus, in Christi confessione sub Constantio Augusto inclytus, cuius nuper legi ingens ac nobilissimum aduersus Manichæum opus, græco sermone conscriptum, quiq; ob ingenij elegantiam SCHOLASTICI meruit cognomen, Antonio Monacho magno in primis charus, monachus quondam & abbas, circiter decem millia monachorum proprio labore uentium sub se habens, conscripsit de psalmorum titulis librum unum. Claruit sub Constantio Aug. anno domini 340.

SERTORIUS Fortaneri, archiepiscopus Rauennæ, patriarcha Gradensis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, ord. Minorum, ex oppido Angliæ Galensi, composuit in omnes penè sanctas scripturas multa scholastica explanationis uolumina. Claruit anno domini 1356.

SEVERIANVS, Gabalensis episcopus, quæ ciuitas est Syriæ, eruditus & eloquens, à Ioan. Chrysofomo & Arcadio Imp. Constantinopolim sæpe uocatus est ad sacros sermones in ecclesia pronuncandos; eiq; Chrysofomus ecclesiam suam commendauit, dum urgeretur in exilium, non tantum in eo doctrinam, sed

A sed & uitæ meritum ueneratus. at ille plus, quam decebat, populo se commendans, inter eum & Ioannem discordiæ fomitem ministravit. sed, reuerso Chrysofomo ab exilio, iterum cum ipso in gratiam rediit. Hic inter cætera ingenij sui monumenta reliquit in Genesim Homilias plures; ex quibus quatuordecim nondum ex græco translata seruantur Viennæ in bibliotheca Brasicana. reliquit etiam in epist. ad Galatas commentarios. Oecumenius in commentariis epistolæ primæ ad Corinth. citat octo & quinquaginta sermonum ipsius uolumina. Claruit anno domini 400.

SIGEBERTVS, Monachus Gemblacensis, ord. Benedictini, natione Gallus, poeta sui temporis celebratissimus, & in diuinis scripturis à iuuentute detritus, scripsit in librum Ecclesiasticis hexametro carmine librum unum. Claruit anno domini 1110.

B SIMON Affligemensis, monachus Benedictinus, diuinarum scripturarum eruditione, & conuersationis sanctimonia præclarus, eloquio succinctus & elegans, scripsit in Ezechielem breues commentarios: idemq; libros 33. commentariorum B. Gregorij in Iob contraxit, redegitq; ad numerum decem paruorum uoluminum anno domini 1300.

SIMON Anglus, ord. Prædicatorum, Postillam collegit super prophetas quatuor maiores, & super libros Maccabæorum, in Proueria Salomonis, & in Præfationes biblicas D. Hieronymi.

SIMON à Cassia, Hernicorum oppido, ord. Eremitarum, doctus & eloquens, prophætico spiritu illustratus edidit de gestis saluatoris opus insigne, quindecim libris digestum; in quibus uniuersam quatuor Euangelistarum historiam, sub unius narrationis ordine dispositam, iuxta historicam & mysticam intelligentiam luculenter exposuit. eius initium est, *A bono & superbono.* Claruit anno domini 1340.

C SIMON Iatumaus, episcopus primùm Gyrtij, & mox Thebarum archiepiscopus, patria Constantinopolitanus, græcè, latinè, & hebraicè doctus, & in diuinis scripturis continua lectione exercitatus, totius noui instrumenti feriem ex emaculatissimis græcorum codicibus suprema diligentia in unum redegit, subinde uerò & in hebræum & in latinum uertit sermonem, uerbum de uerbo fidelissimè interpretatus. demum hæc tres editiones in tribus per singulas paginas columnis tanta industria disposuit, ut linea lineæ, & dictio dictioni sibi è regione oppositæ tam sensu, quam uerbo aptissimè responderet. Claruit anno domini 1400.

SIMON Corroyus, ordinis Cælestini, composuit Monotesaron in euangelia, quod PANDECTAM EVANGELICAM appellauit, incipientem, *Quis primus.* Claruit anno domini 1550.

SIMON Spirensis, ordinis Carmelitarum, theologus Parisiensis, Postillam scholasticam in Paulum scripsit, à se Colonia prælectam, anno domini 1340.

D SIXTVS Senensis, ex ordine Prædicatorum, inter ecclesiasticos declamatores minimus, licet diu multumq; recusauerim ignobilis & obscuri nominis mei mentionem huic inferere catalogo: mihi tamen, ita uolentibus amicis, necesse fuit ineruditos labores meos, & uix ulla commemoratione dignos breuiter hoc loco annotare, exemplo Hieronymi, Gennadij, Honorij, & Tritemij, qui in catalogis scriptorum, à se editis, lucubrations suas recensuerunt. scripsi igitur usque ad præsentem annum ætatis meæ quadragesimum sextum, & humanæ salutis MDLXVI. in diuinas literas subiecta uolumina:

IN totum Bibliorum corpus bibliothecæ sanctæ libros octo.

DE usu Concordantiarum sacræ Bibliæ librum unum.

IN uarios diuinæ scripturæ locos Astronomicarum quæstionum librum unum.

IN uarios diuinæ scripturæ locos Geographicarum quæstionum librum unum.

IN uarios diuinæ scripturæ locos Physicarum quæstionum librum unum.

IN uarios diuinæ scripturæ locos Problematicarum epistolarum librum unum.

IN quatuor Prouerbiorum, Ecclesiasticis, Sapientiarum, & Ecclesiastici uolumina,

Nnn 3 Sophias,

- A** Sophias Monotessaron, hoc est Sapientiæ unius ex quatuor, librum unum.
- I**n epist. ad Romanos ad Ioan. Baptistam, titulo S. Clementis cardinalis, Scholastici compendij librum unum.
- I**n eandem epistolam ad eundem Scholasticarum quæstionum librum unum.
- I**n euangelia quadragesimalia, quatuor annis Genuæ pro concione enarrata, Homiliarum Tomos quatuor, hoc est in singulos annos, Tomos singulos.
- I**n euangelia, quæ in festis Pentecostes, & Aduentus, sex annis Genuæ pro concione enarrauimus, Homiliarum Tomos sex, in singulis annis Tomos singulos.
- I**n Heptaameron Homilias 8.
- I**n tria prima Iob capita Homilias 6.
- I**n psalmum primum Homilias 6.
- I**n psalmum quinquagesimum, Genuæ in concionibus explicatum, Homilias 20.

SIXTVS Vicedominus, ordinis Prædicatorum, patria Nouocomensis, profane theologus, ita cum sacris theologiæ studiis scientiarum omnium opes & eloquentiæ ornamenta coniunxit, ut in Oecumenicis reip. Dominicanæ comitiis, anno 1564. Bononiæ habitis, non dubitauerit admodum iuuenis Ενωπιου οὐδ' εἰς, hoc est Orbicularem ac perfectam disciplinarum omnium comprehensionem in publicis disputationibus proponere, prouocatis in palæstram cunctis academiæ gymnasiarchis: quibus cum ad singula tum interrogata, tum obiecta respondisset summa eruditione, pari que sermonis elegantia, ingentem sibi sapientiæ, & eloquentiæ gloriam adeptus est: is nunc Veronæ disputatiuam seu scholasticam theologiæ partem in gymnasio Anastasiæ martyris edisserens, & alteram theologiæ partem, quæ sanctorum uoluminum interpretationem complectitur, ad populum enarrans, scribit etiam in uarios diuinæ scripturæ libros præclaras explanationes: è quibus propediem expectamus in lucem amplissimas in epistolam ad Romanos commentationes, & coæceruata expositionis methodo elaboratas.

SMARAGDVS, abbas Benedictini cœnobij D. Michaelis, uir diuinarum scripturarum eruditione clarus, scripsit in Psalterium commentarios, & in epistolas & euangelia, quæ per annum leguntur, expositiones breues ac perspicuas; quarum initium est, *Epistola græcum uocabulum est.* Floruit anno domini 680.

SOPHRONIVS, græcis & latinis literis nobiliter eruditus, D. Hieronymo familiarissimus, conuertit in græcum latinam totius ueteris instrumenti editionem, quam Hieronymus ex hebraica ueritate transtulerat. Hanc græcam translationem, ut ex Collectaneis Procopij Sophistæ in Octateuchum apparet, multi græci expositores, citato etiam Hieronymi nomine, commentariis suis illustrarunt. Claruit sub Theodosio Aug. anno domini 400.

STEPHANVS Anglicus, gymnasij Parisiensis quodam decus & rector, in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, atque in philosophia Aristotelicâ nulli suo tempore secundus, theologiam multis annis gloriosè docuit, & primus scripturam sacram moraliter exponere cepit. & hinc mos inoleuit, ut magistri scholasticæ theologiæ diuinos libros in scholis lucidius & facilius aperirent. scripsit ergo in sacras literas multas præclaras expositiones, sed præsertim in Octateuchum commentariorum libros undecim, & in sexdecim prophetas libros sexdecim, stylo & affectibus non ingratos, sicut ex fragmentis eius, nuper à Tilmanno Cartusiano in Tomis Allegoriarum publicatis, apparet. Claruit anno domini 1200.

STEPHANVS Langion, Anglus, D. Chrylogoni presbyter cardinalis, Cantuariensis archiepiscopus, scripsit in Octateuchum libros duodecim, & in omnes Pauli epistolas libros 14. Claruit anno domini 1228. Hic an sit diuersus à Stephano superiore, non satis scio.

STEPHANVS Paris, Aurelianensis, episcopus Abellunensis, doctor theologus, Sord. Prædicatorum, scripsit eleganti sermone super illud, Verbum caro factum est, expositionem prolixam, concionantibus per aduentum ualde accommodatam, & per

A per lectiones digestam. cuius initium est, *Pietati, & religioni.* Item sermonum quadragesimalium librum unum. Claruit anno domini 1550.

STEPHANI Poloniaci, Galli, ordinis Prædicatorum, Postillam super Ioannem uidi in bibliotheca Dominicanorum Lugdunensi, sic incipientem, *In manibus abscondit lucem.*

STEPHANVS, Parisiensis doctor, Postillam scholasticam in epistolas ad Romanos, & ad Hebræos emisit; cuius meminit Vincentius Bandellus in tractatu De conceptione.

STRABO Monachus, natione Anglicus, patria Cantabrigiensis, Bedæ Venerabilis presbyteri frater, & studiorum eius collega, doctus ac pius, scripsit in totum librum Geneseos non ignobiles commentarios; quos ex dictis orthodoxorum patrum ad imitationem fratris diligenti solertia collegit anno domini 750.

STRABVS, Monachus cœnobij Fuldenfis, natione Germanus, Rabani Mauri Moguntini archiepiscopi quondam auditor & scriba, uir sæculari literatura abundè expolitus, diuinæ scripturæ peritissimus, & ueterum autorum lectione uaria & assidua delectatus, inter alia opuscula, quibus claro & succincto sermone illustrauit quosdam particulares sacre legis libros, collegit etiam ad imitationem præceptoris sui ex dictis sanctorum patrum, appositis eorum nominibus, commentarios in uniuersa sacrosancta Biblia; quos nunc GLOSSAM ORDINARIAM appellant, ab aliis postea scriptoribus multis, uariisque antiquorum doctorum sententiis locupletatam. Floruit sub Ludouico Aug. anno domini 840.

SYLVESTER Prieras, Pedemontanus, ordinis Prædicatorum, collegit ex commentariis diui Thomæ scholasticam Postillam in lectiones euangelicas totius anni, quam AVREAM ROSAM prænotauit, additis quæstionibus non omnino contemnendis anno domini 1510.

SYMMACHVS, tertius scripturarum græcus interpres, natione Samaritanus, de numero sapientum Samariæ, cum ambitum apud suos principatum obtinere non potuisset, indignatus, ad Iudæos defecit, atque inter eos profelytus factus, iterum secunda circuncisione circuncisus est, hoc enim moris apud ueteres hebræos fuit, ut qui à Iudæis ad Samaritas, & à Samaritis uicissim ad Hebræos profugerent, denuò circunciderentur, adiuti auxilio cuiusdam medici instrumenti attractorij, quod Spatistrem appellant, quo quidem pudendi cuticulam supra glandem attrahant, & glutinatorijs circumdati iterum præputiū denudatæ iam glandi superinducebant, superinductumque iterum circuncidebāt. cuius rei Paulus in prima ad Corin. epist. mentionem faciens, inquit: CIRCUNCISVS aliquis uocatus est, ne attrahatur ipsi præputium: in præputio aliquis est, ne circuncidatur. tamen Hieronymus, expendens illud, quod in primo Maccabæorum legitur, *Et fecerunt sibi præputia,* affirmet id non in ipsis patribus, sed in eorum filiis intelligendum esse. Hic itaque Symmachus cum iterum circuncisus apud Iudæos inglorius uiueret, ad Christianos transit, & Hebionitarum hæresim amplexus est: iuxta quorum dogmata scripsit etiam in euangelium Matthæi commentaria, conatus illinc suam confirmare impietatem: qua contendebat Christum fuisse purum hominem, occasione sumpta ex carnali generatione, quæ in principio euangelii à Matthæo recitatur. Ab hoc igitur tertia diuinæ scripturæ translatio sic edita fuit, ut non uerbum de uerbo, (quod Aquila fecerat) sed sensus de sensu in ea exprimeretur. Claruit sub Sept. Seuero Imp. anno domini 190.

SYRA Editio, quam sæpe græci patres unâ cum cæteris græcis ac latinis editionibus edisserunt, à quibusdam creditur esse Chaldaica translatio, à Iudæis Thargum, hoc est Paraphrasis, uocata, ipsisque olim non solum familiaris, sed uernacula, dum promissionis patriam inhabitarent, & nunc etiam summæ apud eos autoritatis: quæ tamen clarior sit multis in locis ipso hebraico textu; tamen è Lxx. interpretum translatione non modica sui parte constata deprehenditur locis maximè obscuris. Iacobus, episcopus Christopolitanus, asserit autorem translationis huius fuisse Ionathan Abenuziel Iudæum; qui anno primo & uigesimo Octauij Augusti, hoc est anno

1 Cor. 7. d
1 Mac. 2. 6

anno ante Christum natum 21. transtulit totum uetus instrumentum in linguam **A** Chaldaicam, siue Syram, sensum magis de sensu, quam uerbum de uerbo exprimens. Narrat item in expositione psalmi 20. idem episcopus hunc Ionathan in sua Thargum multa de Christi diuinitate, ac de sancta Trinitate mysteria explicasse, ueluti in editione psalmi secundi: in quo dum paraphrasticòs illustraret sententiam illam, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te &c.* ita scripsit: **DVO** **HI**, pater & filius, tres sunt in una tertia persona, nimirum spiritu sancto: & hi tres unum sunt, una, inquam, substantia, una essentia, & unus Deus. Quæ dum Ionathas literis mandaret, repente uox ad eum de cælo allata est, inquit: Quis est iste, qui audet secreta mea gentibus reuelare? Tum Ionathas, Ego, inquit, domine ob reuerentiam & gloriam nominis tui hoc tentare ausi. Hæc episcopus Christopolitanus: quæ an ita se habeant, aliis inquirendum relinquo. Planè constat, uerba hæc non haberi in Chaldaica psalmorum interpretatione, quæ nunc circumfertur. Iudæi tradunt Thargum à tribus peritissimis Rabbini conditam, Onkelo, Ionatha, & Iosepho: ex quibus Onkelos Pentateuchum solùm uertit; Ionathas Pentateuchum, & prophetas priores, ac posteriores; Ioseph uerò Psalmos, Prouerbia, Iob, Ecclesiasten, Ruth, & Esther. Franciscus Xymenius cardinalis in præfatione editionis Complutensis docet hanc translationem chaldaicam in solis quinque libris Moysi fideliter hebraicæ ueritati respondere, in cæteris autem diuinis uoluminibus corruptam esse, & in multis locis conspersam metris fabulis, & Thalmudistarum nugis.

T



TATIANSVS, à D. Hieronymo in catalogo ecclesiasticorum scriptorum numeratus, natione fuit Syrus, & Iustini philosophi & martyris discipulus. is, cum omni disciplinarum copia & magna oratoriæ artis uigeret potentia, reliquit ingenij sui infinitum librorum numerum, inter cæteros uerò inigne propositionum, & quæstionum uolumen: in quo, ut Eusebius in 5. historiæ ecclesiast. scribit, omnia, quæ in diuinis scripturis obscura sunt & difficilia, referauit. Idem ex quatuor euangeliorum historia unam compaginauit, cui titulum imposuit **DIATESSARON**, id est Vnum ex quatuor, uel De quatuor euangeliorum harmonia: ad quam Victor, Capuanus episcopus, astronomus excellentissimus, qui floruit circa annum domini 480. numeros euangelicorum canonum ex Eusebio Cæsariensi per loca congrua diligenter affixit; præposita præfatione, quæ sic incipit, *Dum fortuito in manus meas incideret.* Abbas Trithemius facit Victoris huius operis autorem, reclamante Victoris præfatione, quæ Tatiani opus esse testatur. Hic quoad præceptor eius uixit, in ecclesia catholica maxime floruit: sed post mortem ipsius nouam condidit hæresim, Eueratitarum appellatam. Claruit sub Imper. M. Antonio Vero, & L. Aurelio Commodò anno domini 170.

TERTULLIANVS Florens, cui Quinti Septimij prænomen fuit, dignitate presbyter, natione Afer, patria Carthaginensis, patre Centurione proconsulari, uir profecto acris ac uehementis ingenij, humanis non minus, quam diuinis disciplinis imbutus, suorum quoque temporum rhetor præstantissimus, & publicus eius artis in urbe Carthaginensi præceptor, multa latino eloquio eleganter scripsit, sed stylo nimium elaborato, ac duro, & propter inusitatam uocum nouitatem obscuro. unde & Hieronymus, ad Paulinum scribens, hæc duo potissimum illi ascribit, nimirum quod sit in sententiis creber, & in loquendo difficilis. Lactantius uerò in quinto Diuinarum institutionum libro eiusdem phrasim describens, **SEPTIMIVS**, inquit, Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multam obscurus. Hu-

ius

A ius scripta **B. Cyprianus** tanti fecit, ut nullam diem sine eorum lectione præteriret, illud crebro inculcans Paulo Concordiensi, notario suo, *Da magistrum*, Tertullianum uidelicet significans.

Hic igitur inter alia ingenij sui monumenta reliquit

IN GENESES caput secundum De Paradiso librum unum, cuius ipse autor mentionem intulit in fine libri de Anima.

ITEM in 7. Gen. caput tractatum unum, inquirens in eo, cur Deus, qui fecit omnia ualde bona, animalia immunda unà cum mundis in arca introduceret. Meminit Hieronymus huius opusculi in præfatione quæstionum ad Damasum.

ITEM Sodomitanæ conflagrationis in 18. Gen. caput librum unum, heroico uersu eleganter conscriptum: qui incipit,

Iam Deus omnipotens primæui crimina sæcli

Vindice diluio cunctis aboleuerat undis,

Quas cælum sparsit, Tyrij maris expulit aquor.

B **ITEM** De uestibus Aaron in Exodum 28. librum unum: de quo Hieronymus in epistola De uestitu sacerdotum ad Fabiolam sic ait: **FERTVR** in Indice Septimij Tertulliani liber de Aaron uestibus, qui interim usque ad hanc diem à me non est repertus: si à uobis propter celebritatem urbis fuerit inuentus; quæso, ne meam stillam illius flumini comparetis. non enim magnorum uirorum ingenijs, sed meis sum uiribus æstimandus.

SCRIPSIT quoque in orationem dominicam ex Matthæi cap. 6. librum unum,

DE ORATIONE prænotatum: cuius recordatur Hilarius in Matthæi comm.

CLARUIT sub Seuero Imp. anno domini 200.

THEODOLVS, in Cœlesyria presbyter, & postea episcopus, natione Italus, librum scripsit De consonantia scripturarum ueteris & noui testamenti aduersus antiquos hæreticos; qui propter differentiam præceptorum, uel ceremoniarum alium ueteris testamenti Deum dixerunt, alium noui: in quo ostendit dispensationis fuisse unius eiusdemque Dei autoris utriusque scripturæ, ut alia per Moysen antiquis lex daretur in sacrificiorum ceremoniis, & iudiciorum animaduersionibus; alia his temporibus per Christi præsentiam in sacris mysteriis, & futuris repromissionibus, nec diuersa credi debere, aut non uno spiritu, & uno autore dictata: cum illa, quæ si modò secundum literam obseruarentur, occiderent, eadem ipsa secundum intellectum uiuificent. Idem quoque Eclogarum uolumen carminibus edidit: in quo omnia miracula ueteris testamenti, & poetarum fabulas ad ipsorum imitationem, ab eis confictas, felicissimè cecinit. cuius initium est, *Aethiopum terras &c.* Collegisse etiam dicitur in epistolam ad Romanos succinctam, ac facilem enarrationem, in morem catenæ contextam, ex sententiis graecorum patrum, quorum nomina, ab ipso citata, hæc sunt, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Phocius, Isidorus, Seuerianus, Gennadius, & Oecumenius. sed cum Phocius & Oecumenius ducentis annis post Theodolum floruerint, apparet inscriptionem operis falsam esse. Operis initium est, *Paulus &c. Euangelicam hæc epistola institutionem continet.* Moritur sub Zenone Imper. anno domini 480.

THEODORVS, Antiochenæ ecclesiæ presbyter, uir doctus, & græca facundia disertus, cuius aduersus Eunomianos & Apollinaristas elegantissimum extat uolumen, scripsit in psalmos magnificos commentarios; quorum multa & crebra fragmenta in Catena græca explanationum Psalterij, ab Epiphanio Scholastico ordinata, leguntur. Claruit sub Honorio Aug. anno domini 420.

THEODORVS, Heracleæ Thraciarum, quæ olim Perinthus uocabatur, episcopus, uir elegantis apertiq; sermonis, temporibus Constantini secundi clarus, edidit iuxta literalem intelligentiam, quam ubique in diuinarum literarum expositione secutus est, commentarios in Psalterium, in Matthæum, in Ioan. euangelium, & in epistolas Pauli. Claruit anno domini 340.

THEODORETUS, siue THEODORITVS, (utranq; enim ferunt exē-
plaria græca lectionē) natione Syrus, Cyrensis urbis, quā Stephanus Κυροπολίτης
hoc est Cyropolim, Persæ Cyrebatam uocant, episc. octingentarū ecclesiarum pa-
stor, (tot enim parccias tunc habebat ea ciuitas, à Cyro quondam Persarum rege
in extremis Persiæ finibus condita) Attica uir eloquentia celebris, & sanctorum
uoluminum explanatione clarissimus, hæreticorum quoque impugnator acerrimus,
à quibus etiam lapides pro fidei catholica defensione sustinuit, post multos
uitæ labores in extrema senectute à Dioscuro, episcopo Alexandrino, anathemate
notatus est, & ab episcopatu iniustissimè depositus, eo quod Flauiano, Constan-
tinopolitano archiepiscopo, in damnatione Eutychianæ hæreseos consensisset. is
ergo admirabilem docendi facilitatem sortitus, multa in diuinas scripturas com-
mentaria reliquit ex uberrimis potissimum D. Ioannis Chrysostomi, quem sibi
quasi primarium exemplar sumpsit imitandum, explanationibus abbreviata; ex qui-
bus ego infrascripta legi:

MYSTICARVM institutionum in uniuersam scripturam sanctam isagogicum uo-
lumen nominum, ac uerborum omnium, quæ diuinis literis continentur, mysticas
& spirituales intelligentias exponens. quod opus in antiquis membranæ græcæ de-
scriptum seruatur Viennæ Austriae in bibliotheca Alexandri Brasicensis.

ΕΙΣ τὰ ἀποκρυφῆς βιβλίου γραφῆς κατ' ἔργον. hoc est, De selectis scripturæ diuinæ
quæstionibus ambiguīs, ab initio Geneseos usque ad ultimum librum Regum in-
signe opus: in quo locos duntaxat obscuros per interrogationem & responsio-
nem breuiter & lucidè explicat. Operis initium est, Μετρίν εἶπες, hoc est, *Meti-
ri consueuit.*

IN TOTVM Psalterium præcipuè iuxta literam commentarios; in quibus miro
artificio coniunxit psalmorum uersiculos, qui nullo inter se ordine conuenire ui-
debantur. Extant hi nobiles commentarij Genæ in bibliotheca Saulia: quorum
initium est, Εγὼ μὲν πρό τῶν ἄλλων βιβλῶν λογίον κατὰ θυμὸν ἢ τὸ μέγαλόν Δαβὶδ ἐρμηνεύσαι
τὴν προφητείαν. hoc est, *Mihi quidem in animo est, ante alios diuinos sermones, magni
Dauidis interpretari prophetiam.*

ANNECTITVR huic operi Catena explanationum in Cantica ferialia, ab incer-
to autore collecta ex Eusebio, Didymo, Basilio, Chrysostomo, Seuero Antioche-
no, Eusebio, Cyrillo, Theodoro, Eudoxio philosopho, & Nicolao presbytero.

IN CANTICVM Canticorum uenustos ad Ioannem episcopum commentarios, in-
cipientes, *Diuinarum scripturarum expositio*. quibus nescio quis recens collector im-
miscuit fragmenta explanationum Gregorij Nysseni, Maximi, Nili, & Pselli in ua-
rios huius libri locos.

ELVCUBRAUIT etiam in omnes prophetas plurima commentationum uolumi-
na; quorum exordia, partim ex græcis, partim ex latinis codicibus delibata,
hæc sunt,

- In Esaiam liber unus.
- In Ieremiam liber unus.
- In Threnos liber unus.
- In Ezechielem liber unus. *Oculi corporis figurarum.*
- In Daniele liber unus. *Si facile omnibus esset.*
- In Oseam liber unus.
- In Ioelem liber unus.
- In Amos liber unus.
- In Abdiam liber unus.
- In Ionam liber unus.
- In Michæam liber unus.
- In Nahum liber unus.
- In Abacuch liber unus.
- In Sophoniam liber unus.
- In Aggæum liber unus.

- A** In Zachariam liber unus. *Σφόδρα πάλαι.*
- In Malachiam liber unus. *Μονοῆς μὲν.*

PRÆTER hæc feruntur typis excusi commentarij in omnes Pauli epistolas: in
quibus, quantum fieri potest, succinctè, elegantè, ordinatè, ac piè sensus Pauli ex-
plicauerunt & sententiæ sententiis, quod in Paulo uidetur difficillimum, miro ar-
tificio coniunguntur. Citat ex his commentariis D. Thomas in opusculo ad-
uersus errores Græcorum, & Armenorum testimonium pro igne purgatorio ex ter-
tio capite epistolæ primæ ad Corinthios super illud, *Si cuius opus arserit*, his uer-
bis: **D**ICIT Apostolus, Qui saluabitur, sic, tanquam per conflatorium ignem pur-
gantem; quicquid interuenit per incautelam præteritæ uitæ ex puluere saltem pe-
dum terreni sensus, in quo tandiu manet, quandiu quicquid corpulentæ & ter-
reni affectus inhaerit, purgetur: pro quo mater ecclesia hostias & dona pacifica de-
uotè offert. Quæ quidem uerba nusquam nec in latinis, nec in græcis com-
mentariis inuenire potui: suspicor ea uel à græculis quibusdam, purgatorio in-
fensis, subtracta, uel ex alio quodam opere, ubi Theodoretus hunc locum sic ex-
posuit, à D. Thoma desumpta. Operis initium est, *Scio quidem ferè, ut dicit diuini
Pauli.* Claruit hic sanctus uir tempore concilij Ephesini, D. Cyrillo synchronos;
cum quo etiam altercationes habuit de actis eiusdem synodi; peruenitque usque
ad tempora Leonis Papæ primi; ad quem scripsit epistolam pro sua ad episcopatum
restitutione deprecatoriam: moriturque circiter annum domini 450.

THEODORVS, seu THEODORICVS, abbas D. Trudonis Leodien-
sis, professione Benedictinus, natione Germanus, eruditionis & sanctitatis
magnæ, cui par fuit proæ & carminis excellentia, librum composuit, historias ue-
teris ac noui testamenti heroico uersu complectentem. Floruit sub Henrico quar-
to Imp. anno domini 1100.

THEODORICVS Herxenius, natione Germanus, uisitor ordinis cle-
ricorum in communi uiuentium, uitæ sanctimonia & ingenij uiribus clarus,
scripsit scholastico ordine, sed eloquio magis deuoto in Psalterium librum unum.
Claruit sub Federico Imp. III. anno domini 1476.

THEODOTION, ut Epiphanius tradit, natione Ponticus, uel, ut Euthy-
mio placet, Ephesus, Tatiani, Marcionis, & Hebionis hæresiarcharum, donec
Christianus fuit, sectator, cum à Christianis ad Iudæos transfugisset, circum-
cisus est, & apud eos hebraica lingua probè instructus, quartam sub Seuero Augu-
sto Imperatore emisit ueteris instrumenti græcam translationem anno domini 200.

THEODOTVS, Ancyræ in Galatia episcopus, scripsit homilias plurimas:
ex quibus Epiphanius diaconus in actione sexta Nicænæ synodi secundæ qua-
tuor citat:

- P**RIAM De Helia & uidua in 3. Reg. 17.
- S**ECUNDAM De duobus cæcis in Matth. 9.
- T**ERTIAM De distributione talentorum in Matth. 25.
- Q**UARTAM De claudio, à Petro & Ioanne sanato, in Act. 3.

CLARUIT in concilio Ephesino aduersus Nestorium, dialectico more &
ualde obscure scribens, anno domini 430.

THEOGNOSTVS, priscus autor, quem Athanasius uirum disertum,
studiosum, & admirandum appellat, scripsit in illud Matthæi 12. *Qui di-
xerit uerbum in filium hominis*, Tractatum: quem citat Athanasius in libro, quem su-
per eodem euangelico dicto composuit.

THEOPHILVS, sextus post Petrum Apostolum Antiochenæ ecclesiæ epi-
scopus, qui sub Imperatore Marco Antonino Vero anno 173. ad episcopatum
fuit assumptus, dicitur scripsisse in Prouerbia Salomonis commentarios; quos ta-
men Hieronymus asserit cum cæteris eius autoris uoluminibus phrasi & elegantiâ
non congruere. Idem quatuor Euangelistarum dicta in unius historiæ corpus com-
pegit, eaque græcis commentariis illustrauit. Hos cæteris eius uoluminibus, quos
aduersus hæreticos scripsit, dictionis elegantiâ impares esse testatur Hieronymus,

exhibens modicum gustum eius phraeos in expositione parabolæ de Villico iniquitatis, quam ipse de commentariis eius transtulit, cum ad Algasiam de quæstione eius parabolæ ab ea interrogatus responderet.

THEOPHYLACTVS, Bulgariae archiepiscopus, in diui Chrysofomi lectione diu multumque uersatus ac detritus, redegit in breue & apertum compendium iuxta historicam intelligentiam, quicquid admirabilis ille pater ex auro suo ore, ueluti ex abundantissimo fonte, in exponendis scripturis sanctis effuderat, prætermisissis locis communibus, in quibus ille plenis eloquentiæ uelis excurrere consuevit.

ALLEGORIAS quoque cum aut nullas, aut raras apud Chrysofomum inuenisset, ex aliorum commentariis suppleuit, & suis locis aptissime accommodauit. Feruntur inter cætera, ab eo in utrunque testamentum collecta,

IN Oseam liber unus, acephalus & atelestus, hoc est temporis iniuria, initio, & sine carens; cuius, quod superest fragmentum, incipit, *Et nemo eripuit de manu mea &c.*

IN Ionam liber unus, qui incipit,

IN Nahum liber unus.

IN Abacuch liber unus.

IN 4. euangelia libri 4. quorum initium est,

IN Paulum lib. 14.

CLARUIT anno domini 900. sub Michæale, & Theodora.

THOMAS Anglicus, patria Galensis, ex ordine Prædicatorum, theologiæ scholasticæ professor, scripsit in factos libros plurimas scholasticæ methodi commentationes: ex quibus in bibliotheca D. Ioannis & Pauli Venetiis habentur in Genesim Lectura, incipiens, *Non recedat &c.* & in primos uiginti quinque psalmos Postilla, quæ incipit, *Beatus uir qui custodit.* Huius autoris esse creduntur commentaria in Genesim, in Esaiam, in Ieremiam, in Epistolas canonicas, in Apocalypsin, & in Boethum De philosophica consolatione, ascripta diuo Thomæ: cui cum honoris causa tributum esset Angelici cognomen, & magna esset inter Anglicum & Angelicum uocis similitudo; paulatim effectum est, ut per incuriam & errorem Thomæ Anglici scripta Thomæ Angelici titulo notarentur: Claruit anno 400.

THOMAS Aquinas, ordinis Prædicatorum, ex illustri Comitum familia, in finibus Campaniæ splendidissimis parentibus ortus, Alberti Ratisponensis archiepiscopi doctoris cognomento Magni maior ipse discipulus, maximo & altissimo ingenio uir, cui ad plenam absolutamque totius tam diuinæ, quam humanæ eruditionis gloriam solus defuit linguarum & eloquentiæ usus, quem eruditi illius sæculi, utpote sublimioribus studiis intenti, neglexere, theologorum fuit, ac philosophorum omnium, quos in hanc usque diem Scholasticorum academia protulit, sine ulla contouersia princeps; quippe qui primus omnium latinorum philosophorum non minus incredibili, quam felici ausu omnem Aristotelis philosophiam commentariis lucidissimis illustrauit. In sacris uerò sincerioris theologiæ studiis ita sapientissimo Augustino proximus incessit, atque ita mentem eius, & omnes reconditos sensus introspectit, exhaustitque, ut iuxta Pythagoræ μεταβύχου communis doctissimorum omnium adagio iactatum sit, Augustini animam migrasse in Thomam. In scholasticis quoque mistæ theologiæ disputationibus ita cæteris academiarum ducibus antecelluit, ut uniuersali scholarum omnium consensu receptum sit Thomam, Scholasticæ theologiæ instauratorem, quatuor inter se implacabiliter pugnantia indissolubili pacis fœdere coniunxisse, uidelicet Copiam, Breuitatem, Facilitatem, & Securitatem; quas nulli unquam literarum professori uel ante, uel post eum contigit simul potuisse connectere. Ac primum tanta inest ei rerum omnium copiosa ubertas, ut nihil ferè ex uniuerso theologiæ, ac philosophiæ ambitu desiderari queat, quod non ipse ditissimis scriptis suis fuerit copiosissima uarietate complexus. Breuitas deinde, cuius exiguis angustiis copiæ amplitudo contineri non potest, ea est, ut quæ tot ueteres ac recentes autores uix innumeris & immensis uoluminibus

A luminibus comprehendere potuerunt, hic intra unius strictæ epitomæ, hoc est, Summæ theologiæ compendium, locupletissima breuitate plenissime strictissimeque concluderit. Breuitati uerò, quæ obscuritatis mater est & comes indiuidua, ita facilitatem, omni seclusa difficultate, copulauit, ut ordinis dispositione, sententiarum perspicuitate, & uerborum splendida claritate scriptores omnes longo post se reliquerit interuallo. &, quod multo admirabilius est, cum in scriptis ecclesiasticis multorum magni nominis patrum cautè ac suspensio pede legentibus progrediendum sit, ne in sententias quasdam parum tutas imprudenter impingant; huic uni uerè diuino uiro tanta asertionum sententiarumque securitas diuinitus obtigit, ut in lectione eius lector, omni suspitione erroris liber, citra ullam offensam tutus & securus expedito gradu expatiari possit, ueluti per uiam regiam, communi ecclesiasticorum patrum incessu tritam, longè à deuiis illis particularium sectarum semitis ac diuerticulis, quæ sæpe in cautos abducunt in ambages inextricabiles, & errores irremeabiles.

B His igitur rarissimis docendi conditionibus incomparabilis hic doctor scripsit innumera penè scholastici generis uolumina: ex quibus ea, quæ maximè ad sacræ scripturæ intelligentiam pertinent, triplici partitione distinguuntur, hoc est, in Expositiones, Quæstiones & Opuscula. In Expositionibus, quas & Lecturas appellauit, eos libros sanctæ scripturæ, quos suo loco indicabimus, continuato explanationis ordine, breuiter & ad literam lucidissime exposuit. in Opusculis, siue Tractatibus peculiare aliquot scripturarum locos fufius & copiosius pertractauit. in Quæstionibus autem super uarias diuinæ scripturæ propositiones, adhibitis utrinque contrariis argumentationibus, pulcherrimas instruit disputationes: in quibus magnopere laudantur quæstiones De opificio septem dierum: quas cum prius, ut Aegidius Romanus testatur, separato uolumine edidisset, postea in prima parte Summæ suæ decentissimo ordine collocauit.

C DICITUR etiam scripsisse in Genesim scholasticam quandam Postillam, quæ sub nomine eius inscripta circumfertur. hanc tamen Antoninus, archiepiscopus Florentinus, ipfius esse negat, affirmans editam ab altero quodam Thoma eiusdem ordinis, uiro quidem erudito ac pio, sed neutiquam Thomæ Aquinati styli facilitate, ac sensus grauitate comparando.

COMPOSUIT quoque lucidissimos ac doctissimos in totum librum Iob iuxta literam commentarios; qui cæteris commentationibus, ab eo in uetus testamentum editis, eruditione, ac germana, sinceraque historiæ explanatione præferuntur. horum initium est, *Sicut in rebus.*

EDIDIT item in primam psalmorum quinquagenam, hoc est, in unum & quinquaginta psalmos, pios & eruditos commentarios iuxta literalem & anagogicam intelligentiam, eodem interpretationis genere, quo in commentariis libri Iob usus fuerat. expositionem uerò in reliquos psalmos morte præuentus absoluere non potuit. Libri exordium est, *In omni opere suo &c.*

SCRIPSIT & in Cântica Canticorum Postillam, quæ incipit, *Sonet uox tua.*

FERTUR ad hæc Postilla in Esaiam, cuius initium est, *Scribe uisum, & explana &c.* quam plerique ob eruditionis inopiam ipfius non esse arbitrantur. Lyranus ex eius dictis à studio quoquam asserit concinnatam.

EXTAT & in Ieremiam, & Threnos Postilla, cuius initium est, *Hic est fratrum amator, & populi.* quæ, propter doctrinæ sterilitatem, eius esse non creditur.

COLLEGIT præterea Urbani Papæ quarti iussu ex centonibus latinorum patrum, & ex rapsodiis græcorum autorum, quas latinè transferri curauerat, nobilissimum opus explanationum in quatuor euangelia; quod CONTINUUM IN QUATUOR EVANGELISTAS inscripsit, recentiores uerò Catenam auream appellant. cuius initium est, *Santissimo, ac beatissimo &c.*

PRAETER hæc asserit Tritemius scripsisse eum Lecturas scholasticas in quatuor euangelia; ex quibus tantum uidi Lecturam in Matthæum, quæ incipit, *Matthæus ex Iudæa &c.* & Lecturam in Ioannem, quæ incipit, *Vidi dominum.*

A **AD** HÆC edidit in omnes epistolas Pauli Lecturam, summa eruditione refertam; in qua ceteros scholasticos enarratores longo post se intervallo reliquit. eius initium est,

IN omnes catholicas epistolas lib. 7.

IN Apocalypsin uolumen ingens, quod incipit,

IDEM, cum in cœnobio Cisterciensi Fossæ nouæ prope Amasenum, Campaniæ fluuium, fracta ex continuis studiis stomachi uirtute decumberet, rogatus à monachis, qui lectulo eius assidebant, ut Canticum Salomonis ad imitationem sensus, ac spiritus D. Bernardi, sed longè breuius explicaret, recusauit, inquit: DATE mihi spiritum Bernardi; & ego uobis expositionem, spirantem Bernardi spiritum, exhibebo. Verùm, cum illi adhuc enixius efflagitarent, ut saltem de proprio sensu breuem aliquam Canticorum explanationem depromeret; accersitis ad se nonnullis monachis, qui ex ore eius uerba describentes exciperent, exorsus est secundam in Cantica enarrationem, stylo & eruditione à priori in eundem librum expositione diuersam, ueluti tempus illud, & preces monachorum, & ægritudinis postulabat occasio, scribens, non quod ars, sed quod sincera pietas, & animus, iam iam ad futuram immortalitatem properans, eructauit. in hac igitur explanatione, cum usque ad sextum libri caput exponendo peruenisset, eaque uerba eiusdem capituli, quæ illi nouissima fuerunt, uehementi spiritus ardore, & summa uocis alacritate, erectis in cœlum oculis, proferret, *Veni dilecte mi, egrediamur in hortum*, repente sanctissima eius anima, de mortali corpore egressa, in hortum sempiternæ felicitatis, ad dilectum suum, omnibus uitæ diebus expectitum, & postremis uitæ uocibus euocatum, feliciter abiit anno 48. ætatis suæ, à Christi uerò natiuitate 1274. Reliquum uerò expositionis usque in finem libri studiosus quidam adiecit. Operis exordium est, *Solomon inspiratus diuino spiritu.*

B **SCRIP**SIT eius uitam græco sermone Demetrius Cydonius, qui etiam græcè uertit eiusdem primam ac secundam partem Summæ theologicæ, & libros quatuor aduersus gentes, qui nunc Venetiis in bibliotheca Marciana seruantur.

C **T**HOMAS, Cisterciensis monachus, eloquentiam D. Bernardi, & eiusdem in colligendis diuinæ scripturæ floribus diligentiam affectans, scripsit ad Pontium, Claramontensem episcopum, commentariorum in Canticum Salomonis libros octo non aspernandos; quorum methodum ipse in præfatione totius operis in hunc modum expressit: Ego cum Ruth Moabitide post Origenem, & alios præfatos messores Gregorium, Bedam, & Bernardum spicas, id est sententias, palea literæ inuolutas, satago colligere: uerùm singulos uersiculos ab integumento paleæ absoluo breui & compendiosa expositione. deinde enodatam sententiam multiformi disponens distinctione, postmodum, quasi apis argumentosa, percurrens flosculos scripturarum, quæ exposita sunt & distincta, eorum roborato attestations. Operis initium est, *Uehementer obstupesco, & ultra quam dici potest, admirari non desino.* Ascensus excusit Parisiis anno 1521.

D **T**HOMAS Hasselbachius, Germanus, diuinarum scripturarum ac sæcularis philosophiæ peritissimus, ingenij acumine rarus, sermone Scholasticus, sed nimis diffusus & prolixus, & ob id reprehensionem quorundam obnoxius, (nam, cum esset ordinarius sacræ theologiæ lector in gymnasio Viennensi, uno & uiginti annis Esaiam prophetam publicè enarrans, ad finem primi capituli non peruenit) fertur scripsisse tam prolixæ enarrationis suæ in primum caput Esaiæ prophetæ libros uiginti quatuor anno domini 1410.

THOMAS Sperman, Anglus, ord. Prædicatorum, scholasticè epistolam ad Hebræos & epistolam Iacobi exposuit anno domini 1290.

THOMAS Valden, Carmelita, Anglus, qui primus contra Hussitas, & Viclephitas erudita ac fortia emisit uolumina, scripsit in Pentateuchum scholasticam Postillam.

THOMAS Vius, cardinalis titulo sancti Xysti, ordinis Prædicatorum, natione Italus, patria Caietanus, eiusdemque urbis episcopus, uirtutem uitæ sanctimoniam

A Simonia, quàm ingeni præstantia illustris, subtilissimus dialecticus, admirabili philosophus, theologus incomparabilis, & inter eruditissimos doctissimi sui sæculi longè eruditissimus, anno trigesimo ætatis suæ propter singularem morum & doctrinæ excellentiam trigesimo octauo magister generalis ordinis sui Romæ electus est: & post aliquot annos in collegium cardinalium à Leone X. Pont. assumptus, mox in Germaniam cum legationis munere missus ad compescendos prophanos rumores, quos Martinus Lutherus, Vitembergenfis, nouus hæresiarcha, apud Germanos excitauerat. inde uerò reuersus, iterum ab Hadriano Pont. Max. legatus in Pannoniam mittitur cum ingenti pecuniarum ui ad comparandas copias aduersus Solymannum, Turcarum imperatorem, Pannoniam infestis armis inuadere molientem. reuocatus deinde à Clemente VII. Pont. Max. Romam rediit: ubi, capra incensaque urbe à Cæsariano exercitu, perditissimorum latronum præda factus, quinque millia aureorum precio se ab eorum manibus redemit. nec multò post cum Clemente, summus pontifex, in grauissimam & à medicis deploratam ægritudinem incidisset, ipse quoque grauissimè ægrotare cœpit, quasi se imminente pontificatus oneri surripere uellet, ad quod communi omnium expectatione uotisq; uocabatur, ac morte sua pontificis mortem præuenit, felicem animam Deo reddens III. Idus Augusti anno ætatis suæ 66. à Christi uerò natiuitate 1534. sepultusq; est Romæ in uestibulo templi Minervæ pro foribus, in sepulcro humi effosso, quod uiuens sibi ipse parauerat. cuius uitam prosa & carmine disertissimè scripsit Flavius Aquilanus, eius à secretis familiaris.

B **H**IC igitur in extrema senectute sua, post innumeras lucubrations in Aristotelis philosophiam, & in omnem D. Thomæ theologiæ editas, totam ueteris ac noui testamenti molem iuxta literæ sensum omnium difficillimum ex hebræa & græca ueritate nudo breuiq; sermone exposuit; exceptis Cantico canticorum, & Prophetis, quos moriens inchoatos deseruit, & Apocalypsin, quam de industria intactam reliquit, inquit in ea exponenda non ingenio, sed diuinatione opus esse. in ceteros uerò diuinæ scripturæ libros absolutos & integros reliquit commentarios: de quibus ego tantum subscriptos legi:

C **IN** Pentateuchum Moyfi ad Clementem VII. libros 5: *Quotidianam de diuinis.*
IN omnes libros historicos, qui de Canone hebræorum sunt, ad Clementem VII. libros XI. uidelicet:

D **IN** Iosue librum unum. *Diuo Hieronymo, Pater beatissime.*
IN Iudicum lib. 1. *Tæmpus senum, qui nouerant opera Dei.*
IN Ruth lib. 1. *In diebus & c.*
IN Regum lib. 4. *Et fuit uir & c. Titulus tam libri huius.*
IN Paralipom. lib. 2. *Circa titulum libri.*
IN Esdræ lib. 1. *Principium hoc expositum est.*
IN Nehemiam lib. 1. *Principium huius libri testatur.*
IN Iob lib. 1. *Quemadmodum quinque libros Moyfi.*
IN Psalterium ad Clementem 7. Pont. Max. lib. 1. *Diuinorum psalmorum.*
IN Prouerbia lib. 1. *Expositis omnibus prioribus.*
IN Esaiam lib. 1. *Visio Esaiæ.*
IN Matthæum ad Clementem 7. Pont. Max. lib. 1. *Romane ruina pars.*
IN Marcum lib. 1. *Finito Matthæo.*
IN Lucam lib. 1. *Completo Marco.*
IN Ioannem lib. 1. *Ioannes ultimus Euangelista.*
IN Actus Apostolorum lib. 1. *Primus & c. Lucas Euangelista.*
IN Epist. Pauli ad Carolum V. Aug. lib. 14. *Inter præclarissimas animi.*
IN Epistolas Canonicas lib. 7. *Non est usquequaque certum.*
EX uariis noui Testamenti locis Ientaculorum lib. 8. *Occurrunt in primis.*
IN totum uetus Testamentum nouam ex hebraico translationem.
IN totum nouum Testamentum emendationem iuxta græcorum codicum fidem.
SCRIPSIT Ambrosius Catharinus, archiepiscop. Compfanus, ordinis Prædicatorum

torum, tam aduersus prædicta scripturarum commentaria, quam aduersus cæter^a A huius uiri opuscula Annotationum, siue Inuectiuarum libros sex, ualde acres; de quibus cuique suum liberum iudicium relinquo. Antonius item Lusitanus à Fonsæca, ordinis Prædicatorum, Annotationes elucidatorias non omnino pœnitendas commentariis eiusdem cardinalis in Pentateuchum superaddidit.

TICHONIVS, natione Afer, cuius Augustinus in 2. libro Retractionum nonnullas expositiones expositionibus D. Cypriani prætulit, uir in diuinis & humanis literis eruditus, aduersus Donatistas acerrimè scripsit, cum esset ipse in aliquibus dogmatibus Donatista. composuit autem isagogicum uolumen, REGVLARVM prænotatum; in quo septem mysticas regulas attulit, quasi septem clauēs, ad aperiendam, inuestigandam & inueniendam occultam scripturarum intelligentiam ualde utiles. quarum prima est De domino & eius corpore, secunda De domini corpore bipartito, tertia De promissis & lege, seu De spiritu & litera, quarta De specie & genere, seu De toto & parte, quinta De temporibus, sexta B De recapitulatione, septima De diabolo & eius corpore. Has regulas D. Augustinus in tertio libro De doctrina Christiana, Cassiodorus in præfatione commentariorum in psalmos, & Isidorus libro primo de summo bono, satis laudatas, multis uerbis recensent, ac examinant. Libri huius initium est, *Necessarium duxi ante omnia.*

IDEM, ut Gennadius autor est, exposuit Apocalypsim Ioannis ex integro, nihil in ea carnale, sed totum intelligens spirituale. in qua expositione dixit angelicam stationem corpus esse. mille annorum quoque regni in terra iustorum post resurrectionem futuri suspensionem abstulit; neque duas in carne mortuorum resurrectiones futuras, unam iustorum, alteram iniustorum, sed unam, & semel omnium; in qua resurgent etiam abortiui. distinctionem autem duarum resurrectionum sic ostendit, ut primam, quam iustorum reuelationem dixit, credamus modò in ecclesiæ incremento agi, ubi iustificati per fidem à morticiniis peccatorum suorum per baptismum ad uitæ æternæ stipendium suscitantur, secundam uerò generaliter omnis hominum carnis. Hos commentarios Primasius, Vticensis episcopus, maiori ex parte in explanationes à se in Apocalypsin editas transfudit: quos etiam Beda Venerabilis presbyter in tres libros coarctauit; in quorum præfatione sic de Tichonio scribit: TICHONIVS Apocalypsin sancti Ioannis & uiuaciter intellexit, & ueridicè, satisq; catholicè disseruit, præter ea duntaxat loca, in quibus suæ partis, id est Donatistarum schisma defendere nisus, persecutiones, quas ipsi à religiosissimo Valentinianno principe, uidelicet ut hæretici pertulerunt, ecclesiis eorum, & plebibus, hominibusq; & possessionibus sub catholicorum manus contraditis, & sacerdotibus exilio retrusis desset, & martyria uocans, has in eadem gloriatur Apocalypsi fuisse prædictas. Floruit Theodosio, & filiis eius imperantibus anno domini 390.

TILMANNVS Aquensis, Germanus, Carmelita, cui præstans fuit ingenium, ac diuinis humanisq; literis excultum, lector academici Colonienſis, scripsit in euangelium Matthæi scholastica dictione librum unum anno domini 1350.

TITVS, Bostrenæ ecclesiæ in Arabia episcopus, scripsit græcos in euangelia commentarios, quorum meminit in caralogo Tritemius. Claruit sub Iuliano Principe: cuius edicto ex episcopatu suo depulsus, cum in exilium degeret, fortes aduersus Manichæos scripsit libros anno domini 340.

TRIPHON, Origenis discipulus, tam ecclesiasticis, quam ethnicis doctrinis eruditus, scripsit in 15. Geneſeos capitulum *Περὶ τῶν διαφορῶν*, hoc est, De dimidiatis partibus uaccæ, arietis, & capræ, quas Abraham unâ cum columba & turture obtulit Deo in sacrificium, librum unum; item De qualitate sacrificiorum, quæ toto Leuitici uolumine continentur, lib. 1. Claruit anno domini 130.

TRIPHIL-

ATRIPHYLLIVS, Ledri, siue Leuteonis in Cypro episcopus, cum diu apud Berythum artibus, legibus, & eloquentiæ dedisset operam, omnium ætatis suæ eloquentissimus euasit, sed affectatione non caruit. unde cum aliquando multorum episcoporum hortatu ad populum uerba faceret, dictumq; illud enarraret seruatoris nostri ad paralyticum, *Tolle grabbatum tuum, & ambula*, offensus ruditate dictionis pro *πρόβρατον* id est grabbato, *κλιθίδιον*, id est lectulum dixit. quod ^{Ioan. 5.} moleste ferens Spiridion, Trimmythuntis Cypri episcopus, Non tu quidem, inquit, præstantior es eo, qui grabbatum dixit: qui igitur pudor iste est, uerbis illius cum decoro non uelle uti? atque his dictis in conspectu omnium, episcopali sede exurgens, factum & supercilium eorum, qui oratione affectata sese efferrent, obiurgauit. Hic igitur inter alia, quæ in sacras literas commentatus est, commentaria quoque edidit in Canticum Canticorum uenustissima. Claruit sub Constantio Aug. anno domini 350. Nicephorus lib. 8. cap. 42.

BVLLIUS Crispollus, Reatinus, uir admodum pius & eruditus, Matthæi Veronensis episcopi uiri sanctitate præcipui alumnus, edidit Italica lingua tractatum De passione domini ex quatuor euangelis, sensibus & stylo admirabilem; quem Ioannes, Io. Lusitanæ regis nepos, & Aueriæ dux, lectione eius incensus, latinitati donauit, stylum & mentem autoris feliciter assecutus. Scripsit item italico sermone commentarios in Matthæum, summa laude & ueneratione dignos; quos mihi in concilio Tridentino ostendit Aegidius Foscararius ex ordine Prædicatorum, Mutinensis episcopus, episcoporum omnium huius temporis eruditissimus atque sanctissimus. Claruit anno domini 1540.

V



CERNERVVS Loreuinch de Laer, natione Theutonicus, patria Westphalus, ordinis Cartusienſium, domus sanctæ Barbaræ in Colonia Agrippina, uir in diuinis scripturis studiosissimus & ualde eruditus, uita & conuersatione deuotus, edidit opus grande super omnes epistolas Pauli, quod prænotauit DOCTRINALE PAULI. cuius initium est, *Doctrina Pauli Apostoli*. item composuit De laudibus Pauli libros septem, quorum initium, *Sicut fuit cum Moyſe, sic & c.* Claruit sub Maximiliano anno à partu uirginis quarto & nonagesimo supra millesimum & quadringentesimum.

VENANTIUS Honorius, Clementianus, Fortunatus, presbyter Italicus, scripsit in orationem Dominicam enarrationem breuem, piam, elegantem, & uariis interpretationibus secundam. eius initium est, *Tanta pietatis profunda misericordia*. Claruit anno domini 700.

DVICTORINVS, Pitabionensis episcopus & martir, diuinorum uoluminum fuit admodum studiosus. huic Hieronymus eruditionem tribuens, & eloquentiam adimens, in libro De uiris illust. inquit: VICTORINVS MARTYR, cum non æquè latinè, ut græcè, nosset, scripsit latino sermone opera multa, grandia quidem in sensibus, sed compositione uerborum uilliora. & in epistola ad Paulinum idem repetens, ait: INCLYTO Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest. in epistola uerò ad Magnum Oratorem eruditionem quoque ei detrahere uidetur, inquit: VICTORINO martyri licet in libris suis desit eruditio, non tamen deest eruditionis uoluntas. Quæ sanè Hieronymi uerba non de sacra, sed de prophana sæcularium disciplinarum doctrina intelligenda sunt. Is igitur scripsit explanationes in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Esaiam usque ad uisionem quadrupedum in deserto, in Ezechielem, in Abacuch, in Matthæum, & in Apocalypsin

PPP pfin

psin breuem commentarium annotationum per interualla dispositarum; qui nunc A
typis excusus circumfertur cum huiusmodi Hieronymi præfatione:

HIERONYMVS ANATOLIO.

DIVERSOS marina descripta tranſuadantes inueniunt casus. si turba uen-
torum fuerit uehementior; formido est. si terga iacentis elementi moderatio cri-
spauerit aura; pertimescunt insidias. ita mihi in hoc uidetur, quod misisti, uolu-
mine, quod in Apocalypsin explanationem uidetur continere Victorini. & est pe-
riculosum, & obtrectatorum latratibus patens, de egregij uiri opusculis iudicare.
nam & anterior Papias Hierapolites episcopus, & Nepos in Aegypti partibus epi-
scopus de mille annorum regno ita, ut Victorinus, senserunt. at, quia me lite-
ris obtestatus es, nolui differre: sed, ne spernerem precantem, maiorum statim
libros reuolui; &, quod in eorum commentariis reperi, Victorini opusculis fo-
ciaui. ab iota inde, quæ ipse secundum literam senserit, à principio libri ad si-
gnum crucis, quæ ab imperitis erant uitata scriptoribus, correximus; exinde us-
que ad finem uoluminis addita esse cognosce. Iam tuum est discernere, &, quid
tibi placeat, comprobare. Si uita nobis comes fuerit, & dominus sanitate dederit:
tibi nostrum in hoc uolumine potissimum sudabit ingenium, Anatoli cha-
risime.

GELASIVS Papa dist. 15. Victorini scripta inter Apocrypha reiecit. Claruit sub
Valeriano & Galieno Imp. anno domini 270.

VICTORINVS Masiliensis, rhetor, ad filij sui Etherij personam commen-
tatus est continuata expositionis serie quinque & uiginti priora capita libri
Geneseos, id est à principio libri usque ad obitum Abrahamæ patriarchæ, pio qui-
dem sensu: sed utpote sæculari literatura homo occupatus, & nullius magisterio
in diuinis scripturis exercitatus, leuioris ponderis sententias, ut inquit Genna-
dius, figurauit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus anno domini
nostri Iesu Christi 430.

VILLERAMVS, natione Germanus, professione monachus sancti Bene-
dicti, abbas Marspurgenſis, uir elegantis ingenij & eruditionis, carmine non-
minus ualens, quam soluta oratione, edidit in Cantica Cantorum ex diuersi gene-
ris carminibus prosa intermixtis commentariorum libros tres, iocunda uarietate
compositos, & ad imitationem librorum Martiani Capellæ De nuptiis Philologiæ, &
Mercurij concinnatos: quos EPITHALAMION DE NUPTIIS CHRISTI ET EC-
CLESIAE attitulauit. eorum initium est, *Cum maiorum studia*. Claruit sub Hen-
rico tertio anno domini 1070.

VINCENTIUS Presbyter, natione Gallus, linguam habens usu loquendi
& maiorum lectione politam, commentatus est primos aliquot psalmos, ex
quibus nonnullos legit Sancto homini Dei Cannati, audiente Gennadio, Masiliensis
ecclesiæ presbytero, promittens simul, si dominus ei uitam & uires daret, se in toto
Psalterio eodem stylo laboraturum. Claruit sub Martiano Imp. anno domini 450.

VINCENTIUS, Belluacensis episcopus, natione Burgundus, ex ordine
Prædicatorum, inexplebili discendi, docendi, legendi, scribendique ardore
captus, & nullis unquam studiorum laboribus ac uigiliis fessus, cum omnes omnium
penè gentium libros longo tempore, & assidua diligentia reuoluisset, hortatu ami-
corum, & sumptibus Philippi Valesij Gallorum regis adiutus collegit ex dictis inu-
merabilium autorum tam Christianorum, quam gentilium in Hexaemeron uolumen
ingens, triginta duobus magnis libris diuisum; quod idcirco SPECVLVM NATV-
RALE inscripsit, quia in hoc uno complexus esset quicquid speculatione, admira-
tione, & imitatione dignum inueniri potest in his, quæ in mundo uisibili & inuisi-
bili ab initio usque ad finem facta, uel dicta sunt, siue etiam adhuc futura sunt,
annotatis intra ipsas contextus lineas singulorum autorum nominibus. ex quorum
scriptis

A scriptis hoc opus confarcinauit. Summa autem librorum præsentis uoluminis
hæc est, uidelicet

DE PRIMA mundi creatione, hoc est De creatore, & de his, quæ ab eo anteq̃ om-
nem diem creata sunt, lib. 1. qui incipit, *Quoniam multitudo librorum.*
DE opere primæ diei lib. 1.
DE opere secundæ diei lib. 2.
DE opere tertiæ diei lib. 10.
DE opere quartæ diei lib. 1.
DE opere quintæ diei lib. 2.
DE opere sextæ diei lib. 11.
DE opere septimæ diei, quæ Deus, postquam requieuit die septimo operatur
usque modo lib. 4.

CLARUIT sub Friderico Imp. secundo anno domini 1240.

B VINCENTIUS Valentinus, ex ordine Prædicatorum, declamator suo
tempore omnium celeberrimus, scripsit in lectiones euangelicas, quæ per sin-
gulos anni dies in ecclesia leguntur, sermonum tomotres, qui inter Sermonarios
scholasticos primas habent. Claruit in concilio Constantiensi, mortuusque est an-
no domini 420. & à Callisto Pontifice eius nominis tertio inter diuos relatus.

VITALIS, ex ordine Minorum, S. Rom. ecclesiæ cardinalis, Postillam fe-
cisse in Apocalypsin, quæ incipit, *Spiritu magno uidit ultima*. habetur Bono-
niæ in bibliotheca Prædicatorum manu scripta.

VMBERTVS, Carnotensis episcopus, scripsit in illud Gen. 49. Non aufere-
tur sceptrum de Iuda, aduersus Iudæos librum unum anno domini 1100.

VVLPHILAS Gothus, Gothorum episcopus, cuius Socrates in historia ec-
clesiastica meminit, primus Gothorum literas adinuenit, primusque illis om-
nes diuinas scripturas è græco in Gothicam linguam à se couersas tradidit, &

C catholicè explicauit, diu multumque aduersus Arrianos decertans. scribit tamen
Theodoretus eum, minis & pollicitationibus Eudoxij Arriani permotum, deni-
que ad partes Valentis Augusti, Arriana pestelaborantis, declinasse. Claruit an-
no domini 370.

Z



D

ZACHARIAS, Chrysopeleus episcopus, uir suo tem-
pore celeberrimus, quatuor euangelia, in unum conti-
nuum corpus ab Ammonio Alexandrino redacta, quatuor
commentariorum libris explicauit; quos ex sententiis pa-
trum in unam catenam contextis pulchro artificio coapta-
uit. Operis initium est, *De excellentia euangelij, & differen-
tia eius ad legem &c.* Claruit anno à partu beatissimæ uir-
ginis millesimo ac centesimo.

ZACHARIAS, Hierocæsareæ episcopus, in secundâ Nicæna synodo cla-
rus, scripsit græco sermone Dialogum continuatæ narrationis, statuam au-
ream ex secundo capite Danielis explicantem, cui titulus est ΧΡΥΣΕΙΚΩΝ,
hoc est AVREA HOMINIS STATUA.

ZENO, Veronæ episcopus, & martyr, scripsisse dicitur sermones plurimos
in uarios diuinæ scripturæ locos; pro quibus Guarinus Veronensis, ora-
tor, centum ab hinc annis uolumen sermonum diuersi generis emisit in lucem:
in quo sermones, ad expositionem sacrarum literarum spectantes, habentur hu-
iusmodi:

In principium Geneseos
In Gen. 12. De Abraham

sermones duo.
sermo 1.
PPP 2 In

| | | |
|--|----------|---|
| In Gen. 28. De somnio Iacob | fermo 1. | A |
| In Gen. 38. De Iuda & Thamar | fermo 1. | |
| In Exodum | ferm. 5. | |
| In Deut. 15. super, Attende tibi, | fermo 1. | |
| De Iob | fermo 1. | |
| In principium psalmi 79. | fermo 1. | |
| In uersiculum psalmi 100. | fermo 1. | |
| In psalmum 126. | fermo 1. | |
| In psalmum 127. | fermo 1. | |
| In psalmum 128. | fermo 1. | |
| In psalmum 129. | fermo 1. | |
| In psalmum 130. | fermo 1. | |
| In Esaiam | ferm. 4. | |
| In Daniele | fermo 1. | B |
| De tribus pueris | fermo 1. | |
| De Susanna | fermo 1. | |
| De Iona | fermo 1. | |
| In Lucæ caput 12. De diuite, agrum uberem habente, | fermo 1. | |
| In Ioan. 11. De Lazaro | fermo 1. | |
| In 1. Cor. 15. super illud, Primus homo de terra terrenus, De corpore & spiritu | fermo 1. | |

Constat hos sermones maiori ex parte collectos esse ex diuersis autoribus, qui decentis penè annis fuerunt Zenone posteriores. nam sermones, qui psalmos, à nobis enumeratos, exponunt, descripti sunt ex commentariis Hilarij, ne uerbo quidem immutato. sermo in illud, Attende tibi, unà cum alia concione De liuore & inuidia, quæ in eodem uolumine hunc subsequitur, diui Basilij est. ceteri uerò sermones, siue magis fragmenta sermonum, ob styli diuersitatem, uarios arguunt autores. sed & autor sermonis De continentia, qui hoc opere continetur, affirmat se à Christi ortu abfuisse annis quadringentis, & eo amplius. At Petrus, Equilius episcopus, scribit Zenonem sub Galieno Imperatore uixisse, eiusdemque filiam, desperato morbo oppressam, diuinitus curasse, anno scilicet redempti orbis 260.

A CATALOGVS EXPOSITO RVM
HEBRAEORVM, SEV RABBINORVM,
qui Iudaica lingua, & iuxta hebraicas traditiones
diuinas literas expofuerunt.



PIVS V. PONT. MAXIMVS, cum ante pontificatum, ei diuinitus collatum, amplissimo ac sacro totius Christianæ Inquisitionis Senatui præflet, anno uidelicet humanæ salutis MDLIX. misit me Cremonam ad abolendos Thalmudicos Hebræorum libros impiæ ac prodigiosæ doctrinæ; quos Iudæi ex omni fermè Italia in eam urbem, tanquam in commune Iudaicæ nationis asylum, conuexerant. cum igitur ea de causa cœpissim diligenter euoluere uniuersas ipsorum bibliothecas, & typographicas officinas, omnium, quæ tum in Italia erant, copiosissimas; reperi infinitum numerum hebraicorum uoluminum, inter alia uerò, infra scripta Hebræorum expositorum in diuinas scripturas commentaria: quorum cum aliquam mentionem apud nostros explanatores, præcipuè scholasticos, prius inuenissim; libuit eorum nomina summam colligere, & hic collecta in calce huius libri appendicis loco subnectere. sunt autem hæc.

ABRAMAM, Esdræ filius, quem Hebræi Aben Ezra cognomine Sapientem uocant, natione Hispanus, grammaticus, philosophus, astrologus, & theologus magnus, scripsit in totum uetus testamentum libros uiginti quatuor. nos tantum uidimus commentaria in Mosem, & prophetas, impressa Venetiis apud Bambergum. Moritur in insula Rhodo; ubi celebris nixerat, anno 1217.

ABRAMAM Hispanus scripsit in Pentateuchum expositionem, quam uocauit

FASCICVLVM MYRRHAE.

ABRAMAM Parizol explanationes emisit in Iob.

ABRAMAM Saua composuit commentum in Pentateuchum, quod ZEROR AMOR appellatur.

ACHAI Goon, peruetustus interpres, in totum Mosem commentum fecit, quod SEELTHOTH, id est Quæsitæ, dicitur.

AMMAI explanationem scripsit in psalmum decimum nonum, cui titulum fecit, DE RECONDITIS PSALMI XIX.

BACAI I composuit commentarium magnum in Pentateuchum, quod nuper Iustinianus Venetiis excusit.

BERESGITH Rabba, seu Raboth, est commentarius in Pentateuchum, continens farraginem hebraicarum explanationum. scripsit & in quinque uolumina, quæ hebræi uocant Chames Meghiloth, id est in Ruth, Esther, Ecclesiasten, Canticum, & Threnos.

BARVCHIAS, quem, ut Hieronymus in commentariis Ecclesiastis testis est, maxime admirantur Iudæi, scripsit in Ecclesiasten explanationes laudatissimas.

CHISCHIA edidit explanationem in quinque libros Mosi, quæ CHIZCONI, id est Chifchionica, nuncupatur.

CHAVBENAKI fictum est uocabulum, sonans Modium puræ farinæ. sic Rabbi quidam innominatus commentaria sua in Prouerbia Salomonis inscripsit.

DAVID Kimchi, filius Rabbi Ioseph Kimchi, scripsit in psalmos, & in omnes prophetas succincta iuxta literam commentaria; ex quibus nuper Thomas Rhetus, Anglus, transtulit latinè expositiones in Aggæum, Zachariam, & Malachiam; Pellicanus uerò & Paulus Fagius, hæretici, explanationes in psalmos. collegit etiam Sciarascim, hoc est Lexicon, siue Dictionarium radicum, seu uocum linguæ sanctæ, ex diuersis Rabbinis confarcatum. Floruit circa annum salutis nostræ 1380.

HVILLVS Patriarcha scripsit in psalmos, & in Esaiam commentationes: quarum meminit Origenes, illi contemporaneus, in expositione psalmi 80. & in Esaiam Tom. 30. iisdem in locis eiusdem laudans explanationes.

IACOB Minor Prologum magnum edidit in libros Mosi.

IEVDA scripsit in totum Mosen commentariū, **MINCHATH IEVDA** appellatū. **B**

IOSEPH Cæcus, qui fermè annis trecentis floruit post secundam templi destructionem, ut in Octaplo suo testatur Augustinus Nebiensis episcopus, edidit translationem Chaldaicam in psalmos.

IOSEPH Kimchi, pater David Kimchi, scripsit commentaria in Pentateuchum, in Psalmos, & omnes Prophetas; quæ inter cæteros libros, ad nos allatos, in membranis conscripta inuenimus. Claruit circa annum domini 1350.

ISAAC Harmaa scripsit commentarios in Pentateuchum, qui inscribuntur **HEKEDATH ISCHAC**, id est Sacrificium Isaach. scripsit item in Chames Meghiloth, id est in quinque uolumina Ruth, Esther, Ecclesiasten, Canticum, & Lamentationes commentaria.

ISAAC Ben Schola collegit explanationem in psalmos, ex qua Augustinus Nebiensis multa transtulit in Octaplo psalmorum.

ISAAC Karo, Syrus, collegit commentariolum in Pentateuchum, qui à Iudæis uocatur **THOLDOTH ISCHAC**, id est Generatio Isaach, anno domini 1550. **C**

ISAAC Nathan scripsit Concordantias Bibliæ ad similitudinem concordantiarum latinarum, quas Hugo Carensis in Biblia edidit. hæ ab Hebræis uocantur **IATR NATHIB**, hoc est Illuminans iter.

ISMAEL scripsit in partem posteriorem Exodi commentarium, qui dicitur **MECHILTHA**.

LEVI Ben Gerson, Rabbinorum ultimus, scripsit commentarios in Pentateuchum, in Iosue, Iudicum, Samuel, Regum, Psalmos, Prouerbia, Iob, Prophetas, & libros historicos omnes; quos excusit Daniel Bambergus Venetiis.

MANAHEM à Rechanate edidit commentarios in Pentateuchum, **ZIONI** prænotatos: quorum cum mille ferè exemplaria, innumeris Thalmudistarum impietatibus referta, ad nos fuissent perlata, mandante sacro Romanæ Inquisitionis Senatu, una cum aliis decem millibus Thalmudicorum scriptorum uoluminibus exusta fuerunt. **D**

MASSORETH, id est Traditiones, & correctiones Bibliæ, opus est, diuersorum Rabbinorum castigationes in Biblia continens.

MIDRAS Theillim est nomen commentarij, quod complectitur Rapsodias explanationum diuersorum Rabbinorum in psalmos. ex hoc Augustinus, Nebiensis episcopus, scholia in Octaplo psalmorum collegit.

MOYSES Aegyptius, filius Maimoni, scripsit doctissimum opus, quod **MORE HANEVCHIM**, hoc est, Duce[m] errantium, inscripsit; in quo plurima diuinæ scripturæ loca diligenter exposuit. Ex hoc opere tam diuus Thomas, quam cæteri theologi scholastici uaria testimonia ad enarrationem sex dierum produciunt. Claruit circa annum domini millesimum. De hoc apud hebræos celebratissimum fertur elogium, quod **A MOYSE VSQVE AD MOYSEM NON SVRREXIT**

A **XIT ALTER MOYSES**, SICVT ISTE. hoc est, quod à Mose legislatore usque ad Mose[m] Aegyptium non fuerit ullus huic Moyfi eruditione conferendus. Hunc Iudæi **RAMBAM**, hoc est Rabbi Moysem, Ben Maimoni uocant, nomen ipsius, ac dignitatis ipsius, & patris ipsius unico uocabulo, ex quatuor capitalibus earundem appellationum literis composito, perstringentes; quod & in plerisque aliis Rabbinorum titulis facere solent.

MOSES Gerundenfis Ben Neheman scripsit in Pentateuchum, & in Iob commentaria erudita. huic Iudæi inter kabalistas ultimi temporis primas tribuunt.

MOSES Hadarsan edidit commentaria in Genesim, & in psalmos; quorum centones adducit Nebiensis episcopus in Octaplo psalmorum.

PESIKTHA, hoc est Determinatio, nomen peruetusti commentarij est, ignotum habentis autorem: quod tres posteriores libros Mosi exponit.

B **SAADIAS** Ben Gion scripsit commentarios in Daniele[m], à Bambergo excusos Venetiis.

SALOMON Iarchi, Gallus, quem Iudæi, composito ex initialibus literis nomine, Raschi uocant, Isaac filius, inter recentiores primus scripsit commentarios in totam Bibliam: estque apud suos uir magnæ autoritatis. citatur hic aliquando à nostris scholasticis explanatoribus, præcipuè uerò apud Lyranum. Claruit circa annum domini millesimum.

SIRHASIRIM Pirus, hoc est Cantici Canticorum, explanatio ab incerto autore collecta.

SIFRA, id est Liber, nomen est uetusti commentarij super Leuiticum, cuius autor ignoratur; quem uulgus Iudæorum appellat **THORATH COENIM**, hoc est Lex sacerdotalis.

C **SIFRI** nomen antiqui commenti est super posteriorem partem libri Numerorum & totum Deuteronomion; cuius autor per excellentiam **RAB**, id est Magister appellatur.

SIMEON, filius Iochay, inter Iudæos expositores uetustissimus, scripsit ante Christum natum uolumen ingens in Pentateuchum, **ZOAR** nuncupatum; cuius duo millia exemplaria in officina typographica Cremonensi excusa inuenimus, & iam ab Hispanis militibus incendio destinata seruauimus.

SIMEON Ben Ioachim super Leuiticum amplissimum uolumen scripsit; in quo penè omnium rerum naturas discutens ostendit, quomodo Moyse[s] secundum triplicis mundi conuenientiam, & rerum naturam arcam, tabernaculum, uasa, uestes, ritas, sacrificia, & reliqua mysteria ad Deum, & uirtutes cœlestes placandas, & ad expiandum hominem horum imaginem ordinauit. idem composuit in omnes uiginti quatuor ueteris instrumenti libros Ialcut, id est Collectanea, quæ **SIMONI**, hoc est Simonica, inscribuntur.

T **HARGVM**, id est Translatio, & Paraphrasis, præsertim de lingua hebraica in Chaldaicam, magnæ apud hebræos autoritatis est. Iudæi enim ex captiuitate Babilonica, in qua linguæ sanctæ obliti fuerant, redeuntes, alienam linguam in Palæstinam reportarunt, nempe Chaldaicam, siue Syriacam, quam didicerant in Chaldaea: eaque usi sunt in terra sua, etiam tempore Christi, atque in eam transtulerunt legem Mosaicam, Prophetas priores & posteriores. Autores interpretationis huius fuerunt Onkelos, qui Pentateuchum uertit; Ionathan, qui & Legem, & Prophetas transtulit; Rabbi Ioseph, qui uertit Psalterium, Prouerbia, Iob, Ecclesiasten, Cantica, Ruth, Esther, & c. Hanc Franciscus Xymenius, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, affirmat esse in Pentateucho sinceram ac fidelem, in cæteris uerò diuinæ scripturæ uoluminibus nugacem.

CATALOGVS EXPOSITORVM ^A

S AN CT AE S C R I P T V R AE;

iuxta ordinem uoluminum utriusque Testamenti digestus ; in quo enumerantur explanatores, qui uel in omnes, uel in aliquot, uel in singulos Bibliorum libros scripserunt .

Eorum, qui in uetus Testamentum scripserunt, Catalogus.

Aquila
Eusebius Cæsariensis
Hesychius Monachus
Iosephus Ierosolym.
Iustus Tyberinus
Lucianus
Matthæus Doringus
Paulus Burgensis
Patrophilus
Septuagintaduo Interpr.
Sophronius
Symmachus
Theodotion.

Eorum, qui in utrumque Testamentum scripserunt, Catalogus.

Albertus Magnus
Alexander Hales
Apollinarius Iunior
Anselmus Laudunensis
Augustinus Nebienfis
Aurelius Augustinus
Barptolemaeus Vrbina
Beda
Dionysius Cartusianus
Franciscus Georgius
Franciscus Ximenius
Godelbertus
Godefridus Tilmannus
Godefridus Viterbiensis
Haymo
Hieronymus
Hugo Carensis
Hugo Victorinus
Iacobus Genuæ Archiep.
Ioan Chrysostomus
Isidorus Iunior Cordub.
Isidorus Pelusiota
Nicolaus Gorran.
Nicolaus Lyranus

Nicolaus Zicenius
Origenes
Paterius
Petrus Brunaquellus
Petrus Bertorius
Petrus Cantor
Petrus Comestor
Petrus Paludanus
Petrus Riga
Pontius Carbonellus
Rabanus
Richardus Victorinus
Rupertus Tuitienfis
Sanctes Pagninus
Seraphinus Cumiranus
Strabo
Thomas Caietanus .

In Octateuchum, id est Octo primos sanctæ scripturæ libros, ab initio uidelicet Geneseos usque ad Paralipomenon scripserunt

Alfonus Toftatus
Claudius Monachus
Gregorius Papa
Iacobus Martinus
Oecumenius
Philo Iudæus
Procopius Gazæus
Stephanus Anglicus
Theodoretus .

In Pentateuchum, id est in quinque libros Moysi, scripserunt

Alanus Insulensis
Albertus Patauinus
Aristobulus Antiquior
Aristobulus Iunior
Augustinus Steuchus
Benedictus Stendal
Bruno Archiep. Colonienfis
Cyrillus

Diodorus

^A
Diodorus
Erardus
Eucherius
Franciscus Vatablus
Hieronymus ab Oleastro
Hugo Victorinus
Iacobus Lufanus
Ioa. Zacharias
Matthæus Ebroicensis
Paulus Riccius
Remigius.

I N G E N E S I M
S C R I P S E R V N T

^B
Aegidius
Albinus
Aloysius Lyppom.
Ambrosius Compfa
Ambrosius Mediolanen.
Anastafius Iunior
Andreas Bilius
Anselmus Cantuarien.
Antonius Honcala
Apion
Auitus
Aurelius Prudentius

^C
Bruno Ruthenus
Candidus
Clemens Alexandrinus
Dracontius
Eccardus
Eucherius
Eusebius Cæsariensis
Eusebius Emesenus
Gennadius Constantinop.
Guillelmus Hamerus
Guillelmus Parisien.
Gregorius Niffæ
Guillelmus Pepin.

^D
Henricus Hafsius
Henricus Langestein.
Hermannus Schildius
Hieronymus Fracastorius
Hieronymus Sauonarola
Hilarius Arelatenfis
Hippolytus
Honorius Augustud.
Ioannes Buteo
Ioannes Duns
Ioannes Picus
Iota Nogarola
Iunilius
Ludouicus Iunior
Melito

Methodius
Nicolaus Cusanus
Nicolaus Triuet
Nouatianus
Paulinus Nolæ
Petrus Aliacus
Remigius
Richardus Victorinus
Robertus Roseus
Rodon
Rufinus
Saluanus
Seuerianus
Sixtus
Strabo Antiquior
Tertullianus
Thomas Aquinas
Thomas Sperman
Thomas Valden
Victorinus Mafsiliensis
Victorinus Pitabionensis
Vincentius Belluacensis
Umbertus Carnotensis.

I N E X O D V M .

Aloysius Lyppom.
Ambrosius Mediol.
Auitus
Bonauentura
Eccardus
Ezechiel
Gregorius Nyffæ
Guillelmus Pepin.
Gymnastus
Henricus Consueldius
Henricus Hafsius.
Hieronymus Sauonarola
Hippolytus
Ioannes Gauuer
Ioannes Rusbrochius
Maximus Monachus
Niceas
Nicolaus Alfentius
Nicolaus Dincespulus
Robertus Roseus
Tertullianus
Thomas Valden
Victorinus Pitabion.

I N L E V I T I C V M .

Hesychius presbyter
Ioannes Nider
999 Nicolaus

Nicolaus Triuet.
Rodulfus Flauiac.
Robertus Roseus
Thomas Valden
Triphon
Victorinus Pitabionensis

IN NUMERI.

Ambrosius Mediol.
Hippolytus
Triphon

IN REGVM LIBROS.

Ambrosius Mediolan.
Andreas Gallus
Angelomus Monachus
Aurelius Augustinus
Bernardus
Cornelius Magnanus
Diodorus
Eucherius
Gregorius Papa
Hegefippus
Hippolytus
Ioannes Agen
Isidorus Corduben. Senior
Methodius
Nicolaus Chenton
Procopius
Theodorus Ancyra.

IN ESDRAM.

Ioannes Ferus
Iunilius.

IN TOBIAM.

Ambrosius Mediolan.
Fridericus Nausea
Ioannes Hofmeister
Mathias Vindonice
Richardus Laninan.

IN IVDITH.

Cornelius Magnanus.

IN IOB.

Ambrosius Alexander
Ambrosius Mediolan.

Catena Græca
Conradus Halberstad
Cyprianus Monte martyr
Didymus
Franciscus Titelmannus
Gregorius Papa
Hieronymus Saonarola
Hilarius Pictauensis
Ioannes Francfortius
Odo
Olympiodorus
Philippus Monachus
Polychronius
Richardus Ampolus
Simon Affligemensis
Thomas Aquinas

IN PSALTERIVM.

Agathius
Albinus
Alexander Capgrau
Alexander Cestriensis
Alfonfus Castrensis
Ambrosius Amsbertus
Ambrosius Mediolanensis
Anastafius Antiochenus
Angelus Sangrinus
Anselmus Lucensis
Anselmus Mantua
Apollinarius
Aribo
Armandus
Arnobius
Asterius
Athanasius
Augustinus Steuchus
Aurelius Cassiodorus
Basilus
Bernardus
Bonaventura Cardinalis
Bruno Cartusianus
Bruno Herbipolensis
Carolus Boniltus
Catena in Pfalmos græca
Christianus Ischyrius
Chrystophorus Marcellus
Columbanus
Cornelius Bironinus
Cosmus indicoplefus
Didymus
Diodorus
Eynardus
Epiphanius Scholasticus
Eusebius

Eusebius Casariensis
Eusebius Vercellensis
Eustachius Antioch.
Euthymius
Felix
Franciscus Miletus
Franciscus Ortisius
Franciscus Pantiscotius
Franciscus Petrarcha
Franciscus Puteanus
Franciscus Titelmannus
Franciscus Vifdominus
Franciscus Zamotensis
Fridericus Nausea
Gabriel Brebia
Galterus Disseus
Galterus Magolensis
Georgius Vicellius
Germanus Constantinop.
Gilbertus Poretanus
Gregorius Papa
Gregorius Nysia
Guillelmus Aluernas
Guillelmus Gregorius
Guillelmus Irfaugiensis
Guillelmus Pepin
Guillelmus Vellius
Hadrianus Lametius
Henricus Logen
Hieronymus Saonarola
Hieronymus Varlenius
Hilarius Pictauensis
Hippolytus
Honorius
Iacobus Furnius
Iacobus Paniscotius
Iacobus Perez Valen
Iacobus Sadoletus
Ianus Vitalis
Innocentius Papa 3.
Innocentius Papa 5.
Ioannes Arundineus
Io. Baptista Folengus
Ioannes Dominici
Ioannes Ferus
Ioannes Franciscus
Ioannes Gagneus
Ioannes Gerson
Ioannes Ludouicus
Ioannes Meclinus
Ioannes Neouillanus
Ioannes Picus
Ioannes Rosensis
Ioannes Turrecremata

Ionita Rapicius
Lanfrancus
Leander
Leebertus
Lodolphus Cartusianus
Ludouicus Pictorius
Mapheus
Matthæus Aulæregia
Matthæus Bredembachius
Michael Angrianus
Nicolaus Dincespulus
Nicolaus Gorranus
Nicolaus Herbron
Nicolaus Triuet
Ninianus
Nonius Marcellus
Othofridus
Othomarus
Paulus Riccius
Peregrinus
Petrus Aliacus
Petrus Edesa
Petrus Herentlafius
Petrus Lombardus
Petrus Perpianus
Petrus Rufus
Philippus Cancellarius
Placidus Parmensis
Prosper
Rainerius
Remigius
Richardus Exceffrien.
Richardus Pampolitanus
Robertus Linconienfis
Rodolphus Agricola
Serapion
Sixtus
Smaragdus
Theodoricus Herxenius
Theodorus Antiochia
Theodorus Heracleotes
Theodoretus
Thomas Aquinas
Thomas Gualensis
Vincentius Liritensis.

IN PROVERBIA.

Alexander Necan
Aluarus
Ambrosius Mediol.
Basilus
Euagrius
Eustachius Antioch.
Q99 2 Gilber-

Gilbertus Parisiensis
 Gregorius Olympiades
 Gregorius Papa
 Guillelmus Aluernas
 Henricus Hafsius
 Hippolytus
 Ioannes Arboreus
 Petrus Brunaquellus
 Petrus Gottifredus
 Rodolphus Baynus
 Salonius
 Theophilus Antiochiæ
 Thomas Gualensis.

IN ECCLESIASTEN.

Acacius
 Albinus
 Alexander Necan
 Dionysius Alexandrinus
 Garicus Parisiensis
 Gerardus Moringus
 Gregorius Neocæsariensis
 Gullelmus Alconas
 Hippolytus
 Ioannes Arboreus
 Ioannes Dominici
 Ioannes Ferus
 Olympiodorus
 Petrus Brunaquellus
 Rupertus Holcoth
 Salonius
 Saluianus
 Sigebertus
 Victorinus Pitabionensis.

IN CANTICA.

Abbas Vercellenfis
 Aegidius
 Agathius
 Alanus Rupensis
 Alexander Exceftrien.
 Albinus
 Ambrosius Amsbertus
 Angelomus
 Anselmus Cantuariensis
 Aponius
 Aprigius
 Aur. Cafsiodorus
 Bernardus
 Cyprianus Cifterciensis
 Eccardus
 Fulalius Cynopolitanus

Gerardus Sauonæ
 Gilbertus Monachus
 Gifelbertus Anglus
 Gregorius Olympiadas
 Gregorius Papa
 Guillelmus Abbas
 Guillelmus Aluernas
 Henricus Harphius
 Henricus Hafsius
 Hermanus Schildius
 Hilarius
 Hippolytus
 Honorius
 Iacobus Anglicus
 Iacobus Peretz
 Innocentius Papa V.
 Ioannes Arboreus
 Ioannes Dominici
 Ioannes Gerfon
 Ioannes Halgrinus
 Ioannes Verdiacus
 Iulianus Celanensis
 Iustus Orgelitanus
 Leonardus Giphonenfis
 Lucas Abbas
 Marbadus
 Methodius
 Michael Picardus
 Orofius
 Paganus Bergomenfis
 Petrus Aliacus
 Petrus Brunaquellus
 Petrus Nannius
 Philippus Abbas
 Philippus Alberti
 Philo Carpathius
 Pfellus
 Remigius
 Rethicius
 Rupertus Holcoth
 Rupertus Limpurgensis
 Simon Monachus
 Theodoretus
 Thomas Aquinas
 Thomas Cifterciensis
 Thomas Gualensis
 Triphyllius
 Victorinus Pitabionensis
 Villeramus.

IN SAPIETIAM
Salomonis.

Bellator
 Eccardus

Eccardus
 Ioannes Arundineus
 Petrus Nannius
 Rupertus Holcot

IN ECCLESIA-
 STICVM.

Ioannes Alerius
 Nicolaus Gorran
 Rupertus Holcoth
 Rupertus Roseus
 Rupertus Valfingen.

IN ESAIAM.

Adam
 Alanus Infulensis
 Alredus Rieuallis
 Ambrosius Mediolanen.
 Basilius
 Cyrillus
 Didymus
 Eusebius Cæsariensis
 Franciscus Forerius
 Gifelbertus Anglus
 Hector Pinctus
 Henricus Vichingan
 Ioachim Abbas
 Matthæus Ebroicensis
 Michael Massanus
 Nicolaus Dincepsulus
 Procopius
 Richardus Victorinus
 Theodoretus
 Thomas Aquinas
 Thomas Haffelbach
 Victorinus Pitabionensis.

IN IEREMIAM.

Ioachim Abbas
 Theodoretus
 Thomas Aquinas.

IN THRENOS.

Anselmus Mantua
 Hugo Victorinus
 Ioannes Chiningen
 Ioannes Quinquarboreus
 Nicolaus Clenardus
 Paschafius
 Richardus Ampolus

Richardus Pampolitanus
 Theodoretus
 Thomas Aquinas.

IN EZECHIELEM.

Alexander Necan
 Catina Syrus
 Esychius
 Gregorius Nazianzenus
 Gregorius Papa
 Hieronymus Sauonarola
 Hippolytus
 Hugo Victorinus
 Ioannes Chiningan
 Michael Cefenas
 Nicolaus Cabafilas
 Polychronius
 Proclus
 Richardus Victorinus
 Simon Affligemenfis
 Theodoretus
 Victorinus Pitabionensis.

IN DANIELEM.

Apollinarius
 Cyrillus
 Eusebius Cæsariensis
 Gennadius
 Hippolytus
 Ioachim Abbas
 Ioannes Capgranius
 Ioannes Hagen
 Iudas
 Iulius Afer
 Michael Picardus
 Richardus Victorinus
 Theodoretus
 Zacharias.

IN OMNES XII.
prophetas Minores.

Guido Cartufianus
 Guillelmus Melitonensis
 Remigius
 Stephanus Anglus
 Theodoretus.

IN OSEAM.

Cyrillus
 Didymus
 Pierius

Gregorius Nyssa
 Henricus Continueldius
 Henricus Langeftien.
 Henricus Caltifen.
 Hubertus Leonardo
 Hugo Victorinus
 Iacobus Sanazarius
 Ioannes Beuerlacius
 Ioannes Dominici
 Ioannes Ildinius
 Ioannes Rosenfis
 Ifidorus Theſſalon.
 Iodocus
 Michael Angriannus
 Nicolaus Gallus
 Odo
 Petrus Aliacus
 Theodoricus Herxen.

IN IOANNEM.

Albinus
 Ambrosius Mediolanen.
 Amphilocheus
 Andreas Creta
 Anselmus
 Augustinus
 Baſilius
 Bernardus
 Beſſarion
 Bonauentura
 Claudius Guillaudus
 Cornelius Muſæus
 Cyrillus
 Didymus
 Franciſcus Titelmannus
 Georgius Trapezuntius
 Gilbertus Porrettanus
 Gregorius Corinth.
 Guillelmus Aquifgran.
 Ioachim Abbas
 Ioannes Sanctafides
 Iodocus
 Iosephus Tyberinus
 Ifaac
 Laurentius Iuſtinianus
 Nonnus Panopolita
 Petrus Schala
 Stephanus Poloniacus
 Theodorus Heracléotes.

IN ACTVS
 APOSTOLORVM.

Alexander Dolenſis.

Arator
 Aur. Caſſiodorus
 Diodorus Tarſenſis
 Eutalius
 Iosephus Tyberinus
 Nouatus
 Petrus Appianus
 Theodorus Ancyra
 Tertullianus
 Thomas Valden.

IN OMNES PAULI
 Epistolæ.

Adam
 Alanus Infulenſis
 Albertus Patauinus
 Albinus
 Ambrosius Compſæ
 Ambrosius Mediolanenſis
 Anſelmus Cantuarienſis
 Apollinarius
 Auguſtinus Romanus
 Bruno Cartuſianus
 Caius Marius Victorinus
 Catena Latina in Paulum
 Claudius Alriſiodorenſis
 Claudius Guillaudus
 Diodorus
 Franciſcus Titelmannus
 Gilbertus Porrettanus
 Gothſcalcus
 Gregorius Ariminenſis
 Gregorius Primaticius
 Guttierus
 Heraclius
 Innocentius Papa V.
 Ioannes Arboreus
 Ioannes Chriſtophori
 Ioannes Ildinius
 Ioannes Milbach
 Ioannes Peffer
 Ioannes Vitlichius
 Ioannes Zacharias
 Lanfrancus
 Matthæus Aquasparta
 Paduanus
 Petrus Lombardus
 Petrus Senonenſis
 Petrus Tripolitanus
 Phocius
 Primaſius
 Radulphus Flauiacenſis
 Ramaldus
 Remigiſius

Richar-

Richardus Medianilla
 Rupertus Regno
 Sedulius
 Simon Cremonenſis
 Simon Spirenſis
 Stephanus Langion
 Theodorus Heracléotes
 Theodoretus
 Theophylactus
 Vernerus.

AD ROMANOS.

Aegidius
 Antonius Bruich
 Aſterius
 Clemens Araneus
 Dominicus Sotho
 Germanus Brixius
 Guillelmus Theodor.
 Henricus Conſueldius
 Hugo Victorinus
 Iacobus Naclantus
 Iacobus Sadoletus
 Ioannes Arundineus
 Ioannes Bacco
 Ioannes Caſſianus
 Ioannes Dominici
 Ioannes Duns
 Mathæus Aquasparta
 Nicolaus Grandis
 Philibertus Arefches
 Sixtus Senenſis
 Sixtus Nouocomeuſis
 Stephanus Poſtillator
 Theodolus
 Thomas Valden.

AD CORINTHIOS.

Ioannes Dominici
 Ioannes Haiton
 Ioannes Hofmeiſter
 Ioannes Victorinus
 Pierius.

AD GALATAS.

Acacius
 Alexander Cappadocia
 Apollinarius
 Didymus
 Euſebius Emefæ
 Seuerianus

Theodorus Heracléotes.

AD EPHEſIOS.

Iacobus Naclantus

AD PHILIPPENSES

Ioannes Hofmeiſter
 Gregorius Nyſſæ.

AD TITVM.

Richardus Lauinan.

AD HEBRAEOS.

Cyrillus
 Conſtantineus
 Gennadius
 Guillelmus Melitonius
 Heſychius
 Hieronymus Veronæ
 Ioannes Huldarici
 Nicolaus Grandis
 Stephanus Poſtillator
 Thomas Sperman.

IN OMNES EPISTOLAS
 CATHOLICAS.

Ambrosius Compſæ
 Auguſtinus Anconas
 Aurelius Caſſiodorus
 Claudius Guillaudus
 Didymus
 Franciſcus Titelmannus
 Gregorius Ariminenſis
 Ioannes Baptiſta Folengus
 Ioannes Chiningan
 Ioannes Hoblet
 Nicolaus Dinceſpulus
 Thomas Sperman
 Thomas Valden.

IN CATHOLICAM
 IOANNIS.Ioannes Ferus
 Hieronymus Sauonarola.

IN APOCALYPSIN.

Albinus
 Ambrosius Compſæ
 Ambrosius Mediolanenſis.
 Andreas Caſſareæ
 Rrr Aprius

Aprigius
 Arethas
 Ascensius
 Augustinus Romanus
 Aurelius Augustinus
 Aurelius Cassiodorus
 Bernardinus Senensis
 Bruno Senensis
 Claudius Montemartyr
 Cœlius Pannonius
 Dionysius Alexandrinus
 Fridericus Venetus
 Gaufridus
 Gennadius Massiliensis
 Henricus Hafsius
 Helias
 Hippolytus
 Iacobus Stralen
 Ioachim Abbas
 Ioannes Annius
 Ioannes Galensis
 Ioannes Haiton
 Ioannes Hentennius
 Ioannes Tacesfalfus
 Ioannes Torphe
 Iordanus
 Irenæus
 Iustinus
 Melito
 Methodius
 Nepos
 Nicolaus Alsentius
 Primasius
 Serafinus Firmanus
 Tichonius
 Thomas Suduolcas
 Vbertinus Cafalensis
 Victorinus martyr
 Vitalis Cardinalis

EURVM, QUI SEPARATIM scripserunt in euangelia, epistolas, atque alias diuinæ scripturæ lectiones, quæ siue per quadragesimam, siue per anni circulum in Missis leguntur, Catalogus.

Albertus Patauinus
 Albinus
 Antonius Bitontinus
 Antonius Bruich
 Antonius Gislandus
 Aurelius Augustinus
 Beda

Callistus
 Cæsarius
 Cyrillus Hierosolym.
 Dauid
 Ecbertus
 Ericus
 Eusebius Emesenus
 Flauianus
 Franciscus Obsunna
 Fridericus Naulea
 Fulgentius
 Galterus Disseus
 Georgius Vicellius
 Gerardus Stredam
 Gregorius Papa
 Gotscalcus
 Guerricus
 Guillelmus Pepin
 Haymo
 Henricus Caltisen
 Henricus Conueldius
 Henricus Harphius
 Henricus Helmesius
 Henricus Langestein
 Henricus Vrimaryus
 Hermannus Petra
 Hildegardis
 Honorius
 Iacobus Genuensis
 Iacobus Scoperus
 Innocentius Papa 3.
 Ioannes Arundineus
 Ioannes Beethz
 Ioannes Castellensis
 Ioannes Doceus
 Ioannes Dominici
 Ioannes Ferus
 Ioannes Gauuer
 Ioannes Hofmeister
 Ioannes Iustus
 Ioannes Maria
 Ioannes Nider
 Ioannes Niuecellensis
 Ioannes Regno
 Ioannes Roiardus
 Ioannes Taulerius
 Ioannes Turrecremata
 Indocus
 Lucas Losius
 Mauritius Parisiensis
 Maximus Taurin.
 Michael Cefenas
 Nicolaus Cusa
 Nicolaus Herbim

Nicolaus

A

B

C

D

A Nicolaus Dincepulus
 Petrus Chryfologus
 Petrus Spirensis
 Petrus Verberius
 Sanctius
 Sixtus
 Smaragdus
 Stephanus Paris.
 Syluester
 Titus
 Thomas Hasselbachius.

Eorum, qui scripserunt in Passionem Christi, iuxta quatuor Euangelistarum historiam, Catalogus.

B Antonius Gueuara
 Boninus
 Dominicus Mancinius
 Franciscus Zichenius
 Georgius Molitoris
 Gerardus Lorichius
 Gregorius Nazianzenus
 Guillelmus Aquisgran.
 Henricus Arnoldi
 Henricus Gulpen.
 Henricus Sufo
 Hieronymus Patauinus
 Ioannes Benius
 Ioannes Caneman.
 Ioannes Capistranus
 Ioannes Ferus
 Io. Franciscus Quintianus
 Ioannes Taulerius
 Leo Papa
 Theodoricus Hetxen.
 Tullius Crispoldus.

D IN DECALOGVM.

Antiochus Monachus
 Arnoldus
 Bonauentura
 Fridericus Naulea
 Gerardus Stredam
 Gotscalcus
 Henricus Harphius
 Henricus Vrimaryus

Hermannus Coloniensis
 Ioannes Beetz
 Ioannes Gerfon
 Ioannes Nider
 Michael Mediolanen.
 Nicolaus Dincepulus
 Thomas Aquinas
 Thomas Hasselbachius

IN ORATIONEM
 DOMINICAM.

Aegidius
 Albertus Magnus
 Bernardus
 Bonauentura
 Carolus Bouillus
 Cyprianus Carthagin.
 Hermannus Coloniensis
 Hermannus Petra
 Hieronymus Sauonarola
 Ioannes Gerfon
 Ioannes Ludouicus
 Ioannes Picus
 Indocus
 Nicolaus Dincepulus
 Petrus Aliacus
 Theodoricus Herxen.
 Thomas Aquinas
 Thomas Hasselbach.

IN SALVATIONEM
 Angelicam.

Aegidius
 Bernardus
 Henricus Langestein
 Ioannes Isidinius
 Petrus Aliacus
 Theodoricus Herxen.
 Thomas Aquinas.

IN CANTICA
 Ferialia.

Euthymius
 Iacobus Peretz Valentinus
 Theodoretus
 Ludolphus Cartufianus

CATALOGVS ALTER, IN QVO DIVINAE ^A

scripturæ expositores in varias distribuuntur classes,
iuxta uarietatem methodorum, quibus sacri expo-
sitores in exponendis sanctis literis usi sunt.

*Abbreniatores, qui exposito-
rum proluxa commentaria
abbreniarunt.*

Aretas
Beda
Euthymius
Hieronymus Stridonensis
Odo Cluniacus
Petrus Ximenius
Simon Affligemensis
Theodoretus
Theophylactus.

ANNOTATORES.

Apollinarius Iunior
Anselmus Laudunensis
Aurelius Augustinus
Bernardinus Gadoius
Franciscus Maronius
Franciscus Titelmanus
Hieronymus Stridonensis
Hugo Victorinus
Ioannes Benedictus
Nicolaus Zigenus
Origenes
Richardus Victorinus.

COACERVATORES.

Alfonfus Toftatus
Gregorius Papa
Henricus Langestein
Sixtus Nonocomensis.
Thomas Affelbach.
Vincentius Belluacensis.

COLLECTORES

Rapsodij, Centonarij.

Alalphus
Aloysius
Arethas
Augustinus Anconas
Barptolemaus Vrbinas
Beda
Catena in Iob græca
Catena in psalmos græca
Catena græca in euang.

Dominicus Nanus
Epiphanius Scholasticus
Eucherius
Euthymius
Eudocia
Franciscus Puteanus
Godefridus Tilmanus
Guernerus Parisiensis
Haymo
Henricus Helmesius
Paterius
Patritius
Petrus Tripolitanus
Petrus Herentlasmus
Primafius
Proba
Rabanus
Sanctes Pagninus
Seclubius
Theodolus
Thomas Aquinas

B

C

COMMENTATORES
*Quoniam pauci admodum sunt di-
uina scripturæ expositores, qui non
aliquid in commentationum Metho-
do elaborauerint, & usus, (ut
in tertio huius operis libro monui-
mus) obtinuit, ut quicumque sacro-
rum expōitorum labores commen-
taria appellentur; superuacaneum
duximus Catalogum commentato-
rum hoc loco ascribere.*

D

COMPENDIARIJ,
*qui diuinas scripturas in com-
pendium contraxere.*

Alanus Insulensis
Aurelius Casiodorus
Ioannes Monachus
Petrus Bertorius
Petrus Verberius
Richardus Victorinus.

CHRONOGRAPHI.

Beda
Eusebius

Hermanus

A Hermanus Contractus
Ioannes Driedo
Iulius Africanus
Iosephus Hierosolym.
Philo Iudæus
Richardus Victorinus.

DIALOGISTAE.

Apollinarius Iunior
Aurelius Augustinus
Iacobus Sadoletus
Ioannes Gerson
Paduanus
Salonius
Zacharias.

B

DICTIONARIJ.

Andreas Placus
Beda
Epiphanius
Eucherius
Franciscus Xymenius
Ioannes Benedictus
Ioannes Pratus
Isidorus Ispalensis
Mammotreptus
Marcus Vimenis
Origenes
Philo
Sanctes Pagninus.

C

DISPUTATORES
& Questionarij.

Aegidius
Alfonfus Toftatus
Albinus
Apollinarius
Antonius Ghilandus
Aurelius Augustinus
Beda
Cyrillus
Eucherius
Eusebius Cæsariensis
Franciscus Georgius
Hieronymus
Hugo Victorinus
Ioannes Arboreus
Iustinus
Matthæus Doringus
Methodius
Paulus Burgenis
Philippus Sidæ
Philo Iudæus

D

Richardus Cluniacensis
Seraphinus Cumiranus
Tatianus
Theodoretus
Thomas Aquinas.

EGLOGISTAE

Arlottus
Aurelius Augustinus
Cyprianus Carthagin.
Defensor
Ioannes Mentolonius
Ioannes Niuecellensis
Melito
Nicolaus Anapus
Petrus Nouæ ciuitatis episc.

EPISTOLARIJ.

Ambrosius
Aurelius Augustinus
Hieronymus
Isidorus Pelusiota.

GEOGRAPHI.

Adamanus
Albertus Patriarcha
Beda
Burgardus
Callistus Placentinus
Eusebius Cæsariensis
Guillelmus Aquisgranus
Iludolfus Suchen
Matthæus Aurogallus
Orontius Phineus
Petrus Apianus
Rodolphus Langion
Rogerus Bacco.

HARMONICI.

Ammonius Alexandrinus
Antonius Bruichius
Diegus Deza
Dominicus Nanus
Eusebius Cæsariensis
Gerardus Lorinchius
Ioannes Gerson
Robertus Gouletus
Simon Corroius
Sixtus Senensis
Tatianus
Theophilus Alexandria
Victor.

Rrr 3 HOMI-

HOMILISTAE

Enarratores.

Albinus
Ambrosius Mediolan.
Amphilochius
Anastasius
Anselmus Cantuarien.
Antiochus
Antonius Puccius
Aurelius Augustinus
Basilus
Beda
Bernardus
Candidus
Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus Hierosolym.
Ericus
Eusebius Emesenus
Franciscus Vindominus
Fridericus Naufca
Fulgentius
Gilbertus Cisterciensis
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Nyssa
Gregorius Papa
Guerricus
Haymo
Hilarius
Hippolytus
Hugo Victorinus
Iacobus Scoperus
Ioannes Chrysostomus
Ioannes Ecchius
Ioannes Ferus
Ioannes Hofmeister
Ioannes Iustus
Ioannes Maria Verattus
Iudocus
Maximus Taurinensis
Origenes
Petrus Chrysologus
Petrus Edessa
Philippus Cancellarius
Seuerianus
Zeno.

ISAGOGICI.

Alanus Lymna
Alardus Alsteradamus
Ambrosius Compfa
Aurelius Augustinus
Aurelius Cassiodorus

Beda
Bonauentura
Eucherius
Franciscus Riuzius
Georgius Vicellius
Guernerus Parisiensis
Guido Ebroicensis
Guillelmus Gregorius
Hermannus Schildius
Hugo Victorinus
Iacobus Goufchelus
Iacobus Perez Valent.
Ioannes Bertramus
Ioannes Driedo
Ioannes Gerfon
Ioannes Hagen
Othomarus Luscinus
Petrus Bertorius
Rabanus
Sanctes Pagninus
Theodorus
Tichonius

INDICISTAE.

Conradus Halberstadius
Euthalius
Gabriel Brunus
Hugo Carensis.

MEDITATORES.

Bernardus
Bonauentura
Dionysius Cartusianus
Henricus Harpius
Hieronymus Sauonarola
Ioannes Gerfon
Ioannes Ludouicus Viues
Ludolphus Cartusianus
Ninianus
Pictorum episcopus
Petrus Aliacus.

PARAPHRASTAE.

Christianus Ischyrius
Franciscus Tirelmannus
Gregorius Neocafariensis
Hegefippus
Ioannes Turrecremata
Iosephus Hierosolymitan.
Iustus Tyberinus
Petrus Comestor
Philo Iudæus

Raine-

A Rainerius Snyogoudanus.

PARTITORES,
qui libris diuinae scripturae in
partes diuisis suas quibusque
partibus summas & argu-
menta imponere.

Alexander Dolensis
Bonauentura
Cyrus Prodromus
Franciscus Gothus
Ioannes Benedictus
Nicephorus.

B POETAE.

Alexander Villadeus
Aluarus Comoz
Angelus Sangrinus
Apollinarius Antiquior
Arator
Auitus
Aurelius Prudentius
Bonauentura
Boninus Mombrinus
Cedmonus
Cornelius Magnanus

C Dracontius
Dominicus Mancinus
Eudocia
Eulalius
Ezechiel

Franciscus Bonadus
Franciscus Gothi
Franciscus Spinula
Gerardus Bredensis
Gregorius Nazianzenus
Godefridus
Godelbertus

D Guido Ferrariensis
Hieronymus Fracastorius
Hieronymus Patauinus
Hieronymus Stridonensis
Hieronymus Vida
Hilarius Arelatenensis
Iacobus Furnius
Iacobus Sanazarius
Io. Franciscus Quintianus
Ioannes Gagnæus
Ioannes Neouillanus
Iouita Rapicius
Iuuenicus
Ludouicus Iunior
Mapheus Veggus
Marbadus

Marius Victorinus
Mathias Vindonicensis
Nicephorus
Patritius
Petrus Emesenus
Petrus Riga
Petrus Roseneimensis
Proba
Saluianus
Sedulius
Sigebertus
Theodolus
Theodorus Abbas
Tertullianus

SCIOGRAPHICI.

Albertus Durerius
Aurelius Cassiodorus
Beda
Callistus Placentinus
Damianus Marafus
Eusebius Caesarien.
Hieronymus Stridonen.
Ioannes Buteo
Orontius Fineus
Petrus Apianus
Richardus Victorinus

SCHOLASTICI.

Aegidius Viterbiensis
Alanus Insulensis
Alanus Lymna
Alanus Rupensis
Albertus Magnus
Albertus Patauinus
Alexander Dolensis
Alexander Halensis
Alfonus Toftatus
Antonius Bitontinus
Antoninus Florentinus
Ascensius Franciscanus
Augustinus Anconas
Augustinus Romanus

Barptolemaeus Bononien.
Benedictus Stendal
Bernardinus Senensis
Bonauentura Card.

Clemens Araneus
Conradus Halberstadius
Conradus

DE FALSA LIBRORVM INSCRIPTIONE BREVIS ADMONITIO, A

ostendens, quibus de causis contigerit multorum ecclesiarum uoluminum inscriptiones uel fuisse confictas, uel deprauatas; & quibus coniecturis inscriptionum fictionem, falsitatem uel deprehendere liceat.



NON AB RE ueteres illustrium scriptorum expositores præceperunt inscriptiones operum, & autorum nomina in singulis uoluminum exordiis diligenter inquiri, & prudenti iudicio perpendi. senserunt enim, quam magni referat nosse, qualis eruditionis & autoritatis fuerit cuiusque operis autor, præsertim uerò in scriptis sacrorum patrum, & nobilium ecclesiarum doctorum: unde, ueluti ex oraculis theologorum academia, assertionum suarum constantiam accipiunt, summiq; pontifices decreta sumunt, quibus regitur christianus orbis. hoc & ipse non ignorans, cum sæpe in hoc uolumine indicauerim multa in catholicorum expositorum monumentis inueniri pseudepigrapha, adulterina, ac suppositicia; quæ eorum non sint, quorum titulos & inscriptiones præferunt: uisum est mihi in gratiam eorum, qui magis dociles, quam docti sunt, primum explicare, quibus ex causis & occasionibus acciderit fictarum inscriptionum error; mox uerò ostendere, quibus notis huiusmodi titulorum fictio discerni queat.

VT IGITUR à primo exordiar, fingendi inscriptiones ratio in uniuersum duplex est; altera ab ipsis operum autoribus profecta; altera à lectoribus excogitata. porro inscribendi occasiones, ab autoribus sumptæ, aliæ quidem honestæ, aliæ turpes. inter honestas primo loco recensenda est inscriptionis prætermisio. contingit enim inscriptiones librorum plerumque ab eorum autoribus de industria omitti, ac deinde à librariis & scriptoribus, utcumque eis uisum fuerit, inscribi. prætermisio uerò inscriptionum uariæ possunt esse causæ. Primum modestiæ & humilitatis studium: qua sanè ratione cum autor libri De cardinalibus Christi uirtutibus ad Cornelium Papam testetur se noluisse proprii nominis titulo opus suum prænotare; nescio quis illud Cypriano ascripsit, & illius scriptis inseruit, ea forsitan coniectura permotus, quòd Cyprianus ad eundem pontificem scripsisset. Deinde sunt, qui explorandi alieni iudicij gratia lucubrationes suas, in inscriptione carentes, euulgant; ut quasi Pelleo more post tabulam latitantes, lectorum sententias intelligant, & operis uitia, ab eis liberè detecta, corrigant. sic magnus ille Gregorius Theologus in præfatione libri De fide scribit, se ab amico suo efflagitasse, ut eundem librum, detracto autoris nomine, ac dissimulata compositoris persona, doctis uiris & prudentibus legeret: ut, si quem mouisset, quod illic minus rectè positum uideretur, posset plurimorum consilio emendari. Fuerunt etiam, qui inscriptionibus abstinerent ad utilitatem eorum, à quibus sua legi cupiebant; ne defecti, aut parum grati nominis titulo existimationem operi imminuerent, & lectores ab utilitate eius arcerent. id olim Hieronymus asseuerat fecisse Paulum scribentem ad Hebræos: quibus cum sciret se ob neglectas pharisæorum traditiones, & Mosaicæ ceremonias grauiter inensum; noluit eos præfixione odiosi nominis à lectione saluberrimæ epistolæ detertere. quo factum est, ut quidam ex uetustis patribus eam uel Barnabæ, uel Clementi ascripserint. Nec defuerunt, qui, ad uitandam inuidiam, odium, & periculorum discrimina, ediderunt scripta sua, nullo insignita nomine; ne in se prouocarent eos, qui euulgatis scriptis aut læderentur, aut certè se lædi existimarent. his postea leui quadam coniectura

A iectura ductus aliquis, titulum apposuit, qualem tum fortè obuium habuit. Inuenti sunt item, qui opuscula quadam sua perexigui momenti, in gratiam rudium ac simplicium amicorum conscripta, nomen suum præferre noluerint, ne compositionis ruditas, & argumenti humilitas compositoris autoritati derogarent. ea deinde progressu temporis fortuitam inscriptionem à fortuito attitulatore sortita sunt. Ex iisdem ferè causis emanauit fictarum inscriptionum consuetudo, à pri-

B fcis aliquot autoribus seruata. Saluianus, Massiliensis episcopus, parenaticos libros idcirco emisit sub ficta appellatione Timothei episcopi ad ecclesiam Dei toto orbe diffusam, ut, neglecta humanæ gloriæ uanitate, soli Deo eius laboris honorem deferret. Vincentius, Lirinensis presbyter, disertissimus, disceptationibus, quas aduersus profanas hæreticorum nouitates composuit, abscondito nomine suo, hæreticis inuiso, Peregrini titulum imposuit, quò libentius ab hæreticis, peregrinarum rerum audis, legerentur. Est & alia ipsis autoribus fingendæ inscriptionis ratio, uidelicet studiorum exercitatio: cum in his, quæ exercitamenti gratia scribi solent, tituli non serio præfiguntur; ueluti in declamatoriis argumentis, quæ græci προγυμνάσματα, siue μελέτας, hoc est præexercitationes, siue meditationes appellant; in quibus, qui sese exercent, non sua nomina ponunt, sed eius, cuius personam conantur effingere. hoc in genere creduntur esse apud nostros epistolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ epistolæ ad Paulum, & dialogus Augustini & Orosij in Genesim; apud ethnicos uerò epistolæ Phalaridis Agrigentini, & epistolæ Brutii Porcii Latro tractauit argumentum Ciceronis in Catilinam, nimirum personam agens Ciceronis; & quoties incidit, sese Tullium, non Porcium appellat. hinc error eorum, qui rem fictam seriam esse putant: & huiusmodi opuscula eorum esse credunt, sub quorum nominibus finguntur. Hæ igitur, atque his similes sunt non improbandæ uariatarum inscriptionum causæ, quibus autores ipsi, citra tamen eorum culpam, uidentur occasionem præbuisse.

C INTER improbas uerò, ac turpes pseudepigraphiæ occasiones, autorum uitio exortas, ne singulas enumerem, ea, quæ omnium deterior est, prodiit à duplici genere pessimorum hominum. ex iis sycophantæ, seu nebulones quidam, ad illudendum & imponendum nati, nugæ, ac naniæ suas, per iocum & ludibrium confictas, præclaris inscriptionibus adornant; ut, dum indocti lectores eiusmodi ineptias, quasi nobilium scriptorum fœtus excipiunt, & cum admiratione euoluunt, ipsi interim, non sine risu, eorum oscitantia fruuntur. Alij uerò, hæretica peste laborantes, pestilentissima scripra sua splendidis catholicarum attitulationum operimentis obuoluunt; ut, sub orthodoxi nominis prætextu, ipsorum uenena celerius latiusq; spargantur in uulgus, maiori hominum detrimento. hinc olim habuere ortum illæ impudentissimæ pseudepigraphiæ, uidelicet Ascensionis Moyssi, Apocalypseos Heliæ, Euangeliorum Thomæ, Taddæi, Philippi, Barptolæmai, Actuum, Petri, Andrea, & Ioannis, atque alia nugamenta his similia, à discipulis Manichæi Persæ, qui sibi ipsis duodecim apostolorum nomina imposuerant, excogitata.

D HACTENUS de causis falsarum inscriptionum, tam ab autorum probitate, quam improbitate deductis: nunc dicendum est de occasionibus deprauatarum attitulationum, quæ ab exteris & alienis emanarunt. Hæ potissimum duæ sunt, error, & fraus. Ad errorem, & imprudentiam spectant Nominis æquiuocatio; Argumenti, aut styli consensio; Personarum, quibus, uel à quibus opera dedicantur, similitudo; Inscriptionis quoque, ut iam dixi, defectus; & Inscriptionis, exercitij gratia, simulatio. Ex Aequiuocatione frequenter usu uenit, ut noninum, uel cognominum, uel titulorum affinitas præbuerit ansam errandi, sicut olim Rufino, Aquileiæ presbytero: qui, uocum similitudine deceptus, Enchiridion Xysti Pythagorici, Xysto Pontifici inscripsit; & Pamphili Eusebij pro Origene Apologiam, Pamphilo martyri Origenis studio attribuit. Erasmus, consimili errore ductus, Commentarios Arnobij presbyteri in Psalterium, Arnobio Rhetori florentissimo tradidit.

- dit. Ex hac deceptione contigit, ut non pauca Thomæ Anglici opera Thomæ Ang-
 11 gelico doctore data sint. Ex inscriptionum quoque omissione, ac titulorum fi-
 ctione aliquoties, quemadmodum supra monuimus, accidit, ut parum eruditi le-
 ctōres, uel tumultuarij scriptores libros, titulo destitutos, uni magis, quàm alte-
 12 ri, coniciant inscribendos; & exercitationes, simulata inscriptione, compositas eo-
 rum esse putent, quorum ficticios titulos præferunt. Styli etiam similitudo, aut
 argumenti communitas, aut eorum uicinitas, ad quos, uel à quibus scripta omit-
 tuntur, non rarò efficiunt, ut studiosi in discernendis libris, ob uarios casus in-
 scriptione carentibus, nomen ascribant non eius, cuius est opus, sed cuius esse su-
 spicantur, uel quòd de re simili, uel quòd ad eosdem, uel quòd simili stylo, ac me-
 thodo scripserit alius. sic apud philosophos non desunt, qui affirmant Archita
 Tarentini Categorias perperam Aristotelis Organo præpositas, nec alia de causa
 Aristotelico nomine prænotatas, quàm rei ab utroque tractatæ similitudinem.
 sic apud theologos sunt, qui asseuerent celebrè illam epistolam, siue libellum, quem B
 ad Demetriadem uirginem scripsit Iulianus Celanensis episcopus, Pelagiana labe
 infectus, iccirco ascriptam Hieronymo, quòd is quoque scripserit ad eandem uirgi-
 nem argumento non dissimili. Rursum fit interdum, ut librarius, aut studiosus
 aliquis ob materiam operis non dissimilem diuersorum autorum libellos eodem co-
 pulet uolumine: deinde parum attentus lector, aut non reperiens ascriptos titu-
 los, aut oblitos offendens, eius putet omnia, cuius nomen in frontispicio uo-
 luminis conspexerit.
 SUNT è diuerso, qui data opera per fraudem & dolum inscriptiones depra-
 uent, & immutent, idque ob uarios, sed pessimos fines. Alii utilitatis, quæ-
 13 stus, ac turpis lucri gratia, ceu sunt uoluminum scriptores, impressores, inscri-
 tores, ac uenditores: qui uulgarium, & interdum quoque obscurorum hominum
 partus nobiliorum autorum titulis coronant, nimirum tali furo stultam festinan-
 tium emptorum credulitatem aucupantes. hoc ioco obtruserunt nobis Angli C
 iusdam collectoris centones in Genesios, & Regum uolumina, pro Eucherij Lug-
 dunensis episcopi commentariis, & anonymi ac recentioris rapsodi laciniis in an-
 nuas euangeliorum lectiones pro Eusebij Emeseni homiliis. sic Theophylacti col-
 lectiones in Paulum, & Rabani in Threnos Ieremiæ sub splendidioribus diui Atha-
 nasis, & diui Hieronymi nominibus uendidere. Alij, diuersarum hæreseon pes-
 14 tibus contaminati, libros, ab execrandis sectarum suarum doctoribus editos,
 transformant; & detractis autorum nominibus, utpote odiosis, & ecclesiastica
 censura damnatis, reponunt eorum loco plausibiles catholicorum patrum appella-
 tiones; quibus illusa lectorum simplicitas, hæreseon uenena bibit sine ulla suspi-
 cione periculi. ita olim, ut Rufinus in Apologetico scribit, Pneumatomachi hæ-
 retici, qui spiritum sanctum blasphemabant, libellum Tertulliani, de fide Trinita-
 tis male sentientem, sub Cypriani martyris nomine multis propagatum codicibus
 uendiderunt parua aris summa; ut eum emptores, & uiri amplitudine, & precii D
 exiguitate illecti, libentius emerent, & latentes errores amplecterentur, ceu dog-
 mata sacra, autoritate tanti martyris comprobata. sic quondam, uti Euagrius in
 tertio ecclesiasticæ historiæ prodidit, Nestoriani & Euthychiani scripta Apolli-
 narij, unde suarum deceptionum semina acceperant, sub Athanasij Magni attitu-
 latione inuulgarunt, quòd facilius eò luminis splendore catholicorum oculos per-
 stringerent. sic nostro sæculo uidimus pestilentissima hæreticorum scripta, titu-
 lo tenus transformata, in sacros catholicorum hominum, & ecclesiæ antistitum la-
 bores; quos cum in præfatione totius operis, & in quarto libro attigerim, nunc
 15 breuitatis studio præmitto. Sunt & ignaui quidam furunculi, qui in-
 star Esopica corniculæ sese alienis pennis uenditantes, & coccyus ritu in alie-
 nos nidos insipientes, aliorum scriptorum labores furantur; & deletis ueris titu-
 lis, propria nomina imponunt. quod superioribus annis fecisse constat Ioannem
 quendam Galium; qui Collectanea Barptolemæi Vrbinatis in utrunque testamen-
 tum,

- A tum, annis ab hinc ferè ducentis ex Augustino excerpta, sibi impudenter usurpa-
 uit, & quod etiam turpius est, nonnulla eiusdem operis loca uasè detruncata, &
 mutilatim recisa ad hæreses Lutheranorum detorsit. His addendi sunt perdi- 16
 tissimi quidam, inimicitia stimulis agitati; qui in odium & ignominiam bono-
 rum autorum, & ad eleuandam autoritatem, ac fidem illustrium doctorum, odio-
 sa uolumina effingunt sub illorum titulis. quod non solum hac misera tempestate
 nostra fieri cœpit, sed ab ipsi ecclesiæ exordiis factum esse constat à pseudoaposto-
 lis: qui ex persona Pauli falsas epistolas utroque citroque mittirabant, prauis dog-
 matibus insperfas; quibus ecclesias conturbarent, earumque inimicitias in aposto-
 lum excitarent. id ille in posteriore ad Thessalonicenses epistola indicat, inueniens: 2 Thes. 2. 2
 ROGAMVS uos, ne terreamini ex epistola, tanquam per nos missa: nemo enim
 uos seducat ullo modo. Conquestus est & Origenes in epistola ad amicos Ale-
 xandrinis spargi ab impiis obtrætoribus suis disputationes contra ecclesiæ fi-
 dem, Origenica præfatione præscriptas, ad concitandam inuidiam erga se piorum
 hominum. Doluit eadem occasione Leo Romanus Pontifex, ad Marcianum Augu-
 stum scribens, quòd epistolas suas hæretici deprauassent, ut inde ansam arriperent
 insimulandi eum de Nestorianæ hæreseos impietate. Demum alii sunt, qui 17
 contrario studio ducti, hoc est, qui nimio & immoderato alicuius scriptoris amo-
 re capti, aliorum lucubrations, sine ullo iudicio, ac delectu usurpatas, ei uendi-
 cant, existimantes se ex auctione ac multitudine librorum maiorem nominis cele-
 britatem adamatò autori comparare. Hoc forsitan excusando, sed neutiquam pro-
 bando affectu permoti nonnulli Thomistica sanctitatis, & sapientiæ amatores, Exe-
 geticis diui Thomæ inseruere commentaria in Genesim, in Elaiam, in Ieremiam,
 in Threnos, in Ioannem, in epistolas catholicas, in Apocalypsin, atque alia per
 multa his similia, cum cæteris eius scriptis, nec eruditione, nec iudici acumine
 conferenda.
 C HÆC de causis & occasionibus deprauatarum inscriptionum dicta sint: nunc,
 quibus notis earum deprauatio deprehendi, & coargui possit, quambreuisimè
 prosequendum. Inscriptiones ueras à falsis, germanas à ficticijs tria præ cæteris
 distinguunt, tempus, dogmata, stylus. Primum, si temporum ratio rebus de-
 scriptis non conueniat: perspicuum fit opus non esse illius, cuius titulum præfert.
 Commentaria, quæ nunc circumferuntur, Ambrosij in Apocalypsin, Hieronymi in
 Parabolas Salomonis, & Ieremiæ Lamentationes, Eucherij in primum librum Mo-
 sis, & in quatuor Regum uolumina, & Iunilij Afri in Hexaemeron, nemo talium
 autorum esse dicet, cum in iis legerit centones, fragmenta, ac integras paginas ex
 Moralibus Gregorij excerptas. nec arbitror aliquem fore usque adeò hebetem, uel
 proteruum, qui neget huiusmodi rapsodias, ex commentariis Gregorij hausas; sed
 contra potius affirmet eas à Gregorio ex illorum doctorum fontibus in sua com-
 mentaria deriuatas. nam præterquam quòd Gregorij nomen, crebrò in prædictis
 D uoluminibus citatum, id apertè demonstrat; tanta est etiam in Gregorianis scriptis
 ubique dictionis æqualitas, tanta semper styli similitudo, ac tam aptè continuata
 orationis series, ut nihil in illis appareat, uel quod aliunde mutuatum, uel quod
 ab alio autore profectum uideri queat. Secundò, si dogmata non solum cum
 autoris mente non congruunt, sed ex diametro pugnant; protinus consequitur, aut
 opus non esse uerum ac germanum ferum illius, cuius esse creditur; aut esse adul-
 teratum, & à corruptoribus pessimè deprauatum. quis enim ausit affirmare sex-
 decim Origenis tractatus in Leuiticum, Cyrilli nomine ab Heruagio excusos, esse
 Cyrilli, cum in eis passim occurrant animæ ante mundum creatæ, & ob sua flagitia
 detrusæ in corpora, tanquam in uincula; inferorum supplicia finem aliquando habi-
 tura; dæmones post certa tempora ad amissam felicitatem restituendi; atque alia
 permulta Origenica asserta, quæ Cyrillus ubique toto pectore, totisque uiribus op-
 pugnat, & expugnat? Tertia, atque omnium fortasse euidentiore, ac certiore con-
 iectura est, styli diuersitas; quæ, ueluti Lydius lapis, falsas inscriptiones à ueris di-
 scernit.

scernit. nam etsi cuius impostori facile sit autorum patriam, genus, temporaque **A**
 mentiri, ac dogmata sequi: nihil tamen difficilius est, quam alterius imitari stylum.
 stylum autem appello non illam exteriorem sermonis superficiem, sed orationis cha-
 ractèrem, dictionis contextum, texturæ continuitatem, elocutionis formam, figuras
 loquendi, dispositionis artificium, tractationis methodum, & cætera, quæ cuique
 disertio autori propria sunt. sicut enim suus cuique homini corporis habitus est,
 suus cuique uultus, suus cuique natiuus color, sua cuique uox, aliæque singulares
 notæ, quibus à cæteris hominibus distinguatur: ita singulis ecclesiæ scriptoribus pe-
 culiæres quædam proprietates insunt, quæ aut nunquam, aut rarò alteri conue-
 niant; ueluti sunt plausibilis Antiochi pompa, Basilij accurata dictionis diligentia,
 sublimis Gregorij Theologi cothurnus, Chrysofomi sponte fluens atticismus, pu-
 rissima Cypriani facilitas, Gallica Hilarij grandiloquentia, grauis & arguta bre-
 uium sententiarum in Ambrosio copia, in Hieronymo picturata rerum uerborumque
 uarietas, in Augustino cola similiter sinientia, & commata similiter cadentia, in **B**
 Gregorio numerosus periodorum alternatim respondentium incessus, & alia his si-
 milia; quæ quantumlibet quis affectet, minimè tamen assequi possit. Nec sum ne-
 scius esse, qui diuersum sentiant, asferentes in deprehendendis titulorum impo-
 sturis nullum esse indicium stylo fallacius: quoniam non idem semper sit eidem di-
 cendi modus, sed pro argumenti ratione, uel ætatis mutatione, uel studij profe-
 ctu, uel affectuum diuersitate; & sæpe duorum autorum character sit omnino persi-
 milis. quod nec ipse profus inficior: aliter enim in epistolis scribit Hieronymus;
 aliter in decertationibus aduersus Rufinum & Vigilantium loquitur; & aliter in
 commentariis prophetarum. alio modo dicebat, cum esset admodum iuuenis; &
 adhuc rhetorum exercitatione calens; atque alio modo senex, cum grauiora, ac so-
 lidiora sectaretur. sed ita tamen semper scribit, ac loquitur, ut ubique eum agno-
 scas esse Hieronymum: quemadmodum & familiaris tibi amici faciem nunc ira-
 tam, nunc mitem, nunc tristem, nunc alacrem, eiusdem semper esse hominis co-
 gnoscis. Fateor etiam inter aliquos (etsi id rarissimum sit) tantam contingere pos-
 se styli similitudinem, ut eos non facile sit discernere: tamen industrius styli arti-
 fex similitudinem à similitudine distinguet non aliter, quam adamantes, magnitu-
 dine pares, & splendore non dissimiles, internoscunt gemmarij sagaces. Verùm
 ut donemus discernendi iudicium styli similitudine impediri: habebimus tamen
 non esse rem difficilem ex styli dissimilitudine, & characteris diuersitate falsarum
 ascriptionum fucos animaduertere. siquidem commentarios illos rudes & incondi-
 tos, solæcismis & barbarismis scatentes, qui nunc Arnobij titulo ueneunt, etiam
 mediocriter exercitatus ex sermonis gustu sentiet non esse Arnobij illius præstanti-
 ssimi oratoris, qui septem aduersus gentes eloquentissima scripsit uolumina.
 commentaria similiter in Iob, & in Marcum, Hieronymianis tomis inserta, nullus
 unquam suspicabitur esse Hieronymi, nisi qui eum putet latinam linguam dedidi-
 cisse, & græcam, & hebræam profus ignorasse. Non est igitur styli coniectura,
 meo quidem iudicio, cæteris posthabenda. Atque hæc pauca de notis discernen-
 di pseudepigrapha satis sit attigisse: quæ quanquam, ut ingenuè fatear, non ua-
 leant apertè certeque demonstrare, cuius autoris sit opus, de quo ambigitur; non
 obscure tamen indicant opus nequaquam illius esse, cui ascribitur. **D**

Libri quarti finis.

